Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann August Hellfeld Joseph Maria Schneidt

Ivrisprudentia Forensis

Tomvs II.

Wircebvrgi: Svmtibvs Avtoris, MDCCLXXXVI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X

Band (Druck) Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0001
DFG

~~XXXVIII. 11.~~

J. R.:
30. C. 13.
p. 637–1092 Fol

Je 3272 (2.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0002
DFG

a

IVRISPRVDENTIA FORENSIS

QVAM

D. IO. AVG. HELLFELD

SECVNDVM PANDECTARVM ORDINEM

PROPOSVIT,

NVNC VERO IN VSVM AVDITORII

SYSTEMATICE DISPOSVIT

IOSEPHVS MARIA SCHNEIDT,

V. I. D. COM. PAL. CAES. CONSIL. AVL. WIRCEBVRG. ET FVLDENSIS, PANDECT. IN VNIVERSITATE WIRCEBVRG. PROFESSOR PVBL. ET ORDIN.

TOMVS II.

WIRCEBVRGI,
SVMTIBVS AVTORIS.
M. DCC. LXXXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn86605720X/phys_0006
DFG

ARTICVLVS II.
OBLIGATIO EX VERO CONTRACTV.

CAPVT I.
CONTRACTVS REALES.

LIB. XII. TIT. I.
DE REBVS CREDITIS.

§. 1255. Transimus ad contractuum materiam, et quidem primo ad contractus reales. Ex quibus praesens titulus contractum mutui sistit. Inscriptio vero tituli *de rebus creditis* exinde est, quod potissimum in mutuo credimus, seu fidem alterius sequimur. rubrica explicatur.

§. 1256. MVTVVM est *contractus realis, quo res fungibilis alicui ita traditur, vt eius fiat, et aliquando tantumdem in eodem genere restituat.* Mutuum igitur 1) locum habet in rebus fungibilibus *a)*, 2) perficitur per traditionem, ideoque contractus est realis (§. 1073.) *b)*, 3) res tradita fit accipientis *c)*, qui obligatur, 4) vt tantumdem in eodem genere seu eiusdem quantitatis et qualitatis rem restituat *d)*. mutuum quid?

§. 1257. Quia mutuo dantur res fungibiles, sequitur, vt non solum pecunia, sed quoque aliae res fungibiles, v. gr. vinum, frumentum, etc. mutuo dari queant. Si rerum non fungibilium vsus conceditur, non mutuum sed commodatum est *e)*. in rebus fungibilibus solum locum habet

a) L. 2. §. 2. h. t. *b)* L. 2. §. 3. h. t. *c)* L. 1. §. 2. D. *de oblig. et act. pr.* Inst. *quibus modis re. d)* L. 3. h. t. *e)* L. 2. pr. §. 1. 2. h. t.

traditione perficitur mutuum, quod differt a pacto de mutuo dando.

§. 1258. Mutuum perficitur traditione. Pactum igitur de mutuo dando nondum est mutuum, et quicquid non est traditum, illud quoque ex mutuo haud debetur. Inde, si debitor ad restitutionem maioris quanti, quam accepit, se obligauit, id, quod vltra acceptum quantum promisit, non ex mutuo debetur *f)*, quamuis accedente stipulatione id, quod legitimum vsurarum modum non excedit, iure Romano ex stipulatu *g)*, et apud nos ex pacto peti possit (§. 1050.). Ipsa autem traditio vere aeque ac ficte, ab ipso creditore, vel alio eius nomine *h)*, fieri potest.

an mutuum sit alienatio

§. 1259. Quia in mutuo res traditur eo fine, vt fiat accipientis, sequitur, vt accipiens fiat dominus rei acceptae, sicque mutuum inuoluat alienationem *i)*, saltim quoad speciem traditam, quamuis ad recipiendam aliam rem eiusd. generis creditori ius ex contractu competat *k)*.

quinam mutuum dare, et

§. 1260. Qui mutuum dat, transfert dominium. Dominium is solum transferre potest, qui dominus est, et liberam de re disponendi facultatem habet (§. 433.). E. necesse est, vt mutuum dans sit dominus et liberam de re disponendi habeat facultatem *l)*. Hinc tertius pecuniam alienam invito domino, vt et pupillus vel minor absque tutore vel curatore mutuum dare nequit. Si vero tertius pecuniam alienam, vel minor aut pupillus pecuni-

f) L. 11. §. 1. h. t. *g)* L. 24. *de praescriptis verbis.* *h)* L. 11. pr. L. 13. et 15. h. t. *i)* pr. Inst. *quibus modis re contrah.* L. 2. §. 2. L. 16. 41. h. t. L. 1. §. 2. *de oblig. et act.* *k)* contrariam sententiam defendere voluit SALMASIVS diatr. *mutuum non esse alienationem.* EIVSD. disp. *qua probatur, mutuum non esse alienationem.* Contra Salmasium scripsit IO. IAC. WISSENBACH diatr. *mutuum esse alienationem, eiusque vindicias.* *l)* L. 2. §. 4. L. 4. C. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0008
DFG

cuniam ſuam inſcio tutore vel curatore mutuo dedit, nummi adhuc extantes *vindicari*, conſumti vero, prout bona vel mala fide ſunt conſumti, actione ad *exhibendum*, vel *condictione ſine cauſa*, repeti queunt *m)*.

mutuo ſe obligare queunt.

§. 1261. Cum ex mutui contractu naſcatur obligatio ad reſtituendum (§. 1256.), conſequens eſt, vt eorum, qui vel naturaliter vel moraliter ſe obligare nequeunt, ex mutuo non ſit obligatio. Mutuum igitur contrahere nequeunt pupilli, minores, prodigi ſine tutoris ſeu curatoris conſenſu *n)*. Porro cum ex contractu alterius tertius non obligetur, niſi forſan cum contrahente ſit vna perſona, aut conuentio ex eius conſenſu antecedente, vel ſubſequente ſit celebrata, aut in vtilitatem tertii vergat (§. 1079); ſatis patet, idem quoque in mutuo obtinere. Inde ſocius ex ſocii *o)*, ciuitas ſeu vniuerſitas *p)* et eccleſia ex adminiſtratoris mutuo non obligatur *q)*, niſi vel conſenſus legitime datus, vel verſio doceri queat. Pupilli et minores ex mutuo tutoris auctoritate vel curatoris conſenſu contracto obligantur *r)*, aſt gaudent reſtitutionis in integrum beneficio *s)*, ſi probari poſſit, pecuniam in minoris vtilitatem non eſſe verſam.

m) §. 2. I. *quibus alienare licet* L. 11. §. 2. L. 19. §. 1. h. t. *n)* L. 1. et 2. C. *ſi aduerſus credit.* *o)* L. 82. D. *pro ſocio.* *p)* L. 27. h. t. adde LAVTERBACH *comment.* ad L. 27. cit. BECHMANN *de ciuitatis ex mutuo obligatione.* LEYSER ſp. 131. et Vol XI. med. pag. 6. Ex mutuo a ciuitate legitime contracto non ſinguli ciues obligantur, nec quod debet vniuerſitas, ſinguli debent. L. 7. §. 1. *quod cuiusque vniuerſitat.* *q)* arg. auth. *hoc ius porrectum.* C. *de S. S. eccleſiis.* *r)* §. 9. Inſt. *de inut. ſtip.* L. 5. *de R. I.* Contrariam ſententiam ex L. 3. C. *quando ex facto tutor.* WERNHER P. VI. obſ. 387. aliique defendere volunt. *s)* L. 13. §. 11. C. *de iudiciis.*

obligatio ex mutuo, praesertim mutato nummorum valore.

§. 1262. Obligatur autem debitor ex mutuo, vt restituat acceptum in eadem quantitate et qualitate *t*). Hinc non sufficit idem restitui quantum, sed res quoque restituenda est in qualitate, qua debitor illam accepit. Si igitur pecunia mutuo est data, idem nummorum genus praecise quidem non est restituendum, nisi hoc singillatim fuerit conuentum *u*), nihilominus tamen nummi eiusdem quantitatis et qualitatis. Qualitas nummorum consistit in eorum bonitate, tam intrinseca, i. e. eorum materia et pondere (Schrot und Korn), quam extrinseca, i. e. valore, quem moneta in vita communi vel expressa vel tacita imperantis voluntate habet *x*). Mutato pecuniae valore, attendendum est tempus contractus *y*). Inde mutato interno valore, moneta, quae tempore solutionis est, aestumatur secundum proportionem bonitatis intrinsecae, quam moneta tempore contractus existens habuit, ita tamen, vt simul valoris externi, quem nummi tempore contractus in relatione ad alios nummos eiusdem cum moneta soluenda bonitatis intrinsecae habuerunt, ratio instituenda sit *z*). Mutato nummorum valore externo, aut certae monetae soluendae species simul cum eius aestumatione pacto determinata est, aut non. Priori casu pacto standum est, nisi vsuraria adsit prauitas. Posteriori casu, aut valor nummorum externus tempore solutionis creuit, aut est minutus.

t) L. 3. h. t. pr. Inst. *quibus modis re contrah.* *u*) L. 99. *de solut.* L. 65. §. 1. *de verb.. oblig.* L. 3. h. t. *x*) I. L. SCHMIDT Abhandlung der Frage: In was für Münzsorten ist eine Geldschuld abzutragen? *y*) L. 78. de V. O. L. 8. pr. D. *mandati.* L. 2. §. 1. *de haered. vendit.* *z*) WERNHER T. III. P. I. obs. 60. et 92. In Saxon. El. res decisa est. P. II. const. 28.

tus. Si creuit, in eo valore soluendi sunt nummi, quem tempore contractus habuerunt. Si enim nummi in aucto solutionis tempore valore soluerentur, creditor nummos eiusdem cum datis internae bonitatis in maiori valore, quam eos dedisset, ficque non idem, sed minus acciperet. Deminuto publica auctoritate nummorum valore, debitor nummos non in eo valore, quo eos accepit, sed in valore, qui tempore solutionis publica auctoritate est constitutus, debet soluere, ita tamen, vt creditori tantum detrahatur, quantum tempore contractus nummi mutuati in relatione ad nummos secundum iustum modum (dem festgesetzten Münzfuß) cusos, in valore externo minoris fuerunt aestumationis *a*). *

tempus, quo mutuum restitui debet.

§. 1263. Porro restitutio mutui iusto fieri debet tempore, quod vel ex conuentione certum est, vel non. Priori casu standum est conuentioni, et nec debitor inuito creditori ante lapsum diei soluere, nec creditor solutionem exigere potest *b*). Posteriori casu a iudice solutioni dies est praefigendus, quod etiam locum habet, si dies in obligatione est incertus, v. gr. ehestens, sobald man könne, baldigst, bey Gelegenheit *c*).

actio ex mutuo.

§. 1264. Quo magis vero debitor suam adimpleat obligationem, creditori competit

a) CARPZOV. P. II. const. 28. def. 4. 5. SCHORCH *de eo, quod iustum in reddendo mutuo in casu, si monetae mutatio medio tempore facta.* LEYSER spec. 529. * contrar. sentent. teneo in diss. mea *de solut. valore monetae mutato.* Wirc. 1771. 4. *b*) §. 2. I. *de verb. oblig.* *c*) MEVIVS P. I. decis. 73. P. III. dec. 144. WERNHER P. I. obs. 187. et 225 Tom. III. P. IV. 93. BERGER *elect. proc. executiui* §. 11. cautelas in mutuo collocando obseruandas sistit KOB. *de pecunia mutuaticia tuto collocanda.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0011
DFG

actio mutui, quae semper praeponit mutuum, cuius restitutionem actor vrget, existere. Quia vero mutuum perficitur traditione; satis patet, in actione mutui semper praeponi rem mutuo traditam, seu pecuniam esse numeratam. Si igitur reus numerationem factam neget, seu exceptionem non numeratae pecuniae opponat, actor numerationis probationem suscipere tenetur *d)*.

contractus chirographarius. et exceptio non numeratae pecuniae.

§. 1265. Mutui contractus plerumque in scripturam redigitur. *Huiusmodi scriptura, qua debitor confitetur, se certam rem seu quantitatem creditori debere*, CHIROGRAPHVM vocari solet. Tale chirographum regulariter quidem probationis *vim* habet (§. 1108.). Ast in mutui contractu illud demum post biennii lapsum vim probandi accipit. Et quamuis expressa numerationis in chirographo mentio fiat, nihilominus actor numerationem aliunde probare tenetur, quia chirographum creditori ante numerationem pecuniae plerumque exhibetur, sicque ex eo de facta numeratione constare haud potest. Ne vero creditoribus lapsu longi temporis periret probatio factae numerationis, leges iubent, vt debitor, qui in chirographo acceptam numerationem confessus est, quam tamen non accepit, intra biennium chirographum repetat, vel actori exceptionem non numeratae pecuniae opponat, sub poena amittendae huius exceptionis *e)*. Inde, cum post biennii lapsum exceptio non numeratae pecuniae non amplius locum habeat, chirographum super mutuo datum simpliciter obligat ad restitutionem, quam-

d) L. 3. et 10. C. *de non numer. pecun.* *e)* tit. Inst. *de literarum obligat.* L. 7. et 14. C. *de non numer. pecun.* L. 4. C. *de condictione ex lege.* §. 2. I. *de excep.*

quamuis reuera debitor pecuniam haud acceperit numeratam. Habes igitur *contractum literalem f)*, vel *chirographarium*.

numeratio pecun. quomodo probetur, exceptio n.n.pecuniae an in proc. executiuo locum habeat

§. 1266. Nondum elapso biennio chirographo non numeratae pecuniae exceptio potest opponi, quae onus probandi numerationem in actorem deuoluit (§. 1265.). Hinc consilii est, vt creditor numerationi testes adhibeat, per quos solutionem probare possit *g)*, vel sibi praeter chirographum adhuc acceptae numerationis confessionem, cui renuntiatio exceptionis non numer. pecuniae inferi potest, dari curet *h)*. Insuper quoque creditor numerationem probare potest, per confessionem defuncti testamento insertam *i)*, imo sufficit probasse, debitorem post chirographi traditionem vsuras soluisse, vel alio modo suam agnouisse obligationem *k)*. Hoc quoque notandum est, quod exceptio non numeratae pecuniae in executiuo processu minus recte admitti soleat, si in continenti, vel per confessionem aduersae partis, vel ex instrumentis claris non sit liquida *l)*. Porro quoque is, qui calumniose

f) de quo praeter leges in antec. nota adductas confer. FRIESEN *de literarum obligationibus*. ZOLLER *de vero fundamento contr. chirographar*. MADIHN *de vera indole liter. oblig. atque exc. N.N.P.* *g)* AVTH. *si quis vult caute*. C. *qui potiores in pignore*. *h)* L. 29. C. *de pactis*. STRYCK *cautelae contr.* sect. II. c. VII. §. 7. WERNHER T. III. P. I. obs. 160. *i)* L. 13. C. *de non num. pec.* *k)* L. 4. C. eod. *l)* admittunt in processu executiuo except. non numer. pec. LVDOVICI *proc. cuil.* c. 3. §. 2. WERNHER T. III. P. I. obs. 46. BERGER El. *proc. exec.* §. 43. sqq. Eam non admittendam censent FINKELTHAVS obs. 119. SCHILTER *exerc.* 22. th. 20. SCHAVMBVRG *pr. prax.* lib. II. cap. II. §. 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0013
DFG

hanc exceptionem opponit, de calumnia conuictus iure Romano in duplum condemnatur *m*), hodie vero arbitrarie punitur.

exceptio non num. pec. elapso biennio non habet locum.

§. 1267. Post biennii lapsum super mutuo datum chirographum obligat, et exceptio numeratae pecuniae non habet locum *n*) (§. 1265.), quamuis debitor sibi pecuniam haud esse numeratam probare velit, vel sub nomine exceptionis doli defectum numerationis vrgeat. Aliae vero exceptiones, quae actionem mutui tollunt, v. gr. *simulationis*, *pacti de non petendo*, *compensationis*, *remissionis* omnino locum habent.

LIB. XXII. TIT. I.

DE VSVRIS ET FRVCTIBVS ET CAVSA ET OMNIBVS ACCESSIONIBVS ET MORA.

vsurae aequitati non repugnant.

§. 1268. Mutuo communiter accedunt vsurae. Est vero VSVRA *certa quantitas praestanda pro vsu sortis, seu rei fungibilis, alicui concesso.* Vsura igitur pro vsu pecuniae seu alius quantitatis soluitur, ideoque nec rectae rationi contrarium, nec iniquum est, vsuras sumere *o*), quamuis ex iure diuino male intellecto vsuras ius damnet canonicum *p*). Quia vero rei nostrae vsum haud raro gratis aliis concedimus, satis patet, vsuras non ipso iure deberi, sed specialem requiri causam, quae obligationem ad vsuras soluendas producit *q*).

§.

m) AVTH. *contra.* C. *de non numer. pec.* *n*) contrariam sententiam ex L. 6. C. *de compensat.* et L. 1. C. *de non numer. pec.* defendi posse, statuit PVFENDORF T. I. obs. 65. *o*) SALMASIVS *de modo vsurarum.* *p*) cap 4. X. *de vsuris.* *q*) BERGER *oecon. iur.* lib. III. tit. 8. §. 9. n. 3. STRYCK V.M. lib. XII. tit. 1. §. 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0014
DFG

§. 1269. Vsurae non debentur, nisi speciales adsit causa obligationem soluendi vsuras producens. Talis causa est conuentio, qua quis ad vsuras soluendas se obligauit. Hac deficiente, vsurae non debentur, nisi debitor sit in mora soluendi (§. 1094.). Inde duplex est fundamentum obligationis vsurarum, *pactum* nempe et *mora r)*. *Quae ex pacto debentur*, CONVENTIONALES, *quae ob moram soluendae sunt*, PVNITORIAE dicuntur vsurae. Alii tertiam addunt speciem, vsuras nempe legales. Aſt non opus est tertia hacce specie, quia obligatio ex lege moram praeponit *s)*.

vsurae sunt vel conuentionales vel punitoriae.

§. 1270. Vsurae, quae ex mora debentur, non speciali actione, sed mediante actione ex illo orta contractu, cuius intuitu mora commissa est, per modum accessionis peti debent *t)* (§. 1095.). Principali igitur actione extincta, ob vsuras ex mora nulla est actio *u)*. Inde est, quod 1) vsurae ob moram debitae, si in sententia omissae sunt, amplius peti nequeunt *x)*, 2) quod creditor, qui sortem absque reseruatione vsurarum accepit, vsuras punitorias vrgere non possit *y)*. Quod secus se habet in vsuris conuentionalibus, quarum intuitu specialis ex pacto competit actio, ideoque in sententia licet omissae, vel accepta sorte, speciali adhuc peti possunt actione.

ob vsuras moras separata actio non competit.

§.

r) REC. IMP. de anno 1600. §. 139. et de anno 1654. §. 174. LEYSER sp. 244. m. 1. et 2. CARPZOV. P. II. const. 30. def. 8. BOEHMER P. II. resp. 852. n. 9. WERNHER P. I. obs. 163. *s)* SCHROETER I disp. *de oblatione vsurarum initium, non vero earum cursum inceptum impediente.* §. 19. sqq. *t)* L. 26. h. t. *u)* L. 26. C. *de vsuris.* *x)* L. 13. C. h. t. L. 4. C. *depositi.* MEVIVS P. III. dec. 420. *y)* WERNHER P. II. obs. 488. MEVIVS P. I. dec. 229.

confectaria ex regula, quod vsurae sint vsus sortis.

§. 1271. Vsurae soluuntur pro vsu sortis. Hinc 1) principali debito quocunque modo extincto non amplius currunt z), 2) vsurae in anteceſſum ſolutae creditorem impediunt, ne ante lapſum temporis ſortem petat a), 3) vſurarum diuturna ſolutio praeſumtionem pro exiſtentia debiti principalis facit, ita vt impoſterum quoque, donec error doceatur, ſoluendae ſint b). 4) Vſurae, niſi aliter conuentum, in eodem monetae genere ſoluendae, quo principale eſt debitum c).

quantum vſurarum legitimum.

§. 1272. Vſurae vero, ſiue ex mora, ſiue ex pacto debeantur, legitimum quantum, legitimum modum non debent excedere. Et quidem, quod attinet ad quantum vſurarum morae, illud leges imperii reducunt ad vſuras quincunces, ita tamen, vt creditori loco eius, quod intereſt, maius adhuc exigere quantum, ſit permiſſum, ſi probare velit, ſibi ob debitoris moram tantum intereſſe, quantum petit d). Conuentionales pacto quidem determinantur, ne vero creditores improbum captarent lucrum, leges quantum, quod excedi nequit, determinant. Et quidem iure Romano viris illuſtribus trientes, mercatoribus beſſes, reliquis ſemiſſes e) imo, ſi

z) L. 26. C. h. t. a) L. 57. pr. *de pactis.* Dubitant vero, an licitum ſit vſuras anticipare, ob L. 26. C. h. t. aſt diſtinguendum eſt, an creditor vſuras anticipando de ſorte ſtatim detrahat, an poſt integram ſortem creditam vſuras a debitore praenumeratas accipiat; prius illicitum, poſterius permiſſum videtur. b) L. 6. pr. et §. 1. h. t. LEYSER ſp. 243. m. 8. c) L. 23 C. *de vſuris.* LEYSER ſp. 243 m. 4. WERNHER P. IX. obſ. 187. d) REC. IMP. de anno 1600. §. 139. REC. IMP. NOV. §. 174. e) L. 27. §. 1. C. *de vſuris.*

si ratione ipsius sortis creditor magnum susciperet periculum, centesimas *f)* stipulari licebat. Apud nos vltra quincunces vsuras stipulari non est permissum *g)*, nisi leges prouinciales aliter constituant.

vsurae vltra alterum tantum.

§. 1273. Porro quoque seruandus est modus vsurarum. Hinc exigi nequeunt vsurae VLTRA ALTERVM TANTVM, id est, *quarum quantum maius est ipsa sorte.* Et quidem iure nouellarum creditor vsuras vltra alterum tantum exigere indistincte prohibetur, siue vsurae, quas debitor reuera adhuc debet, maioris sint quantitatis, quam ipsa sors, siue vsurae particulariter iam solutae, quantum sortis excedant *h)*. Praxis vero ex aequitatis ratione non reprobat vsuras vltra alterum tantum particulariter solutas *i)*, sicque legis dispositionem restringit ad casum, quo vsurae apud debitorem adhuc restantes sunt. Imo et restantes vsurae vltra alterum tantum exigi queunt, 1) si ciuitati debentur

f) Romani singulis mensibus soluebant vsuras. Hinc si ex centum creditis denariis vnum soluerent singulis mensibus, ea erat *centesima vsura.* Hanc vsuram centesimam considerabant tanquam assem vsurarium, eumque in XII. vncias diuidebant. Itaque *vnciarium foenus* erat 1. pro cento, *sextantes* vsurae 2. p.C. *quadrantes* 3. p.C. *trientes* 4. p.cento, *quincunces* 5. p.C. *semisses* 6. p.C. *septunces* 7. p.C. *besses* 8. p.C. *dodrantes* 9. p.C. *decunces* vel *dextantes* 10. p.C. *deunces* 11. p.C. *g)* REF. POLIT. de anno 1530. tit. 26. REC. IMP. de 1654. §. 175. Contrariam sententiam defendit Joh. Gottfried von Meiern Gedanken von der Rechtmäßigkeit des 6. Zinsthalers. *h)* NOV. 121. c. 1. et 2. WERNHER disp. *de vsuris per modum interesse vltra alterum tantum non exigendis.* *i)* ob L. 10. C. h. t. quam praxis ideo seruat, quia debitoris conditio per particularem solutionem vsurarum vltra alterum tantum non fit deterior, STRYCK V.M. h.t. §. 17.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0017
DFG

tur *k)*, 2) si post rem iudicatam vltra alterum tantum excreuerunt *l)*, 3) si vsurae naturam sortis induunt *m)*.

anatocismus.

§. 1274. Insuper leges prohibent ANATOCISMVM, *quo creditor de vsuris, quae sibi a debitore sortis debentur, vsuras accipit.* Si non ipse debitor de vsuris, quas debet sed tertius vsuras vsurarum soluit, non est anatocismus. Hinc anatocismus non est, si vsurae in persona tertii naturam sortis induunt. Quod fit non solum mutato debitore, sed quoque mutato creditore, quando nempe creditor pro debitore mandante tertio ratione sortis et usurarum satisfecit. Secus, si creditum per modum cessionis in nouum transit creditorem, quia cedens et cessionarius habentur pro vna persona. Diuidunt vero anatocismum in *coniunctum* et *separatum*. Ille est, *si vsurae ipsi sorti, de qua debentur, ita imputantur, vt eam augeant.* Hic vero est, *si vsurae in nouam rediguntur sortem.* Vtramque anatocismi speciem leges prohibent *n)*. Praxis tamen tolerat anatocismum, si debitor vsuras tanquam sortem separatam recipit *o)*. §. 1275.

k) NOV. 160. *l)* WERNHER P. VIII. obs. 309. CARPZOV. lib. IV. resp. 48. et tanquam ex noua causa debentur, tit. C. *de vsuris rei iudic.* BOEHMER T. III. P. II. decis. 228. n. 6. STRVV *exerc.* 27. th. 53. *m)* e. gr. Si emtor solutionem sortis et vsurarum suscepit, vel administrator aut tutor vsurarum debitor est, L. 7. §. 22. *de administr. et peric. tutor.* FINCKELTHAVS obs. 40 n. 24. adde DE LVDEWIG *diff. I. R. et G. in vsuris praesertim vltra alterum tantum.* *n)* L. 27. *de re iudic.* L. 26. §. 1. *de condict. indeb.* L. 20. C. *ex quibus causis infam.* L. 28. C. h. t. L. 3. C. *de re iudic.* *o)* CARRACH *de anatocismo licito et illicito.* COCCEII diss. *de anatocismo.* * Conf. mea diss. *de vsur. antichresi etc.* Wirceb. 1784.

§. 1275. Vsurae vltra legitimum quantum, vel modum, sunt prohibitae (§. 1272.), ideoque id, quod legitimum quantum, vel modum excedit, non solum exigi nequit, sed quoque is, qui vsurarum illegitime promissarum solutionem acceptauit, in crimen *vsurariae prauitatis* eiusque poenam incidit. Quae iure Romano infamia est *p)*, iure vero canonico in priuatione testamenti factionis, communionis ecclesiasticae, et honestae sepulturae consistit *q)*. Iure imperii vsuraria prauitas amissione quartae partis punitur *r)*, cui leges prouinciales alias addunt poenas. Nec leges permittunt, illicitum foenus sub tecto nomine *donationis s)*, *pacti de retrouendendo*, vel sub pallio *melioris monetae generis* exerceri *t)*. Minime vero in vsurariae prauitatis poenam incidunt, qui vsuras sextantes acceperunt, quamuis sextus thalerus vsurarius pro indebite soluto habeatur (§. 1272.).

vsuraria prauitas eiusque palliatio prohibita, et poena coercetur.

§. 1276. Saepe quoque vsurae sub nomine eius, *quod interest*, exiguntur, quod potissimum in casu morae a debitore commissae locum habet (§. 1095.). Quo tamen casu ratione quantitatis ea obtinent, quae (§. 1272.) sunt dicta *u)*. Porro vsurae interdum sub nomine *annuorum reddituum* per modum census constitutiui sunt promissae. Quae tamen itidem iustum vsurarum quantum

vsurae sub nomine interesse et annuorum reddituum veniunt.

p) L. 20. C. *ex quibus causis infamia.* q) C. 3. X. h. t. c. 2. *de vsuris* 6to. c. 1 X. *de sepult.* r) ORD. POL. IMP. de anno 1548. tit. 17. §. 7. de anno 1577. tit. 17. §. 8. s) Quae tamen tunc permissa est, si creditor pecuniam, quam ipse suo periculo mutuam sub obligatione vsurarum sumsit, alteri credidit. t) ORD. POL. IMP. de 1577. tit. 17. §. 8. u) L. 44. D. L. 15. C. h. t.

tum non debent excedere *x)*. Quamuis hi reditus in quibusdam Germaniae prouinciis, instar onerum realium, priuilegio pignoris qualificati gaudeant, si magistratus consensu fundo sunt impositi.

vsuris maiorem fauorem habent fructus.

§. 1277. De accessionibus et fructibus (§. 463. seq.), vt et de causa (§. 462.) ac mora (§. 1092. seq.) iam supra diximus. De fructibus adhuc notandum: Quod vsurae certo modo fructuum iure aestumentur *y)*. Vsuris tamen maiorem in iure fauorem habent fructus. Inde est, quod 1) fructus in stricti iuris iudiciis debeantur *z)*, 2) vltra alterum tantum currant, non vero vsurae *a)*; 3) malae fidei possessor de fructibus quidem (§. 470.), non vero de vsuris percipiendis teneatur *b)*. De fructibus ipsis non debentur vsurae *c)*.

LIB. XXII. TIT. II.

DE NAVTICO FOENORE.

foenus nauticum et pecunia traiectitia defin.

§. 1278. Vsurae vltra legitimum quantum sunt prohibitae (§. 1275.). Excessum tamen legitimi vsurarum quanti leges tolerant, in casu, quo creditor, periculum sortem ipsam amittendi, suscipit, quia hoc casu, non tam vsura, quam praemium periculi suscepti subest. Spectat huc 1) FOENVS NAVTICVM, quod est *vsura pecuniae, quae ea lege trans mare vehitur, vt creditor, vsque dum nauis in portu adpulerit, eius periculum sustineat d)*.

§. 1279.

x) ORD. POL. IMP. de anno 1548. tit. 17. et de ao. 1577. tit. 17. *y)* L. 34. h.t. *z)* L. 38. §. 4. 7. h.t. L. 173. de R. I. *a)* LEYSER sp. 249. m. 4. *b)* L. 62. pr. de R. V. L. 20. §. 14. *de haered. petit.* *c)* L. 15. h.t. *d)* L. 1. D. h.t.

§. 1279. Pecuniae traiectitiae periculum ſuſtinet creditor. Ob hocce periculum creditori licet vltra legitimum vſurarum quantum ſibi aliquid ſtipulari, et vſurae centeſimae ſunt licitae (§. 1272.). Finito vero periculo, vtpote ſi pecunia ad portum ſeu locum deſtinatum peruenerit, ceſſat curſus foenoris nautici *e)*, Caeterum creditor non ſuſtinet periculum ipſius debitoris culpa ortum *f)*. pecuniae traiectitiae vſurae ſunt centeſimae.

§. 1280. Rarior apud nos occurrit nautici foenoris vſus. Frequentior eſt ASSECVRATIO. ſ. *conuentio, qua quis periculum* ~~*nauigationis, cauſa*~~ *alteri metuendum certo modo pro certo praemio in ſe recipit. Suſceptor periculi* ASSECVRATOR *et* ~~*praemium*~~, *quod pro periculi ſuſceptione ſoluitur*, PRAEMIE, *inſtrumentum ſuper hac conuentione conſcriptum*, POLIZZA vocari ſolet. Quantitas praemii ex arbitrio paciſcentium conuentione determinatur, quae ſeruanda eſt, licet quantum praemii legitimam vſurarum quantitatem excedat *g)*. aſſecuratio, et quae illi annexa.

§. 1281. Huc quoque ſpectat BODMERIA, quae nihil aliud eſt, quam *mutuum domino nauis ea lege datum, vt, ſi nauis carina ſalua redierit, cum foenore conuento reddatur.* Periculum igitur carinae nauis ſuſtinet creditor, qui naue pereunte nil recipit. Vnde et in hoc contractu pro magnitudine periculi maiores vſurae, quam ordinariae, tolerantur, minime tamen creditori ius pignoris in carina reuerſa competit, niſi illud expreſſe fuerit con- Bodmeria.

e) L. 1. et 4. C. h. t. *f)* L 3. C. h. t. *g)* MEIER *de aſſecurationibus mercatorum.* POPPE *de litium aſſecurationis cauſa orientium deciſione.* WERLHOF *de inſtrumento aſſecurationis vulgo Polizza.*

constitutum. *Instrumentum super hoc negotio confectum* vocari solet ein Byll-Brief *h)*.

contractus vitalitius.

§. 1282. Porro huc referri potest CONTRACTVS VITALITIVS, Leib-Renthen-Alimenten-Contract, qui est, *conuentio, qua quis vel omnia sua bona, vel eorum partem in alium ea sub conditione transfert, vt ad dies vitae certos reditus annuos praestet.* Qui vi huius contractus reditus percipit, substantiam bonorum ex contractu translatorum perdit. Et cum terminus vitae humanae incertus sicque periculum huic negotio subsit; reditus promissi debentur, quamuis eorum quantum legitimas superet vsuras. Imo si per modum alimentorum reditus promissi et pacto haud determinati sunt, secundum alimentarii conditionem ex arbitrio iudicis determinari possunt *i)*.

LIB. XIV. TIT. VI.
DE SENATVSCONSVLTO MACEDONIANO.

SCtiMaced. origo. nomen et dispositio.

§. 1283. Filiifamilias contrahendo se obligare (§. 1218.) et sic mutuam pecuniam sumere poterant. Quia vero mutua pecunia filiisfamilias materiam peccandi suppeditat, dum luxurioso vitae generi adsuescant, et adsuetis, si creditores in spem incertam vlterius credere nolunt, votum mortis paternae excitat; sub Tiberio imp. *k)* triste exemplum

h) BODINI diss. *de Bodmeria.* *i)* LINCK *de reditu vitalitio.* *k)* TACITVS *Annal.* lib. XI. c. 13. ast SVETONIVS *Vesp.* c. XI. Vespasianum huius SCti autorem praedicat. Vterque conciliatur, si dicimus, Vespasianum, sub Tiberio consulem, senatui huius SCti suasorem fuisse.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0022
DFG

plum improbi filiifam. cuius nomen Macedo *r)* fuit, occasionem praebuit Senatusconsulto Macedoniano, quo cautum est *m)*, *ne ei, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis eius, cuius in potestate fuisset, actio petitioque daretur.*

§. 1284. Senatus consultum Macedonianum non ad omne mutuum, sed tantum ad mutuam pecuniam pertinet. Extensus tamen est eius vsus ad eos contractus, quibus filiofamilias in fraudem SCti creduntur res, vt iis distractis vteretur pecunia *n)*, quod fit in contractu, quem barbaro nomine MOHATRAM vocant *o)*. Iura quoque statutaria in pluribus locis extendunt hoc SCtum ad omnia credita filiorumfamilias luxuriae et libidinis causa contracta.

extensio SCti ad contract. mohatrae et credita luxuriae causa data.

§. 1285. Ratio SCti in eo est, quod mutua pecunia filiofam. data et huic et patri sit pernicioſa. SCtum igitur non in filii solum, sed potissimum in patris fauorem est conditum *p)*. Hinc filiusfamilias viuo patre absque eius consensu huic senatusconsulto nec renuntiare *q)*, nec ratihabere mutuum, nec in praeiudicium patris soluere potest, potius pater extantes nummos vindicat, consumtos condicit *r)*.

SCt. in patris potissimum fauorem spectat, ideoque inuito patre illi renuntiari nequit.

l) THEOPHILVS ad §. 7. Inst. *quod cum eo, qui in aliena potestate.* Alii ex L. 1. pr. h. t. colligere volunt, Macedonem improbum foeneratorem fuisse. Ast alii iam monuerunt, verba legis citatae de filiofam. commode explicari posse. MARANVS *paratit.* h. t. HEINECCIVS D. P. III. §. 169. *m)* verba SCti exhibet L. 1. pr. h. t. *n)* L. 3. §. 3. L. 9. pr. et §. 3. h. t. *o)* CASP. ZIEGLER *de mohatrae contractu.* *p)* L. 3. §. 3. L. 9. §. 3. h. t. *q)* ne quidem renuntiatio iurata validam reddit filii obligationem, STRVBEN Bedenken. T. I. arg. 156. PVFENDORF T. II. obs. 171. *r)* L. 3. §. 2. h. t.

bene vero soluta P. P.

§. 1286. SCtum Macedonianum illi, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedit, actionem denegat (§. 1283.), minime vero simpliciter obligationem filiifamilias prohibet, et inde naturalis manet obligatio. Ex quo sequitur, vt filiusfamilias solutum condicere nequeat *s)* (§. 1198.), et sui iuris factus per agnitionem debiti obligationem validam constituere possit *t)*, quod etiam factum censetur *absolute*, si partem debiti soluerit *u)*, et *pro concurrente summa*, si pignora dederit *x)*.

ipse pater suo iuri potest renuntiare.

§. 1287. Quia SCt. Maced. patris potissimum fauorem respicit, sequitur, vt illud non habeat locum, si pater in mutuum pecuniarium filii consenserit *q)*. Obligatur igitur pater, si consentit 1) *expresse*, idque vel antecedenter, vel subsequenter per ratihabitionem *z)*, 2) *tacite*, scienter permittendo, vt filio filiaeue credatur *a)*, debitum ipso facto agnoscendo, vel pecuniam mutuam saepius absque contradictione soluendo *b)*; 3) *praesumte*, si mutuum in patris vtilitatem, vel in eos sumtus contractum est, quos ipse pater ferre debuisset *c)*.

exceptio SCti non ex officio, sed opposita attenditur.

§. 1288 SCtum Maced. obligationem ex mutuo filiifam. pecuniario non simpliciter prohibet, sed denegat solum actionem. Si vero creditor nihilominus actionem instituit, filiofamilias aeque ac patri eiusque haeredibus, fideiussoribus et mandatoribus, exceptio competit ad destruendam creditoris intentionem *d)*. Cui tamen filiusfam. mortuo patre

s) L. 40. *de condictione indebiti.* *t)* L. 7. C. h. t. *u)* L. 7. §. 16. h. t. *x)* L. 9. pr. h. t. *y)* D. 12. h. t. L. 4. h. t. *z)* L. fin. C. h. t. *a)* L. 12. 16. h. t. *b)* L. 7. §. 15. L. 13. D. et L. 2. C. h. t. *c)* L. 7. §. 2. 12. 13. D. L. 2. et 5. C. h. t. *d)* L. 7. §. 10. L. 9. §. 3. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0024
DFG

patre simpliciter, eo vero viuente, non nisi in casu, quo pater sciens non contradicit, renuntiare potest (§. 1286. et 1287.). Inde iudex hanc exceptionem non ex officio supplet, oppositam vero in omni iudicii parte, etiam in termino executionis, si in continenti liquida est, recte attendit *e)*.

casus, quibus cessat SCt.

§. 1289. SCtum Macedon. locum habet, si filiofamilias mutua pecunia est data. Si vero vel filiofamilias haud creditum, vel pecunia mutua non sit data, SCti Macedon. auxilium non inuenit locum. Hinc cessat SCti exceptio, 1) si filiofamilias peculii castrensis et quasi castrensis intuitu mutuum est datum *f)* (§. 157.). 2) Si se patremfamilias mentitus est *g)*. 3) Si creditor iusta ex causa eum pro patrefamilias habuit *h)*. 4) Si pupillus pecuniam credidit, quippe qui mutuum dare non potest (§. 1260.) *i)*, 5) minori contra SCt. Maced. succurritur per in integrum restitutionem *k)*. 6) Ecclesiis et ciuitatibus, quia iuribus minorum gaudent, beneficium restitutionis in integrum itidem denegari haud solet, quod tamen iuri non conuenit *l)*. Caeterum si filiofamilias mutua pecunia est data, locum habet SCtum, quamuis filiusfamilias eximiae sit dignitatis *m)*.

e) L. 11. h. t. *f)* L. 2. D. et L. 7. C. h. t. *g)* L. 1. C. et L. 3 D. h. t. *h)* L. 2. C. h. t. *i)* L. 3. §. 2. h. t. *k)* L. 3. citata. *l)* L. 15. h. t. *m)* L. 1. §. 3. h. t. ad hunc titulum faciunt ZIEGLER *de SCto Macedoniano*. HOMMEL *de mutuo filiifam. iam ante SCtum Maced. n. inualido*. REINOLD *ad SCtum Maced.* FROMMANN *de SCto Maced.*

Lib. XIII. Tit. VI.
COMMODATI VEL CONTRA.

definitio.

§. 1290. Commodatum, quod idem est ac commodo datum est *contractus realis, quo alteri rem ad certum vsum gratis ea lege tradimus, vt rem acceptam in specie restituat n).* Qui commodatum dat, *commodans*, qui illud accepit, *commodatarius*, vocatur. In commodato igitur 1) res ad vsum certum, et quidem 2) gratis, sub ea lege conceditur, vt 3) commodatarius rem in specie, id est, eandem rem, non aliam similem restituat. Et cum obligatio ad restituendum ex traditione nascatur; commodatum ad contractus refertur reales (§. 1073.).

differt a pacto de commodando.

§. 1291. Commodatum est contractus realis. Perficitur traditione, et quicquid non est traditum, ad id quoque non tendit commodati obligatio (§. 1073.). Inde differt commodatum, a pacto de commodando.

iura commodatarii.

§. 1292. In commodato res conceditur ad vsum. Inde 1) commodatarius non fit dominus *o)*, nec casum sentit, nisi pacto eum susceperit (§. 1091.) *p)*. Porro cum commodatum datur ad certum vsum, sequitur, vt 2) nec commodatarius rem ad alium, quam concessum vsum, adhibere *q)*, nec 3) commodans ante finitum vsum rem reuocare possit *r)*, nisi forsan ex necessitate improuisa sua re ipse indigeat (§. 1080.).

commodatum est gratuitum.

§. 1293. Quia in commodato vsus gratis conceditur (§. 1290.), illud non admittit pretium.

n) §. 2. I. *quibus modis re contr. oblig.* *o)* L. 8. et 9. h. t. Inde a mutuo differt. *p)* L. 18. 19. §. 3. h. t. Wernher P. IV. obs. 214. *q)* L. 5. §. 7. 8. L. 18. pr. h. t. *r)* L. 17. §. 3. h. t.

tium. Si igitur pro vsu aliquid praestandum est, contractus non commodatum, sed locatio conductio, aut contractus innominatus est, modo in ipso contractu aliquid pro vsu sit promissum. Quod ex liberalitate soluitur, commodatum in alium contractum haud mutat *s)*.

quaenam res commodato dari queunt, et obligatio commodatarii.

§. 1294. Commodatarius obligatur, vt rem in specie restituat. Hinc commodato dari queunt omnis generis res, quae vsum salua substantia praestant, etiam immobiles et alienae, saluo domini iure *t)*. Minime vero *res fungibiles* commodato dari queunt, nisi forte ad pompam vel ostentationem *u)*. Ipsa vero restitutio fieri debet 2) *bona fide*, quae non patitur, sub praetextu calumnioso restitutionem remorari, cum ne quidem dominii exceptio ab obligatione restituendi liberet *x)*. Deinde 3) commodatarius, quo magis rem in statu, quo eam accepit, restituere possit, eam *diligenter* custodire debet, et quia ex hoc contractu omnis vtilitas est commodatarii, is quoque 4) regulariter dolum et omnem culpam, etiam leuissimam, praestare debet *y)*, nisi forsan res vnice in commodantis, vel in vtriusque vtilitatem fuerit commodata, nam hoc casu leuis, illo lata solum culpa praestatur *z)* (§. 1088), 5) commodatarius impensas in rei conseruationem factas ferre debet, si earum quantitas pretium, pro vsu rei alias soluendum, non excedit *a)*.

s) L. 5. § 12. h. t. §. 2. Inst. *quibus modis re.* *t)* L. 1. 15. 16 h. t. *u)* L. 3. §. vlt. L. 4. h. t. *x)* L. 5. §. 12. D. L. fin. C. h. t. L. 20. *de adquir. vel amitt. possess* *y)* §. 2. Inst. *quibus modis re contr.* L. 5. §. 5. L. 18. pr. h. t. *z)* L. 5. §. 10. L. 12. h. t. *a)* L. 18. §. 2. h. t.

quatenus commodatarius damnum datum refarciat.

§. 1295. Quod si vero commodatarius rem in statu, quo eam accepit, restituere nequeat, illa aut casu periit, seu deteriorata est, aut non. Ibi, nisi pacto aliter sit conuentum, cessat obligatio restituendi (§. 1292.). Hic vero commodatarius, si dolo vel culpa res deteriorata vel restitui nequit, praestat id, quod interest (§. 1294. et 1096.), iuramento in litem, si dolus vel lata culpa commodatarii interuenit, aestumandum *b*). Plures commodatarii, si de re ipsa in specie restituenda agitur, vt et eorum haeredes, tenentur in solidum *c*) (§. 1102). Si ad aestumationem, vel id quod interest, agitur, singuli commodatarii et haeredes tenentur pro rata *d*), nisi forsan vnius dolo vel culpa res perierit aut deteriorata fuerit.

commodantis obligatio

§. 1296. Ex dictis patet, ex contractu commodati ab initio solum obligari commodatarium. Post contractum perfectum vero evenire potest, vt quoque commodans, si eius facto commodatarius in commodantis vtilitatem impensas fecit, aut damnum sensit, per accidens ad indemnitatem obligetur praestandam. Sic ad indemnitatem tenetur commodans, 1) si rem ad vsum non aptam sed nociuam dedit *e*), 2) si ante finitum vsum rem absque iusta causa repetiit (§. 1291.), 3) si aestumationem rei culpa commodatarii amissae accepit, et rem postea iterum recuperauit *f*), 4) si commodatarius impensas in rei conseruationem fecit non modicas (§. 1294.).

§. 1297.

b) L. 3. §. 1. et 2. h. t. *c*) L. 3. §. 3. L. 15. §. 15. h. t.
d) L. 21. §. 1. h. t. *e*) L. 18. §. 3. et L. 22. h. t.
f) L. 17. §. 5. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0028
DFG

§. 1297. Ex contractu commodati ab initio solus commodatarius, ex post per accidens quoque commodans obligatur. Sicuti vero commodatum est contractus nominatus, ideoque actionem simile cum contractu nomen habentem producit (§. 1073.); ita quoque ex commodato nascitur *actio commodati*, eaque vel DIRECTA, *quae commodanti aduersus commodatarium ad obligationes* (§. 1294. et 1295.) *expositas adimplendas*, vel CONTRARIA, *quae commodatario aduersus commodantem ad consequendam indemnitatem competit* (§. 1296.). actiones.

LIB. XVI. TIT. III.

DEPOSITI VEL CONTRA.

§. 1298. DEPOSITVM est *contractus realis, quo quis obligatur rem traditam gratis custodire, et quandocunque libuerit deponenti illam in specie restituere g).* Is, qui rei in specie restituendae custodiam committit, *deponens*, qui custodiam suscipit, *depositarius* vocatur. Ex definitione colligere licet, obligationem depositarii in eo consistere, vt 1) rei custodiam praestet gratis, 2) rem restituat in specie et quidem 3) quandocunque libuerit deponenti. depositum definitur.

§. 1299. Deponi autem queunt omnis generis res, propriae et alienae *h)*, mobiles et immobiles, modo quoad res immobiles sola custodia, et non simul administratio sit commissa. Si praeter custodiam administratio rei immobilis committitur, mandatum potius, quam depositum subesse intelligitur *i)*. res, quae deponi queunt.

g) L. 1. pr. h. t. *h)* L. 16. et L. 26. pr. h. t. *i)* L. 5. §. 4. D. *de praescr. verbis.*

depositum in sola custodia consistit, vsum et dominium non tribuit, datur tamen irregulare.

§. 1300. In deposito custodia principaliter est in obligatione. Inde 1) depositum ab aliis contractibus, in quibus custodia per modum accessionis in obligatione est, satis distinguitur. 2) Depositarius solum custodiam, minime vero rei depositae dominium, vel vsum, accipit, nec ius pignoris consequitur *k)*. Per pactum tamen ius pignoris aeque *l)*, ac ius vtendi *m)*, imo per accidens, si ius vtendi re fungibili deposita expresse vel tacite concessum, dominium rei depositae transire potest in depositarium *n)*. Inde distinctio in depositum *regulare* et *irregulare*. Posterius tamen, si re fungibili deposita ex concessione deponentis actu vtitur depositarius, transit in mutuum.

custodia praestatur gratis.

§. 1301. Depositarius custodiam rei alienae suscipit gratis. Ideoque nullam vtilitatem habet, sed vnice in deponentis vtilitatem tendit contractus depositi: Si pro custodia merces promissa, locatio conductio, si aliud, contractus est innominatus *o)*. Quod citra obligationem sponte soluitur, non mutat depositi contractum.

qualem culpam praestet depositarius.

§. 1302. Quia in deposito deponens omnem, depositarius nullam habet vtilitatem, depositarius non fert casum, sed dolum et culpam latam solum praestat *g)* (§. 1088.), nisi maiorem diligentiam promiserit *q)*, vel vltro se obtulerit (§. 1088.), vel in mora sit, quo casu et leuissimam praestat culpam *r)* (§. 1094.)

k) L. 29. pr. D. L. 2. C. h. t. *l)* L. 27. h. t. *m)* L. 13. *locati*. *n)* L. 10. D. *de rebus creditis*. L. 1. §. 34. h. t. Potest vsus tacite concedi, si pecunia deponitur non signata, vel vsurae rei depositae stipulatae, aut acceptae, L. 7. L. 24. 25. 26. h. t. *o)* L. 1. §. 8. 9. h. t. c. 7. X. h. t. *p)* L. 1. §. 4. 16. 20. sqq. ~~L. 47. h. t.~~ *q)* L. 1. C. h. t. *r)* L. 1. §. 35. L. 12. §. vlt. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0030
DFG

1094). Si dolo vel culpa lata depositarii res deposita vel perierit, vel deteriorata fuerit, depositarius de eo, quod interest, tenetur *s)*. Ob moram in restitutione commissam vsurae quoque praestandae *t)* (§. 1094.).

§. 1303. Porro depositarius obligatur, vt rem restituat *in specie;* non igitur licet aliam rem eiusdem generis reddere, nisi in deposito irregulari rei fungibilis. Cista clausa et signata deposita, si claustra et signa illaesa reperiantur, depositarius, nisi graues doli seu latae culpae adsint suspiciones, de singulis rebus cistae inclusis haud respondet, bene vero si signa vel claustra sint laesa *u)*, modo deponens probabiliter doceat, eiusmodi res fuisse inclusas, imo decisionem iureiurando legali committere potest iudex *x)*.

res deposita restituitur in specie, et cista depositata, quatenus de rebus inclusis teneatur.

§. 1304. Tandem depositi restitutio fieri debet, quandocunque libuerit deponenti (§. 1298.), licet res ad certum tempus fuerit deposita, et hoc nondum sit elapsum *y)*, imo iura omnes praetextus, quae restitutionem remorantur, damnant *z)*, ideoque nec compensationem admittunt (§. 1229.), res depositas arresto detineri vetant *a)*, nec exceptionem dominii ex parte actoris vel deficientis, vel reo competentis admittunt *b)*, nisi forsan rei dominium in continenti sit liquidum, et restitutio periculum amittendae rei inferat *c)*, vel impensae in rem depositam necessario factae iuri retentionis locum faciant (§. 1236.). Ipsa vero restitutio fit sumtibus deponentis, in

restitutio nullo sub praetextu debet remorari, perfidia notatur infamia.

s) L. 1. 12. C. h. t. *t)* L. 2. 3. 4. C. h. t. *u)* L. 1. §. 41. h. t. *x)* STRVV *exerc.* 21. th. 41. STRYCK V. M. h. t. §. 5. *y)* L. 1. §. 22. et 45. D. L. 11. C. h. t. *z)* L. 11. C. h. t. *a)* Nou. 88. c. 1. AVTH. *sed iam cautum.* C. h. t. *b)* L. 1. §. 39. h. t. *c)* L. 31. h. t.

in loco, vbi depositio facta *d*). Omnes hasce obligationes depositarius bona fide debet adimplere, quam si fallit, et perfidiam admittit, infamia coercetur *e*).

depositum miserabile.

§. 1305. Diuiditur depositum in SIMPLEX, *quod sit extra necessitatem fatalem*, et MISERABILE, *quod sit ob casum necessitatis fatalis*. v. gr. *incendii*, *ruinae*, *naufragii causa*. Illius nomine in simplum, huius vero nomine, si depositarius negat depositum, in duplum datur actio *f*).

actio depositi.

§. 1306. Ex contractu depositi ab initio solus obligatur depositarius (§. 1298.). Ast fieri potest, vt perfecto contractu deponens quoque obligetur ad indemnitatem depositario praestandam. Et hae obligationes, quia sunt perfectae, producunt actionem. Quae, cum ex contractu nominato sit, simile cum contractu nomen habet et *depositi* vocatur. Et quidem ab initio ex ipso contractu nascitur actio depositi DIRECTA, *quae competit deponenti eiusue haeredibus aduersus depositarium eiusue haeredes ad obligationes* (§. 1302. 1304.). *expositas adimplendas*. CONTRARIA vero DEPOSITI actio *competit depositario aduersus deponentem ad indemnitatem consequendam*.

quid, si plures deponentes, vel depositarii, eorumque haeredes, et quatenus de re distracta teneantur.

§. 1307. Ex pluribus deponentibus, vel pluribus deponentis haeredibus, si species deposita est, quilibet, praestita cautione, integram rem condicere potest. Si vero quantitas deposita, quamuis obsignata sit pecunia, quae auctoritate iudicis vel interuenientibus honestis personis resignanda est, singuli ratam suam recte petunt *g*). Plures depositarii

d) L. 12. pr. sq. h. t. *e*) L. 10. C. h. t. L. 1. §. 1. D. *de his, qui notantur infam.* *f*) L. 1. §. 1. h. t. *g*) L. 1. §. 36. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0032
DFG

rii haeredes pro ea parte, qua quilibet haeres est, tenentur, nisi vnus ex his speciem restituere possit, vel ex suo facto illicito in solidum obligetur *h)*. Re deposita ab haerede distracta, si bona fide hoc factum est, illa aut redimi potest, aut non. Priori casu res redimenda, posteriori casu, acceptum restituit haeres, vel actionem cedit *i)*. Si mala fide distractum distrahens in solidum (§. 371.), reliqui in subsidium pro rata tenentur haereditaria.

sequestrum non semper est depositum, et in voluntar. et necessar. diuiditur.

§. 1308. Ad depositi species certo modo refertur SEQVESTRVM, *quod est rei litigiosae custodia vel sola vel simul cum administratione commissa.* Si sola rei litigiosae custodia alicui commissa, sequestrum est species depositi *k)*, si vna cum custodia administratio alicui commissa, sequestrum mandati aut contractus innominati speciem constituit. Porro sequestrum aut consensu litigantium, aut iis dissentientibus a iudice constituitur. Prius VOLVNTARIVM, posterius NECESSARIVM dicitur *l)*.

sequestrum necessar. quando decerni potest.

§. 1309. In sequestro necessario iudex inuito aufert rei possessionem, eamque committit sequestro. Sicuti vero absque iusta causa inuito sua nequit auferri possessio (§. 420.), ita quoque sequestratio non habet locum, nisi iusta adsit causa *m)*. Talis est *periculum rei* durante lite amittendae, seu damni irreparabilis. Si periculum non adest, sequestratio decerni nequit. Inde locus non datur seque-

b) L. 7. §. 1. h. t. *i)* L. 1. §. 47. L. 2. 3. 4. h. t. *k)* L. 5. §. 1. L. 6. L. 17. pr. *l)* L. 39. *de adquir. vel amitt. poss.* L. 7. §. 2. *qui satisdare.* *m)* L. vn. C. *de prohibita sequestr.* MEVIVS P. II. decis. 246. LEYSER spec. 177. m. 1.

sequestrationi, si possessor sufficientem offert cautionem *n)*. An vero adsit periculum, indiget causae cognitione. Absque hac sequestratio decerni nequit *o)*. Caeterum sequestrum non pro lubitu, sed finita demum lite repeti potest. Ex sequestro mox depositi, mox mandati directa et contraria competit actio (§. 1308.).

LIB. XIX. TIT. IV.
DE
RERVM PERMVTATIONE.

contractus innominati regulares et irregulares: defin.

§. 1310. Sequuntur CONTRACTVS INNOMINATI. Qui sunt *conuentiones bilaterales nudae, quae per implementum promissi ab vno contrahentium acceptatum in contractum transierunt* (§. 1077.). Diuidi solent in *regulares et irregulares*. Quorum hi *specificum nomen habent*, illi vero *nomine carent specifico*.

contractus innominati a praestatione denominantur.

§. 1311. Contractus innominati regulares sunt, *qui nomine carent specifico*. Vt tamen diuersa horum contractuum genera aliquo modo a se inuicem distingui queant, leges a praestationibus promissis certa illis dederunt nomina. Inde quatuor recensentur species, nimirum, *do vt des*, *do vt facias*, *facio vt des*, *facio vt facias p)*. Et quidem praestatio eius, qui ex sua parte iam adimpleuit, semper praeponitur. Possunt quoque dictae praestationes misceri, et negatiue concipi.

Ex

n) ORD. CAM. P. II tit. 21. c. 2. 4. X. *de sponsal. duor.* c. 14. X. *de sponsal.* c. 13. *de restit. spol.* *o)* STRYCK V. M. h. t. §. 14. WERNHER P. III. obs. 231. P. V. obs. 9. de sequestro disputationes habemus HANNII, BECHMANNI, COCCEII, KOBII, LINCKII, BOECLERI, ZIEGLERI. *p)* L. 5. *de praescr. verbi.*

Ex quo diuiſio in contractus innom. *ſimplices* et *mixtos* explicanda eſt.

§. 1312. Irregulares contractus innominati ſunt 1) contractus *ſuffragii*, quo aliquid promittitur pro ſuffragio apud principem praeſtando, 2) contractus aeſtumatorius. 3) PERMVTATIO. Quae eſt *contractus, quo quis rem ea lege dat, vt pro ea alter aliam, de qua conuenit, reddat.* Eſt igitur permutatio contractus realis, bilateralis, oneroſus, dominii translatiuus, qui in plerisque naturam emtionis venditionis imitatur. A qua in eo potiſſimum differt, quod pro re alia res, minime vero certa pecuniae quantitas detur *q)*, quamuis et in permutatione interdum pecunia in ſolle dari, et pecunia cum pecunia commutari queat. Caeterum, quae de contractibus innominatis diximus, in permutatione quoque locum habebant iure Romano, aſt apud nos exulant (§. 1077.). Actiones vero ex permutatione eaedem, quae ex contractibus innominatis competunt.

contractus innominati irregulares.

§. 1313. Pro ſpecie permutationis habetur CAMBIVM, Wechſel. Quod eſt *conuentio, qua quis interueniente ſolenni ſcriptura pretio ab alio redimenda, ad rem vel pecuniam, alibi, reddita ſcriptura, praeſtandam ſe obligat. Qui pecuniam dat, vt accipiat cambium*, REMITTENS, *qui cambium dat*, TRASSANS, *qui ex cambio ſolutionem vrgere poteſt*, PRAESENTANS, *qui reddito cambio ſolutionem praeſtare ſe obligat*, ACCEPTANS vocatur. Interdum tamen vna eademque perſona traſſans et acceptans, imo vnus idemque remittens et praeſentans eſſe poteſt, ita vt cambiale negotium, quod regula-

cambium et perſonae, quae in illo concurrunt, defin.

q) L. 5. §. 1. de P. V.

gulariter quatuor requirit personas, inter duas vel tres quoque subsistere possit.

requisita cambii formalis et materialis.

§. 1314. Cambium est scriptura solennis. Solennitas vero in eo consistit, vt loquatur cambium 1) mentionem vocis Wechsel, 2) nomen eius, qui soluere debet, 3) diem, quo cambium datum, 4) tempus solutionis, 5) nomen eius, cui solutio facienda, 6) summam seu quantitatem soluendam, 7) valutae mentionem. Haec si adsunt requisita, cambium est formaliter tale. Si vero quis, posthabitis hisce requisitis, se ad praestationem obligat nach Wechsel-Recht, cambium materialiter solum adest.

processus cambialis, et quid proprium, quid trassatum.

§. 1315. Quia cambiale negotium quam maxime inseruit vtilitati commerciorum, illud quoque paratissimam producit executionem, ita vt obligatus ad solutionem, remotis omnibus exceptionibus in continenti haud liquidis, aut cambium iurato diffiteri, aut illud recognoscere, et recognitione facta solutionem praestare, aut carcerem ingredi teneatur. Ob haecce commoda haud raro, quae ex aliis debentur contractibus, in cambialem transmutantur obligationem. Inde orta est diuisio in CAMBIVM PROPRIVM, *in quo dator cambii est quoque acceptans*, et TRASSATVM, *in quo solutio tertio cuidam iniungitur*. Sicuti vero facto alterius tertius absque suo consensu non obligatur (§. 1078.); ita quoque is, in quem cambium trassatur, non obligatur, nisi per acceptationem. Hanc si denegat trassatus, quilibet alius cambium potest *honorare*. Si nemo honorare, vel acceptare velit, cambium cum protestatione trassanti est remittendum, qui ex hac remissione ad resarcienda damna, et quod interest, obligatur. §. 1316.

§. 1316. Dominus cambii vel ipse, vel per alium eius solutionem potest exigere. *Scriptura ipsis litteris cambialibus adiuncta, qua facultas cambii solutionem exigendi in alium a creditore transfertur*, dicitur INDOSSAMENTVM, quod per modum cessionis aeque, ac mandati fieri potest *r)*. indossamentum.

LIB. XIX. TIT. V.
DE
PRAESCR. VERB. ET IN FACT. ACTION.

§. 1317. Qui conuentioni nudae bilaterali ex sua parte satisfecit, contra alterum, vt suae quoque satisfaciat obligationi, agere potest (§. 1310.). Quia vero contractus innominati ex nudae conuentionis implemento oriuntur, ideoque propriam non habent formam (§. 1310.); satis patet, formulam actionis perpetuam in contractibus innominatis locum non habere, sed eam secundum factum propositum esse concipiendam. Inde actio ex contractu innominato competens, quia semper in factum erat formanda, in FACTVM *s)*, et quia pro diuersitate facti noua semper conci- actiones ex contr. innominatis.

r) Materiam iuris camb. vberius exponunt FRANCK *Inst. iur. camb.* LVDOVICI Wechselproceß. SIEGEL Wechselrecht. EIVSD. fürsichtiger Wechselgläubiger. ZIPFEL Wechselrecht. SIEGEL *corp. iur. camb.* HEINECCII *elem. iur. camb.* *s)* L. 1. pr. h. t. Caeterum actio in factum variae est significationis. Nam praeter actionem ex contractu innominato denotat 1) actionem praetoriam, L. 10. § 8. L. 14. *quae in fr. credit.* 2) actionem non ex legum verbis, sed earum analogia receptam, §. vlt. Inst. *de L. Aquilia.* 3) actionem, quae ex mera aequitate facti, deficiente alia actione, competit, L. 2. 3. 4. 11. h. t. L. 2. §. 2. L. 19. §. 2. *de precario.*

concipienda erat formula, PRAESCRIPTIS VERBIS *t)*, vt et INCERTA *u)*, dicitur.

CAPVT II.

CONTRACTVS VERBALIS.

LIB. XLV. TIT. I.
DE
VERBORVM OBLIGATIONIBVS.

verborum obligatio et ſtipulatio def.

§. 1318. VERBORVM OBLIGATIONES erant *contractus, qui ex verborum ſolemnitate ſuum habebant valorem* (§. 1073.). Romani enim cum ex nudo pacto, ne quis praecipitanter promittens damnum ſentiret, nullam admitterent actionem (§. 1070.) voluerunt, vt nuda promiſſa ad effectum agendi tunc demum ſeria crederentur, ſi ad interrogationem mediante reſponſione congrua eſſent facta. *Conuentio, qua quis per reſponſionem congruam ad interrogationem praeuiam ſe obligat, dicitur* STIPVLATIO *x)*. Quae ex verborum conceptione cauſam habebat ciuilem, et in contractuum numero erat, ſicque actionem producebat.

eſt l, certa l. incerta.

§. 1319. Stipulatio eſt conuentio (§. 1318.). Ea igitur, quae de conuentione in genere valent, de ſtipulatione quoque locum habent. Sicuti vero per conuentionem vel certa ſpecies, ſeu quantitas determinata, vel genus, factumue promittitur; ita quoque eadem in ſtipulatione valent. Prioris generis, ſtipulatio *certa*, poſterioris *incerta* dicitur *y)*. Illa con-

t) L. 1. 2. 3. 4 *de P. V.* L. 6. C. *de transact.* MERILIVS *obſ.* VIII. 16. *u)* L. 21. h. t. *x)* pr. I. et L. 5. §. 1. h. t. *de origine vocis* ſtipulatio. pr. I. h. t. LEYSERſp. 519. m. 1. *y)* L. 74. h. t.

condictionem certi, haec actionem ex ſtipulatu producit *z)*.

§. 1320. Sicuti conuentio vel pure, vel ſub conditione (§. 1100.), in diem, ex die (§. 1098.), et ſub modo (§. 1099.), ita quoque ſtipulatio fieri poteſt vel pure, vel ſub conditione, in diem et ex die, ac ſub modo. Et quae de conuentione pura, conditionata, in diem vel ſub modo concepta valent, valent quoque de ſtipulatione. Et de iisdem rebus, de quibus paciſci, ſtipulari quoque licet. Forma vero ſtipulationis conſiſtit in interrogatione congrua, id eſt, tali, quae exacte verbis interrogationis reſpondet. Inde, ſi pure rogatus, ſub conditione reſpondeat, vel contra, ſtipulatio inutilis eſt, niſi ſtipulator ſtatim adquieſcat *a)*. Porro nec inter abſentes, nec per epiſtolam, internuncium, literas fieri poteſt ſtipulatio *b)*, quamuis facta in ſcripturam redigi poſſit. Obligatio ex ſtipulatione eadem eſt, quae ex conuentione. Caeterum apud nos omnia pacta ſerio et deliberato animo inita de re, de qua paciſcentes diſponere poſſunt, producunt actionem, nulla verborum ſolennitatis habita ratione (§. 1076.).

quae de conuentione in genere valent, de ſtipulatione quoque valent, et forma ſtipul.

LIB. XLV. TIT. II.
DE
DVOBVS REIS CONSTITVENDIS.

§. 1321. *Si plures in ſolidum ſunt obligati*, obligatio dicitur CORREALIS (§. 1102.). Huiusmodi obligatio correalis exiſtit, 1) ſi *lex pluribus* obligationem in ſolidum imponit, v.

correalis obligatio quando locum habeat

z) pr. I. h. t. *a)* L. 1. §. 3. h. t. *b)* L. 12. I. *de inutil. ſtipul.*

gr. pluribus tutoribus coniunctim datis (§. 287.), 2) si *testator*, *cuius voluntas* lex est (§. 532.), plures haeredes in solidum teneri iussit *c)*, 3) in obligationibus ex delicto *d)*, 4) si plures solidum *promittendo* se obligarunt (§. 1103.), aut 5) res *praestanda* sit indiuidua (§. 1207.) *e)*.

correalis obligatio ex conuentione quid requirat.

§. 1322. Nuda pacta actionem haud producebant, nisi in stipulationis formam essent redacta (§. 1318.). Inde correalis obligatio conuentionalis per stipulationes erat constituenda. Sicuti vero correalis obligatio tunc demum adest, si plures ad vnam eandemque rem, ex vna eademque causa principaliter in solidum se obligarunt (§. 1102.); ita quoque correalis obligatio deest, si plures vel diuersas res, vel ex diuersa causa, vel solum in subsidium, vel saltim coniunctim, aut non in solidum, sammt und sonders, seu alle für einen, und einer für alle, se obligarunt, quia in posteriori casu singuli obligantur pro rata (§. 1099.) Deinde in correali obligatione vnus aliorum suscipit obligationem, sicque fit intercessio. Inde, qui intercedere prohibentur, correaliter se obligare nequeunt.

correi gaudent beneficio diuisionis, et vno soluente reliqui liberantur, qui tamen a correo conueniri poss.

§. 1323. Ex correali obligatione plures obligantur in solidum, ita tamen, vt in casu, quo reliqui sunt soluendo, diuisionis locum habeat beneficium (§. 1102.). Creditori quoque ius variandi, seu, vno electo adhuc alterum conueniendi, haud denegatur *f)*. Vno tamen quoquo modo soluente reliqui liberantur *g)*. Qui vero ex reliquorum voluntate sol-

c) L. 9. pr. L. 17. h. t. *d)* L. 11. §. 2. *ad L. Aquil.* L. 1. C. *de condict. furtiu.* *e)* L. 9. pr. h. t. *f)* L. 23. et 28. C. *de fideiuss.* LEYSER sp. 522. m. 6. *g)* L. 2. 3. h. t. L. 20. *ad SCt. Vell.* L. 16. pr. *de accepti.*

soluit, ratas correorum actione *mandati*, qui vero absque reliquorum consensu solidum praestitit, si socius est, actione *pro socio*, vel, si cessio interuenit, actione cessa *h)*, vel cessione quoque deficiente, actione negotiorum gestorum vtitur.

correi credendi.

§. 1324. Non solum plures in solidum se obligare, sed quoque stipulando sibi solidum adquirere possunt (§. 1102.). Plures, quibus solidum debetur, correi *credendi* dicuntur. Qui singuli solidum exigere possunt, ita, vt actione ab vno correo instituta, debitor alteri satisfacere nequeat *i)*. Vni vero si quocunque modo satisfactum, reliquorum ius agendi est extinctum *k)*. Solidum exigens reliquis ad communicationem tenetur, eamque in rem, si socii sunt, actio *pro socio*, vel si socii non sunt, *negotiorum gestorum*, vel existente stipulatione, actio *ex stipulatu* locum habet *l)*.

LIB. XLV. TIT. III.
DE STIPVLATIONE SERVORVM.

§. 1325. Seruus non sibi, sed domino adquirebat (§. 122). Ex seruorum igitur stipulatione domino adquirebatur *m)*, et si plurium dominorum communis esset seruus, cuilibet pro rata, nisi vnius iussu vel vni nominatim esset stipulatus *n)*. Haereditarii serui stipulationes haereditati prosunt *o)*. Ast hodie, mutata seruorum conditione, (§. 123.) vsus huius tituli cessat.

h) L. 2. C. h. t. *i)* L. 16. h. t. *k)* L. 2. 3. h. t. L. 31. §. 1. *de nouation.* *l)* L. 62. pr. *ad L. Falcid.* L. 43. *pro socio.* L. 63. *de rebus creditis.* *m)* L. 1. et 15. h. t. *n)* L. 5. 7. D. h. t. L. vlt. C. *per quas personas.* *o)* L. 35. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0041
DFG

LIB. XLVI. TIT. I.
DE
FIDEIVSSORIBVS ET MANDATORIBVS.

fideiussor defin.

§. 1326. FIDEIVSSOR est, *qui se obligat ad satisfaciendum, si debitor principalis suae haud satisfecerit obligationi* (§. 1105.). Fideiussor igitur suscipit obligationem alienam, non tamen principaliter, sed in subsidium, si debitor principalis non soluerit. Hinc fideiussio debitorem non liberat, nec eius obligationem tollit, sed securitatis causa principali accedit obligationi *p)*.

affinia fideiussionis, eorum differentia.

§. 1327. Quia nudae conuentiones actionem haud producebant (§. 1075.), fideiussio, vt effectum agendi haberet, mediante stipulatione geri debebat (§. 1318.). Inde differt a *constituto* alienae obligationis, quae tamen differentia, cum fideiussio stipulationem non amplius requirat, hodie cessat (§. 1319.). Deinde, cum fideiussor alienae accedat obligationi (§. 1326.), ille differt a *mandatore*, quippe cuius mandatum alienam obligationem nondum existentem praeponit, eamque antecedit *q)*. Porro fideiussio non liberat debitorem principalem (§. 1326.). Inde differt a *correali obligatione* (§. 1321.), et ab EXPROMISSIONE, quae est *conuentio, qua quis in locum debitoris principalis eius obligationem in se penitus transferendo se substituit r)*.

quinam fideiubere possunt.

§. 1328. Fideiussor suscipit alienam obligationem (§. 1326.). Illi igitur solum fideiubere possunt, qui alienam suscipere obligatio-

p) pr. I. h. t. *q)* L. 12. §. 14. h. t. *r)* L. 4. *de condict. causa data.* L. vlt. C. *ad SCt. Maced.* §. 3. I. *quibus modis tollitur obligatio.*

tionem non prohibentur. Hinc fideiubere nequeunt 1) omnes, qui generatim pacta inire haud possunt, 2) mulieres, 3) clerici pro debitis publicis et quaestus causa *s)*, 4) milites pro conductoribus praediorum rusticorum *t)*. Sunt quoque, qui fideiubere non prohibentur, eorum autem fideiussio obtrudi nequit creditori. Tales sunt omnes, qui creditori securitatem non praestant certam, e.gr. minores, potentiores, pauperes, alienae iurisdictionis, et sic quoque clerici et milites *u)*. Qui tamen semel admissi recusari postea nequeunt *x)*, nisi ex noua causa fiant inidonei.

quaenam obligationes fideiussionem admittant.

§. 1329. Quia fideiussor suscipit obligationem alienam (§. 1326.), fideiussio semper praeponit existentiam obligationis principalis. Admittunt vero fideiussionem omnis generis obligationes, siue naturales, siue ciuiles, siue ex licito, siue illicito facto *y)*, modo non sint, naturaliter, vel moraliter impossibiles *z)*, aut lex fideiussionis acceptationem prohibeat, quale factum in fideiussione pro marito apud vxorem *a)*. Obligatur quoque fideiussor, licet ex persona principalis debitoris existat impedimentum, efficiens, vt contra eum actio non habeat locum *b)*, dummodo naturalis non deficiat obligatio *c)*.

s) NOV. 123. cap. 4. X. *de fideiussor.* *t)* L. 31. C. *locati.* AYRER *de fideiussore milite.* T. I. opusc. p. 256. Nec desunt, qui clericorum et militum fideiussiones hodie indistincte declarant inualidas, LEYSER sp. 523. m. 3. 4. *u)* L. 8. §. 1. *qui satisd. cogantur.* *x)* L. 3. 4. h. t. L. 10. §. 1. *qui satisd. cogantur.* *y)* L. 1. 2. L. 8. §. 1. sqq. L. 6. h. t. *z)* L. 46. et 29. h. t. *a)* L. 2. C. *ne fideiussor. mandat. dotis dentur*, quae tamen dispositio hodie extra vsum est. MEVIVS P. II. decis. 367. LEYSER sp. 523. m. 8. adde EISENHART *de fideiussor. dotis.* *b)* L. 25. 60. h. t. *c)* L. 6. §. 2. L. 7. L. 16. §. 3. 4. h. t.

fideiussor, vt plus debeat, quam est in principali obligatione, se obligare nequit, et liberatur extincta obligatione principali.

§. 1330. Fideiussor non tam noui quid promittit, quam alterius obligationi accedit. Inde 1) fideiussor se obligare nequit, vt plus, vel aliud debeat, quam debet is, pro quo se obligat *d)*, quamuis nil obsit, quo minus efficacius se obligare queat, 2) extincta principali obligatione, liberatur fideiussor *e)*. Si igitur debitori principali competunt exceptiones non personalissimae, quae creditoris ius differunt, vel tollunt, easdem fideiussor non potest solum *f)*, sed quoque sub poena amittendi contra debitorem regressus, debet opponere *g)*.

fideiussio interpretationem extensiuam non admittit.

§. 1331. Fideiussio in securitatem, sicque in vtilitatem creditoris, vnice tendit (§. 1326.), ideo in dubio contra creditorem facienda est interpretatio (§. 1107.), et fideiussio, quae strictae est interpretationis, vlterius extendi nequit, quam quatenus fideiussor obligationem recepit. Hinc, 1) qui pro sorte fideiussit, ad vsuras ex propria mora ortas quidem tenetur, minime vero ad eas, quae ob moram debitoris debentur *h)*, nisi in omnem causam fideiussio fit facta *i)*, 2) fideiussio ad certum tempus facta vltra hoc tempus non extenditur, et creditor, qui intra hoc tempus contra debitorem actionem haud mouit, elapso tempore, contra fideiussorem actionem non habet *k)*, nisi forsan probare possit, illam contra debitorem ob eius lapsum bonorum iam durante fideiussionis

d) §. 5. Inst. L. 8. §. 7. h. t. *e)* L. 68. §. 2. h. t. *f)* L. 15. et 32. h. t. *g)* L. 95. §. pen. *de solution.* *h)* L. 68. §. 1. h. t. BERGER *El. disc. for.* P. I. p. 833. LEYSER sp. 524 m. 3. *i)* L. 54. pr. *locati.* L. 50. §. 2. h. t. LEYSER sp. 524. m. 5. *k)* L. 7. C. *locati.* L. 10. C. *mandat.* ROSSMANN *de fideiussione in diem.*

nis tempore fuisse fruſtraneam *l*). Differt tamen a fideiuſſione ad certum tempus fideiuſſio pro debito intra certum tempus contracto *m*).

quomodo fideiuſſor ab obligatione ſe liberare poſſit.

§. 1332. Qui absque determinatione temporis fideiuſſit, tenetur, donec principalis obligatio fuerit extincta. Iam vero fieri potest, vt creditor in longius differat exactionem crediti a debitore principali, ſicque periculum ſit, fore, vt debitor in praeiudicium fideiuſſoris deſinat esse ſoluendo. Inde fideiuſſor, vt liberetur ab obligatione, contra debitorem ipſum agere poteſt, 1) ſi ratione officii ſeu mandati fideiuſſit, 2) ſi debitor diu in ſolutione ceſſet, aut bona ſua diſſipare incipiat *n*). Poteſt quoque fideiuſſor 3) ipſum creditorem ad agendum prouocare ex lege *ſi contendat*, cuius prouocationis effectus eſt, vt creditor debitorem conuenire debeat, aut ſibi in perpetuum exceptionem excuſſionis dolo omiſſae opponi patiatur *o*).

fideiuſſor eiusque haeres, ſi debitor ceſſat, ſtatim conueniri poteſt.

§. 1333. Fideiuſſor in caſu, quo debitor principalis ſuam non adimplet obligationem, pro eo ſatisfacere tenetur (§. 1326.). Haecce fideiuſſoria obligatio in eius haeredes tranſit, et ſimulac debitor principalis in obligatione adimplenda ceſſat, fideiuſſor eiusque heredes ſtricto iure ſtatim poſſunt conuenire *p*). Plures quoque conuenire fideiuſſores, tan-

l) WERNHER P. VII. obſ. 34. *m*) PVFENDORF T. II. obſ. 42. *n*) L. 38. §. 1. *mand.* c. fin. X. *de fideiuſſor.* THOMASII diſſ. *de actione fideiuſſoris aduerſus debitorem, antequam ſoluit.* *o*) deducere volunt hoc remedium ex L. 28. h.t. aſt minus recte, dum vſu fori potius ſit receptum, nec L. 62. h.t. obſtat. *p*) L. 24. C. h.t. in terris Megapol. fideiuſſio haeredes, niſi expreſſe in eos ſit directa, non obligat. Rec. Aſſec. de 1621. §. 25.

quam correi, in solidum tenentur *q*). Ex aequitatis tamen ratione introducta sunt tria iuris beneficia, excussionis seu ordinis, diuisionis, et cedendarum actionum.

benefic. excussionis et diuisionis.

§. 1334. BENEFIBIVM EXCVSSIONIS *seu* ORDINIS est *beneficium iuris, quo fideiussor conuentus vrgere potest, vt creditor prius debitorem principalem conueniat, et a fideiussore plus, quam quod a debitore recipere non potuerit, haud exigat r*). BENEFICIVM DIVISIONIS est *ius fideiussori, qui plures habet confideiussores, in casu, quo in solidum conuentus est, competens, vi cuius exigere potest, vt actio diuidatur, et creditor, quemlibet fideiussorem, qui soluendo existit, pro rata sua prius excutiat s*). Vtrumque beneficium in haeredes transit *t*), obligationem vero fideiussoris non absolute, sed solum per accidens tollit, si creditor a debitore principali plenariam, vel a confideiussoribus pro rata, satisfactionem consequitur.

haec beneficia peti debent, eorumque renuntiatio locum habet, modo sit specialis.

§. 1335. Beneficia non obtruduntur. Hinc quoque ordinis et diuisionis beneficia 1) dantur solum petentibus, non ex officio. Allegari vero possunt in quacunque iudicii parte, 2) eorum renuntiatio locum habet, quae tamen non praesumitur, ideoque specialiter fieri debet, nec generalis renuntiatio omnium exceptionum, aut obligatio: als Selbst = Schuldner beneficium ordinis, nec obligatio in solidum, diuisionis beneficium, excludit *u*). Pro excusso vero habetur debitor, de quo constat, quod soluendo non sit.

§. 1336.

q) L. 3. C. h. t. *r*) L. 13. h. t. Nov. 4. c. 1. LAVTERBACH *de beneficio excussionis.* GVNDLING *singularia de beneficio excuss. capita.* *s*) §. 4. Inst. L. 26. D. L. 10. §. 1 C. h. t. LAVTERBACH *de beneficio diuisionis.* *t*) L. 27. §. 3. h. t. *u*) CARPZOV P. II. C. 57. def. 5. PVFENDORF T. II. obs. 43.

§. 1336. [18] Fideiussor in subsidium pro debitore principali soluere tenetur (§. 1320.). Ideo contra eum eiusue haeredes, quia fideiussio fit per stipulationem (§. 1227.), actio ex stipulatu locum habet (§. 1309.). Quae etiam competit fideiussori aduersus *fideiussorem succedaneum* Rückbürgen, *qui in securitatem fideiussoris spopondit* x), vt et aduersus *indemnitatis fideiussorem*, qui se *obligauit in casum, quo creditor ex conuentione debitoris principalis quid damni haberet* y). Praestita vero a fideiussore solutione, vel saltim facta eius condemnatione, contra debitorem principalem eiusque haeredem locum habet regressus z), ad repetendum id, quod est solutum, et quidem, si fideiussio ex voluntate debitoris suscepta est, actio *mandati* a), si pro ignorante debitore, *negotiorum gestorum actio* competit. Quam tamen non habet, qui pro inuito fideiussit. Imo generatim non datur regressus, si fideiussor culpa sua condemnationi causam dedit. Hinc consilii est, vt fideiussor conuentus litem debitori denuntiet.

fideiussor succedaneus et indemnitatis, et actiones contra eum

§. 1337. [19] Qui ex fideiussione pro inuito suscepta soluit, non habet regressum, nisi forsan a creditore actiones cessae sint fideiussori. In fauorem igitur fideiussorum introductum est *beneficium cedendarum actionum*, vi cuius fideiussor exigere potest, vt creditor ante solutionem suas ei cedat actiones c). Prodest hoc beneficium non solum illi, qui pro inuito fideiussit, sed quoque confideiussori,

beneficium cedendarum actionum.

x) L. 8. §. vlt. L. 27. §. 2. h.t. y) LAVTERBACH et THOMASII disp. *de fideiussore indemnitatis.* LEYSER sp. 523. m. 9. 10. 11. z) L. 18. 45. 64. 72. h.t. a) L. 25. D. L. 14. C. h.t. b) L. 67. h.t. c) L. 17. L. 41. §. 1. h.t. L. 76. *de solution.*

sori, qui solidum soluit, aduersus confideiussores, quippe quibus inter se non competit actio, ad suam ratam soluendam *d)*; imo generatim vtilitatem affert, quatenus actio cessa pinguior est actione mandati, vel negotiorum gestorum *e)*.

LIB. XLVI. TIT. V.
DE STIPVLATIONIBVS PRAETORIIS.

§. 1338. Sicuti ea, quae apud magistratum fiebant, *in iure*, et quae apud iudicem pedaneum, *in iudicio* agi dicebantur; ita quoque stipulationes, quae praetoris iussu factae, PRAETORIAE, et iniunctae a iudice, IVDICIALES dicebantur. Praetoriae stipulationes rursus diuiduntur in IVDICIALES, quae *iudicii causa, vt ratum fiat, praestantur*, e. gr. *iudicatum solui, in nuntiatione noui operis*, CAVTIONALES, *quae praestantur ratam rem haberi*, COMMVNES, *quae iudicii sistendi causa fiunt f)*. Hasce stipulationes, si dubiae sint, praetoris est interpretari *g)*.

LIB. XLVI. TIT. VI.
REM PVPILLI VEL ADOLESCENTIS SALVAM FORE.

De satisdatione tutorum curatorumue iam supra (§. 280.) diximus. Huiusmodi satisdatio fiebat per fideiussores sicque mediante stipulatione (§. 1319.).

LIB.

d) L. 39. D. et L. 11. C. h. t. WERNHER *de actione cessa aduersus confideiussores in solidum compet.* PVFENDORF T. IV. obs. 62. *e)* L. 13. h. t. Materiam de fideiussione vberius illustrant HERING *de fideiussorib.* IO. LVD. SCHMIDT *de fideiussore plane non obligato. f)* L. 1. h. t. *g)* L. 9. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0048
DFG

LIB. XLVI. TIT. VII.
IVDICATVM SOLVI.

Cautio iudicatum ſolui, de qua infra itidem per ſtipulationem praeſtanda erat.

LIB. XLVI. TIT. VIII.
RATAM REM HABERI ET DE RATIHABITIONE.

§. 1339. Cautionem rati praeſtant, qui alterius nomine in iudicio absque mandato vero agunt *h)*. Is, qui hanc cautionem praeſtitit, obligatur ad efficiendum, vt principalis geſta ratihabeat, aut, ſi hoc efficere non poſſit, praeſtet id, quod intereſt *i)*. Caeterum haec cautio regulariter per fideiuſſores, in ſubſidium per pignora praeſtari debet.

LIB. XVI. TIT. I.
AD SCTVM VELLEIANVM.

§. 1340. Occaſione fideiuſſionis foeminis prohibitae occurrit SCtum Velleianum, quod ſub Claudio imperatore conditum, et ab eius auctore *Velleio Tutore*, Conſule, Velleianum nuncupatum, prohibet mulierum interceſſiones *k)*. Eſt autem INTERCESSIO *actus, quo quis alienam in ſe ſuſcipit obligationem l)*. Quod fieri poteſt 1) *acceſſorie*, per fideiuſſionem et conſtitutum *m)*, 2) *principaliter*, per expromiſſionem, nouationem, et promiſſum pro altero factum *n)*, 3) *correaliter*

SCti Velleï. origo, et quid ſit interceſſio, et quae eius ſpecies, explicatur.

b) L. 35. 40. §. vlt. *de procurator.* L. 1. C. eod. *i)* L. 5. L. 12. §. 1. L. 17. ſqq. h. t. *k)* L. 2. pr. et §. 1. h. t. *l)* L. 8. §. 1. D. et L. 1. 4. C. h. t. *m)* L. 6. 9. D. L. 3. C. h. t. *n)* L. 1. §. 2. L. 8. §. 8. et 14. D. L. 1. C. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0049
DFG

ter o), 4) *per oppignorationem rerum* pro alterius obligatione factam *p)*. Hae vero interceſſionis ſpecies omnes SCto Velleiano ſunt interdictae *q)*.

ratio prohibitae interceſſionis mulierum.

§. 1341. Prohibet SCtum Velleianum mulierum interceſſiones. Ratio huius prohibitionis in eo latet, quod 1) Romani interceſſionem, quae plerumque in coetibus peragebatur virorum, ad officia referrent ciuilia et virilia *r)*, ab his vero foeminae erant excluſae *s)*; 2) quod foeminae ob ſexus imbecillitatem ad interceſſionem facile induci poſſint, et inde rei familiaris patiantur detrimentum *t)*. Ex quibus rationibus ſimul patet, Velleianum SCtum legibus prohibitiuis eſſe annumerandum *u)*.

*

mulieres quae? iisque omnis interceſſio prohibita.

§. 1342. SCtum Velleianum prohibet mulierum interceſſioues. Mulieres hic intelliguntur omnes ſexus foeminei perſonae, ſiue virgines, ſiue viduae, ſiue vxores ſint *x)*. Et quia omnis interceſſio mulierum eſt prohibita, nihil intereſt, ſiue pro extraneo, ſiue pro marito, ſiue pro maſculo, ſiue pro foemina fieret interceſſio *y)*.

remedia, quae mulieri intercedenti competunt.

§. 1343. Quia SCtum Velleianum legibus prohibitiuis annumeratur; obligationi mulierum ex interceſſione omnis ademta eſt efficacia, ita, vt nequidem naturalis obligatio aliquem producat effectum *z)*. Inde mulier aut iam

o) L. 17. et 18. h. t. *p)* L. 5. 7. C. h. t. *q)* L. 2. §. 4. h. t. L. 1. 4. C. h. t. *r)* L. 2. §. 1. h. t. Naturam officior. ciuilium et virilium expoſuit HELLFELD in diſſ. *de condict. mul. interced. competent. s)* L. 1. §. 5. *de poſtul.* L. 18. C. *de procur.* L. 2. de R. I. *t)* L. 2. §. 2. L. 1. §. 1. h. t. *u)* PAVLLVS *recept. ſent.* lib. 11. tit. 11. adde L. 1. 2. §. 1. h. t. *x)* L. 15. *de auro et argento.* L. 2. h. t. *y)* LEYSER ſpec. 169. m. 2. *z)* L. 16. §. 1. D. L. 9. C. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0050
DFG

iam ſoluit ex interceſſione, aut non. Priori caſu ſolutum indebiti condictione repeti poteſt (§. 1199.). Poſteriori caſu pignora data vindicantur vel condicuntur *a)*, et actio ex interceſſione inſtituta eliditur per exceptionem SCti Velleiani *b)*. Porro ex correali obligatione mulier vltra ratam haud tenetur *c)*, et ſimul cum maſculo pro alio intercedens ab obligatione liberatur, ac maſculus ſubducta muliere ſolus obligatur *d)*.

§. 1344. Ex interceſſione contra mulieres nulla competit actio. Si vero cum interceſſione aliud concurrit negotium, ex quo obligatio locum habere poteſt, mulier, non obſtante interceſſione, conueniri poteſt. Inde actio contra mulierem locum habet 1) ob dolum, ſi in interceſſione callide et doloſe eſt verſata *e)*, quod et factum intelligitur, ſi ſciens, ſe non teneri, interceſſit. Quae ſcientia iis quoque adeſſe praeſumitur, quae conſiliariis inſtructae, ex horum conſilio interceſſerunt *f)*, ~~aut poſt biennium interceſſionem pro extraneo factam~~ repetierunt *g)*; 2) ſi factum donatio ~~magis quam interceſſio~~ eſt. ~~Inde mulier obligatur, ſi pro libertate, pro dote interceſſit, aut ſcienter indebite ſoluit~~ (§. 1199.) *h)*, 3) ſi haeres facta eſt debitoris principalis *i)* (§. 515.), 4) ſi pretium fideiubendi, licet hoc ſummam, pro qua interceſſio facta, non aequet, mulier accepit, et hoc inſtrumento publico confeſſa eſt, vel

bene vero mulier obligatur, ſi cum interceſſione aliud concurrit negotium.

§. 1346.

a) L. 32. § 1. D. L. 5. 7. C. h. t. *b)* L. 40. *de condict. indeb.* L. 2. 3. 16 C. h. t. *c)* L. 17. § 2. L. 18. h. t. *d)* L. 48. D. *de fideiuſſ.* L. 8. C h. t. *e)* L. 2. §. 3. L. 30. D. L. 15. 18. C. h. t. *f)* HERING *de fideiuſſ.* c. 7. n. 5. 17. ſqq. *g)* L. 22. C. h. t. AVTH. *ſi qua mulier.* C. h. t. *h)* L. 24. 25. C. h. t. *i)* L. 8. §. 13. h. t.

vel alio modo legitime probari possit *k)*, dum hoc casu ex contractu do vt facias obligationem suscepit. 5) Si indemnis fuerit praestita, aut obligatio principalis, pro qua intercessit, in eius vtilitatem vergat. Nam in duobus hisce casibus mulier suum potius, quam alienum negotium gessit *l)*. 6) Si mercaturam exercens mulier ex causa mercaturae pro alio se obligauit *m)*.

quatenus SCto renuntiari queat.

§. 1345. SCtum Velleianum est lex prohibitiua. Huic cum renuntiari haud possit, renuntiatio quoque Senatusconsulti Velleiani est inualida. Quia vero mulier, quae sciens, se non teneri, pro extraneo intercessit, intercessione obligatur (§. 1344.), satis patet, mulierem pro extraneo intercedentem in casu, quo SCto Velleiano, praeuia eius certioratione, renuntiauit, huius SCti exceptione vti haud posse *n)*. Minime vero iure Rom. renuntiatio intercessione pro marito, quippe quae ex metu facta praesumitur, valida est, licet illa praeuia certioratione multoties, etiam post biennium, fuerit reiterata *o)*. Ast iure canonico, quod omnia iuramenta, quae salua aeterna salute seruari possunt, seruari iubet, valida censetur renuntiatio iurata SCti Velleiani praeuia certioratione in priuato licet instrumento facta *p)*. Mortuo marito facta intercessio valet,

k) L. 23. C. h. t. *l)* L. 15. 16. 19. h. t. Nov. 134. c. 8. *m)* HERING *de fideiuss.* c. 7. n. 406. BOEHMER *de efficaci mul. intercessione.* IDEM apud SCHOTT iuristisches Wochenblatt. P. III. §. 535. I. P. LVDEWIG *de SCto Vellei. exule.* THOMASIVS *de vsu exiguo SCti Vellei.* *n)* L. 32. §. 4. h. t. *o)* Nov. 134. c. 8. AVTH. *si qua mulier.* C. *ad SCt. Vellei.* *p)* C. 28. X. *de iureiurando.* G. L. MENCKEN *de* vali-

let, si praeuia certioratione vidua SCto renuntiauit *q*).

exceptio SCti quomodo prosit.

§. 1346. Mulier ex interceſſione conuenta exceptione SCti Vellei. ſe tueri poteſt. Et quidem contra omnes, etiam aduerſus minorem, qui tamen, ſi debitor principalis eiusque fideiuſſor non eſt ſoluendo, contra SCtum reſtituitur in integrum *r*). Per hanc exceptionem tollitur actio ex interceſſione mota, et creditor debitorem conuenire debet principalem, contra quem actio manet ſalua, quamuis mulier expromittendo eius obligationem ſuſceperit *s*), et creditor mulieris haeres ſit factus *t*). Porro haec exceptio non mulieri ſolum, ſed quoque eius haeredibus, et omnibus illis, qui pro muliere ſe obligarunt, prodeſt *u*), et in omni iudicii parte etiam ad effectum litis ingreſſum impediendi, et in termino executionis poteſt vrgeri *x*), modo in duobus hiſce caſibus liquido conſtet, obligationem adeſſe ex interceſſione.

caſus, qui nullam continent interceſſionem.

§. 1347. SCtum Velleianum interdicit mulierum interceſſiones. Interceſſio tunc demum adeſt, ſi mulier alienam in ſe recepit obligationem. Vbi igitur mulier alienam non ſuſcepit obligationem, SCti ceſſat auxilium.

valida interceſſ. mulieris SCto Vellei. renuntiantis. ENGELBRECHT *de renuntiatione SCti Vellei. priuato inſtrumento facta.* *q*) GRELL *de interceſſ. pro debit. mor. ſup.* TENZEL *de vidua defuncti mar. debita ſuſcipiente, an gaudeat benef. SCti Vellei.* et AVTH. *ſi qua mulier.* MEVIVS P. VII. deciſ. 229. LEYSER ſp. 172. m. 8. *r*) L. 12. *de minoribus.* PVFENDORF T. III. obſ. 73. *s*) L. 8. §. 9. 14. 15. L. 32. §. fin. D. et L. 16. C. h. t. *t*) L. 8. §. 12. h. t. *u*) L. 8. §. 4. L. 30. §. 1. D. L. 14. 15. 20. C. h. t. *x*) L. 11. *ad SCt. Macedon.*

lium. Inde SCtum non habet locum 1) si foemina conuenitur ex negotio, quod ad illam ab initio spectabat *y)*, 2) si ad satisfactionem propriae obligationis a suo creditore alteri est delegata *z)*, 3) si suum negotium alicui commisit, et ex eius gestis se obligatam agnouit *a)*, si non tam alterius obligationem suscepit, quam potius pro eo statim soluit, vel debitori pignora reddit, aut illa ab obligatione liberat *b)*.

CAPVT III.

CONTRACTVS LITERALIS.

Contractus literalis est itidem vnicus scilicet chirographarius, cui opponi solet exceptio non numeratae pecuniae. Hoc vero contractu apud nos deficiente in mutuum transit negotium.

CAPVT IV.

CONTRACTVS CONSENSVALES.

LIB. XVIII. TIT. I.

DE

CONTRAHENDA EMTIONE ET DE PACTIS INTER EMTOREM ET VENDITOREM COMPOSITIS, ET QVAE RES VENIRE NON POSSVNT.

definitio. §. 1348. EMTIO VENDITIO est *contractus consensualis de dominio rei pro certo pretio alteri tradendo.* Est igitur emtio venditio 1) contractus consensualis, 2) qua contrahentes conueniunt de rei dominio tradendo, et

y) L. 10. 12. 13. C. h. t. *z)* L. 8. §. 2. et L. 24. pr. h. t.
a) L. 19. pr. et §. 1. seq. *b)* L. 5. 8. D. et L. 1. 4. C. h. t.

et quidem 3) pro certo pretio.+ Haec sunt tria essentialia, quibus perficitur E. V.

+ in pecunia numerata consistente.

§. 1349. Emtio venditio, tanquam contractus consensvalis, fit consensu *c)*. Illa igitur ob dolum et errorem, qui contractui causam dedit, nulla est (§. 1060. 1063.), secus, si dolus solum fuit incidens, quippe qui actione emti vel exceptione doli purgatur *d)*. Ob vim et metum itidem inualida est emtio venditio (§. 1065.) *e)*. Et nemo ad emendum vendendumque cogi potest, nisi publica salus aliud postulet *f)*.

dolus, errorue, quatenus nullam reddant E. V.

§. 1350. Quia emtio venditio solo perficitur consensu, ad eius perfectionem, nec scriptura, nec arrha, nec alia quaedam solemnitas requiritur *g)*, sed illa statim, ac contrahentium consensus de dominio rei pro certo pretio transferendo existit perfecta est *h)*, nisi forsan 1) leges prouinciales solemnitatem quandam praescribant obseruandam, prout in emtionibus venditionibus, quae fiunt sub hasta, vel auctione publica, videmus *i)*, 2) partes inter se conuenerint, vt emtionis contractus a scriptura perfectionem capiat, quo casu obligatio non adest, donec scriptura absoluta, in mundum redacta, praelecta, et subscripta sit *k)*. Citra hocce pactum scriptura probationis solum causa accessisse praesumitur.

solus consensus perficit E. V. nisi lex vel conuentio solemnitatem vel scripturam requirant.

§. 1351. In E. V. contrahentes conueniunt de re transferenda (§. 1348.). Vendi igi-

res, quae vendi possunt, et quae vendi prohibentur lege.

c) L. 9. D. L. 7. 12. C. h. t. *d)* L. 7. pr. L. 9. *de dolo.* L. 13. §. 4. 5. *de action. emti.* *e)* L. 3. *de rescind. vend.* L. 9. §. 3. *quod metus causa.* *f)* L. 11. et 14. C. h. t. L. 1. C. *de rescind. vend.* *g)* L. 2. §. 1. L. 35. D. L. 11. C. h. t. *h)* L. 1. §. vlt. D. et pr. Inst. h. t. *i)* HOMMEL *de solemnibus venditionum.* *k)* L. 17. C. *de fide instr.* pr. Inst. h. t.

igitur possunt omnis generis res, quarum dominium in alterum transferri potest, siue iam existentes, siue futurae sint *l)* (§. 1067.), siue corporales, siue incorporales *m)*, etiam alienae, eatenus, ut salvo domini iure, inter emtorem et venditorem obligatio sit perfecta *n)*. Inde quoque valet venditio, qua emtori res sua venditur, si vel ab initio hoc agitur, possessionem emat, quam venditor habuit, et in iudicio possessorio potior est, vel venditor ius in re habuit. *o)*. Minime tamen vendi queunt res, quarum alienatio est interdicta *p)*. Interdicit autem alienationem 1) *lex* et quidem vel *absolute*, vt plane non valeat alienatio, vel *certo respectu* v. gr. *temporis*, *personarum*, *modi p)*. Vtroque casu venditio, contra legis prohibitionem suscepta, nulla est, et ven-
§. 14. ditor ad tradendum haud obligatur, nec dominium in emtorem transit *q)*, nisi forsan lex salvo contractu poenam solum statuat aut alienationem in praeiudicium tertii factam, non vero ipsum contractum, prohibeat. Nam hoc casu valet contractus inter contrahentes, salvo iure tertii, sicque per accidens alienatio potest conualescere, si tertius legitime consentit, vel saltim alienationem non impugnat. Minime vero ipse venditor traditione facta rem a se ipso tradi-

l) L. 8. §. 1. L. 39. §. 1. L. 78. §. vlt. h. t. L. 12. et 25. *de actione emti.* *m)* L. 80. §. 1. h. t. *n)* L. 28. h. t. L. 30. *de actione emt.* L. 34. § 4. D. h. t. *o)* L. 34. §. 1. Venditor vero, qui ignoranti emtori rem alienari prohibitam sciens vendidit, ad interesse tenetur, L. 34. §. 3. et L. 62. §. 1. h. t. *p)* Alienari absolute prohibentur res sacrae, religiosae, sanctae, liberi homines, L. 6. 34. 70. h. t. et certo respectu, res minor. dotales, litigiosae, etc. *q)* L. 62. §. 1. h. t. LEYSER sp. 190. m. 4.

traditam potest vindicare, excepto casu, quo simul emtori rei *adquisitio est interdicta.* Lex venditionem prohibens post contractum perfectum superueniens impedit traditionem nondum factam *r).* Quatenus venditio rei non existentis obliget, determinari potest ex (§. 1081.). In his vero casibus emtor bonae fidei condicere potest pretium *s).*

testamento vel pacto.

§. 1352. Interdum quoque interdicta est venditio 2) *per testamentum*, quo testator rem quandam alienari vetat *t).* Ob hanc prohibitionem res alienari nequeunt, alienatas vero non quidam alienans, aut fideicommissarius, vel is, cuius interest, suo tempore vindicare potest *u),* 3) interdum quoque *pactum* obstat, ne res vendi queat *x).* Sicuti vero pacta pacisentes solum, eorumque haeredes, minime vero tertium obligant (§. 1078.), ita quoque non contra emtorem rei per pactum alienari prohibitae, sed aduersus venditorem ad id, quod interest, actio institui debet *y).* Nisi forsan tertius possessor qualitatis rei gnarus eam sciens comparauerit *z),* vel venditor rem sub ea conditone adquisiuerit, vt in casu alienationis eius dominium pro non translato haberetur *a).*

pretium si pro parte in pecunia consistit, an E. V. an permutatio.

§. 1353. In emtione venditione res traditur pro pretio (§. 1348.), quod in numerata

r) LEYSER sp. 190. m. 2 3. *s)* L. 41. §. 1. et L. 57. pr. L. 62. §. 1. h. t. *t)* L. 69. §. 3. *de legatis* 2. *u)* L. 1. C. *comm. de legat.* GAIL. l. 1. obs. 16. n. 17. *x)* L. 7. C. *de rebus al. non alien.* L. 7. C. *si mancipia ita. y)* L. 61. *de pactis.* L. 81. §. 1 h. t. L. 2. C. *de pactis inter emt. et vend.* *z)* CARPZOV P. I. C. 32. def. 12. WERNHER P. II. obs. 425. *a)* L. f. C. *de pactis inter E. et V.* L. 3. C. *de condict. ob causam datam* WERNHER P. IV. obs. 130. MVLLER *de prohibitione alien. conuentionali.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0057
DFG

rata pecunia consistere *b)*, nec in solle dari debet *c)*. Si res pro re datur, non venditio, sed permutatio est. Si partim res, partim pecunia datur, videndum, 1) quicquid ab initio sit actum. Si ab initio statutum est pretium, contractus manet venditio, licet postea loco pretii res quaedam in solutum dentur *d)*. Vbi non constat, quid actum, 2) si plus sit in pecunia, emtio erit, si plus in re, permutatio. Si dubium, an plus in re, an in pecunia sit, emtio praesumitur *e)*. Permutatio vero ab emtione multis differt nominibus *f)*.

pretium debet esse certum.

§. 1354. Debet autem pretium 1) esse CERTVM (§. 1348.), id est, *eius quantitas debet esse determinata.* Determinant autem contrahentes vel ipsam quantitatem, vel solum modum, quo illa certa fieri debet. *Ibi* emtio statim est perfecta. Modus vero, quo quantitas determinari debet, duplex esse potest. Nam aut per relationem ad aliam quantitatem *g)*, aut per arbitrium tertii cuiusdam pretium certum fieri debet *h)*. Ibi subsistit emtio venditio, si quantitas relata existit certa *i)*. Hic vero valet contractus, si 1) contrahentes de persona eius, cui arbitrium deferendum, conueniunt, et 2) electa persona pretium definiat, cui standum est, nisi manifesta eius sit iniquitas, quae corrigi potest per iudicium bonae fidei, vel contractus ob laesionem vltra dimidium rescindi. Corruit vero emtio venditio, si tertius pretium determi-

b) §. 2. Inst. L. 1. §. 1. h. t. *c)* L. 16. *de condict. causa data.* *d)* L. 6. § 1. et L. 21. §. 4. *de action. E. V.* *e)* §. 2. Inst. h. t. WERNHER P. IX. obs. 60. *f)* L. 1. h. t. et L. 1. C. *de rer. permut.* *g)* L. 7. §. 1. h. t. L. 6. *de rebus creditis.* *h)* §. 1. Inst. h. t. L. vlt. C. h. t. *i)* L. 37. h. t.

terminare noluerit, vel non potuerit *k)*. Nulla quoque est, si pretium in vnius ex contrahentibus arbitrium est collatum *l)*.

§. 1355. Porro 2) pretium sit IVSTVM, quod est *aequale pretio rei venditae*, Pretium autem rei venditae determinat vel lex seu magistratus, vel conuentio contrahentium. Prius *legale m)*, posterius *conuentionale* dicitur. Pretium legale exacte seruandum est, et minima laesio ex inaequalitate oriunda pretium efficit iniustum, ac reparanda est. In conuentionali pretio exacta haberi nequit aequalitas, sed iustum censetur pretium, si venditor non minus, quam dimidiam partem iusti pretii accipiat *n)*. Vsque ad dimidium, si dolus absit, naturaliter licet contrahentibus se circumuenire *o)*. iustum.

§. 1356. Pretium requiritur 3) VERVM, *quod seria contrahentium intentione tanquam pretium est determinatum p)*. Si igitur contrahentes scienter aequalitatem inter rem et pretium haud seruant, sed solum dicis gratia paucos nummos tanquam pretium constituunt, vel iustum quidem pretium simulant, ast absque animo illud vnquam exigendi, conuentio non tam emtio, quam donatio est *q)*, modo in ipso contractu desit animus iustum exigendi pretium. Secus, si vel ab initio donandi animo vilius pretium statutum, vel iustum pretium seria intentione inter contrahentes conuentum, postea vero in totum vel in tan- verum.

k) §. 1 Inst. et L. vlt. C. h. t. L. 78. sq. *pro socio*. L. 19. C. *de transact.* *l)* L. 7. pr. et 35 §. 1. h. t. *m)* CRELL *de pretio legali*. *n)* L. 2. C. *de rescind. vendit.* *o)* L 43. §. f. h. t. L. 16. §. 4. *de minor*. L. 22. §. v *loc. cond.* L. 8. C. *de rescind. vend.* Nov. 97. c. 1. *p)* L. 2. §. 1. D. L. 9. C. pr. Inst. h. t. *q)* 36. 55. D. L. 3. C. h. t. L. vlt. C. *de donat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0059
DFG

tum sit remissum, quippe quod non mutat emtionem venditionem *r*).

quomodo in venditione rerum fungibilium pretium fiat certum, vt et in E. V. per auerfionem.

§. 1357. In venditione vero rerum fungibilium, quae numero, pondere, mensura constant, si in singulas quantitates pretium est statutum, tot sunt pretia, quot venditae quantitates; ideoque ante admensurationem, adponderationem, adnumerationem, quot pretia praestari debeant, non constat, et imperfecta est emtio venditio *s*). Pretio vero non in singulas res, sed in totum quoddam vnicum statuto, emtio *ad corpus*, s. *per auerfionem*, in Bausch und Bogen facta dicitur. Quae statim, etiam ante admensurationem, vel adponderationem, est perfecta *t*). Nec venditor ad certum quantum tenetur praestandum, nisi forsan ad certum se obligauerit modum, seu, vt ICti loquuntur, *modificatiue* vendiderit. Quo casu modum promissum venditor praestare tenetur, ita, vt ob minorem quantitatem pretium minuatur, ob maiorem vero non augeatur, et emtio, antequam de modo constat, non sit perfecta *u*).

arrha.

§. 1358. Emtioni venditioni haud raro *arrhae*, non quidem necessario, ast ex conuentione accedere solent. Dicitur autem ARRHA *omne id, quod datur in signum conuentionis vel perfectae vel perficiendae.* Arrha data in signum obligationis ad conficiendum contractum, eum producit effectum, vt is, qui perficere contractum absque iusta causa recusat, arrham datam amittat, et acceptam in du-

r) L. 38. h.t. FRIESEN *de emtione venditione donationis causa.* *s*) L. 2. C. *de periculo et commodo rei venditae.* *t*) L. 2. C. citata. L. 35. §. 5 L. 62. §. 2. h.t. *u*) L. 4. §. 1. 2. *de peric. et commodo.* L. 35. §. 5. 6. 7. h.t.

duplo restituat *x*). Quae in signum perfecti contractus data est arrha, euidentius probat, conueniisse de pretio *y*), et initium implementi contractus habetur ita vt neuter inuito altero recedere possit *z*), et arrha data in pretium imputatur. Insuper quoque arrha dari solet in signum adimplendi intra certum tempus contractum, quae si intra certum tempus non adimpletur, commissa censetur.

obligatio venditoris ad tradendum cum omnibus accessionibus.

§. 1359. Simul ac emtor et venditor de re et pretio inter se conuenerunt, perfecta est emtio (§. 1350.) *a*), quae emtorem aeque ac venditorem perfecte obligat. Et quidem venditor obligatur ad rem venditam tradendam, vt emtor illam iure dominii habeat (§. 1348.), cum omnibus accessionibus, quas sibi haud reseruauit *b*), ~~etiamsi in se spectatae non sint in commercio~~ *c*). Sub accessionibus vero comprehenduntur 1) *fructus* fundo adhuc cohaerentes *d*), 2) res, quae vel ob cohaesionem, vel ob destinationem (§. 412.), vel ex legis dispositione pro immobilibus fundi accessoriis habentur *e*), 3) *pertinentiae*, quae tempore contractus tales sunt *f*). In dubio emtor accessionis vel pertinentiarum qualitatem debet probare *g*).

x) pr. Inst. h. t. L. 17. C. *de fide instrum.* *y*) L. 35. pr. h. t. *z*) pr. Inst. h. t. L. 2. C. *quando ab emtione liceat.* CVIACIVS obs. lib. XI. obs. 17. LAVTERBACH *de arrha.* THOMASIVS *de arrhis emtionum.* I. T. RICHTER *de contractu rato manente poena conuentionali soluta.* *a*) L. 11. §. 2. *de act. emti.* *b*) L. 13. §. 31. *de act. emt.* L. 7. *de peric. et commodo.* *c*) L. 24. h. t. *d*) L. 13. §. 10. *de act. emti.* L. 44. de R. V. *e*) L. 17. §. 3. 8. L. 18. pr. L. 38. §. 2. *de act. emt.* stercus et stramenta sunt accessiones, L. 17. §. 2. *de act. emt.* *f*) L. 69. h. t. LAVTERBACH *coll. pr.* L. 19. tit. 1. §. 25. *g*) MEVIVS P. VII. dec. 373. STRYCK caut. cont. Sect. II. C. 8. §. 20.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0061
DFG

culpa a venditore praestanda.

§. 1360. Quo magis vero venditor rem tradere queat, ille a momento perfecti contractus vsque ad traditionem rem debita diligentia debet custodire. Et quia vterque contrahentium ex hoc contractu vtilitatem habet, vterque ad culpam leuem praestandam tenetur *h)* (§. 1088.). Si igitur dolo, vel culpa leui venditoris, res tradi nequit, vel deteriorata est, venditor ad id, quod interest, obbligatur *i)* (§. 1096.), quod in subsidium per iuramentum aestumatur *k)*. Si vero res adhuc existit, illa praecise tradenda est, nec venditor praestando id, quod interest, se liberare potest *l)*.

quomodo facienda sit traditio.

§. 1361. Venditor obligatur ad tradendum (§. 1359.), et quidem fieri debet traditio 1) *realiter*, verbalis non sufficit *m)*. Et cum traditio in translatione possessionis animo transferendi dominii facta consistat (§. 435.); venditor 2) emtori vacuam possessionem praestare *n)*, fines ostendere, et instrumenta edere *o)*, simul quoque efficere tenetur, vt 3) emtor rem *tanquam suam habeat*, aut si hoc fieri nequeat, interesse praestet *p)*. Porro quoque res tradenda est 4) cum *omni causa* et sic in debita *qualitate*, i. e. vt *ea adsint, quae vel rei ex sua natura inesse praesumuntur, vel ex pacto adesse debent q)*. Inde venditor 5) rem praestare

b) L. 23. *de R. I.* L. 13. §. 16. *de act. emt.* L. 68. h. t. si ipse emtor in mora fuerit, culpa lata solum praestatur, L. 17. *de peric. et commodo rei vend. i)* L. 11. §. 9. *de act. emt. k)* L. 68. *de R. V. l)* L. 11. §. 2. L. 46. et 50. h. t. *m)* L. 48. *de adquir. vel amitt. poss.* L. 20. C. *de pactis. n)* L. 2. §. 1. L. 3. D. L. 8. C. h. t. WERNHER P. IX obs. 443. *o)* L. 48 *de act. emt.* WERNHER P. III. obs. 210. *p)* L. 11. § 2. § 13 15. L. 30. fin. *de act. emt. q)* L. 1. §. 1. L. 13. §. 3. L. 39. *de act. emti.*

ſtare debet *haud vitioſam*, ſed ad vſum habilem *r)* et *6) ab oneribus liberam*, niſi forſan onera ſint talia, quae a republica omnibus rebus vnius eiusdemque cum re vendita generis ſunt impoſita. Ab his enim venditor immunitatem, quam non expreſſe promiſit, haud praeſtat, etiamſi res, vt libera, ſit vendita *s)*. Si venditor onera rei impoſita, pacto in ſe recepit, valet pactum inter contrahentes, ſaluo iure fiſci contra ipſum poſſeſſorem *t)*.

obligationes emtoris

§. 1362. Emtor vero obligatur, 1) vt pretium ſoluat et quidem ſtatim poſt traditionem factam *u)*, niſi fides de pretio fuerit habita, aut aliter ſit conuentum. Si tempore conuentione definito, aut, deficiente pacto, poſt traditionem factam, pretium non ſoluitur, emtor in mora ſoluendi, ſicque 2) ad vſuras praeſtandas obligatus eſt *x)*, *etiamſi iuſtam cauſam*, pretium retinendi, v. c. ob euictionem imminentem, ſeu ob iudicis praeceptum de non ſoluendo, habuerit *y)*, dum ſola iudicialis oblatio et depoſitio *debitorem a morae effectibus liberet* (§. 1093.). Quoad merces tabernarias, aut fides de pretio habita eſt, aut non. Priori caſu a momento factae interpellationis, poſteriori vero ſtatim a momento rei traditae debentur vſurae *z)*.

§. 1363.

r) de quo ſub titulo *de aedil. edicto* vberius. *s)* L. 1. §. 1. L. 41. *de act. E. V.* L. 9. C. eod. *t)* L. 42. D. *de pactis.* WERNHER P. II. obſ. 389. *u)* L. 13. §. 20. *de act. emti.* *x)* L. 13. §. 20. D. L. 5. et 13. C. *de act. emti.* *y)* L. 2. C. *de vſuris.* MEVIVS P. VI. deciſ. 33. WERNHER P. III. obſ. 210. BERGER P. I. reſp. 211. SCHROETER *de vſuris pretii tardius ſoluti.* BODINVS *de vſuris pretii non ſoluti.* *z)* Poſt annum demum deberi, putat LEYSER ſp. 211. med. 7. interpellationem iudicialem requirit. BERGER E. D. F. WERNHER P. VI. obſ. 427.

continuatio

§. 1363. Sicuti post emtionem venditionem perfectam ad emtorem petinent omnes fructus, accessiones et emolumenta (§. 1359.), ita quoque aequitas iubet, vt emtor omne incommodum omniaque ferat onera *a)*. Inde emtor obligatur, 3) venditori *expensas necessarias et vtiles*, quas post contractum perfectum fecit, restituere *b)*. Ipsum autem pretium 4) soluendum est *nummis*, *quos venditor sibi habere potest c)*. Nummos alienos inuito domino solutos et adhuc extantes dominus vindicare, male fide consumtos condicere, minime vero rem sua pecunia emtam vindicare potest, exceptis casibus expositis (§. 435.) *d)*. Venditori, vindicatis vel condictis nummis, ad interesse contra emtorem actio competit *e)*.

E.V. implementum quomodo fiat, et dominium transferatur.

§. 1364. A perfectione E. V. differt eius implementum. Quod fit ex parte venditoris per traditionem modo quem exposui (§. 1361.) factam, ex parte emtoris per pretii solutionem. Ab implemento pendet translatio dominii, ita, vt dominium in emtorem non transeat, nisi traditio facta et pretium solutum fuerit. Pro soluto tamen et breui manu in mutuum transmutato habetur pretium, de quo venditor emtori fidem habuit *f)*.

naturaE. V. et quinam emere possunt.

§. 1365. In emtione emtor aeque ac venditor obligatur ex consensu. Inde emtio venditio est contractus 1) bilateralis mutuas obligationes producens (§. 1077.), 2) vtrinque onerosus 3) bonae fidei, ita vt omnia ex aequo et bono secundum contrahentium intenten-

a) L. 16. C. *de act. emt.* *b)* L. 13. §. 22. D. L. 16. C. h. t. *c)* L. 11. §. 2. D L. 7. C. h. t. *d)* L. 8. 9. C. *si quis alt. vel sibi.* L. 6. C. *de R. V.* *e)* L 14. C. *de rescind. vendit.* *f)* §. 41. Inst. *de rerum diuis.*

tentionem iudicentur (§. 1074.). Et quia omnia a consensu pendent, omnes quoque, qui consentire possunt, emere vendere queunt, nisi speciali lege iis sit interdictum. Sic prohibentur emere 1) tutor res pupilli, nisi palam et bona fide *g*), 2) *Medicus* ab aegroto *h*), 3) *clericus i*), *et nobilis k*), qui emtionem venditionem mercatoriam exercere nequit.

ius protimiseos quando locum habeat, et quinam eius sint effectus.

§. 1366. Emtioni venditioni varia accedere possunt pacta, quibus non quidem essentialia mutari queunt, bene vero hoc effici potest, vt naturalia absint, vel accidentalia quaedam adsint. Spectat huc 1) PACTVM PROTIMISEOS, *quo venditor sibi reseruat ius protimiseos l*). Est autem IVS PROTIMISEOS, das Einstands- oder Näher-Recht, Vorkauf, *ius in casu alienationis praeferentiam exigendi prae extraneis, si eaedem, quas extraneus offert, conditiones praestantur.* Ius igitur protimiseos 1) locum habet in alienationibus, et quidem stricte talibus, quae fiunt inter viuos, et inde cessat in alienationibus mortis causa *m*). 2) Consistit in iure exigendi praeferentiam, ita vt emtor seu contrahens suo cedere debeat iure, quod tamen 3) tunc demum locum habet, si alienatio fit in extraneum. Hinc cessat, si per modum anticipatae successionis res in proximum transfertur haeredem *n*). 4) Is, qui iure protimiseos vti cupit, easdem, quas contrahens promisit, conditiones adimplere tenetur. Inde ius protimi-

g) L. 34. §. fin. L. 46. h. t. *h*) L. 3. *de extraord. cognition. i*) c. 16. X. *de vita et honest. cler.* BVTTNER *de clerico non mercator. k*) BREVNING *de nobile mercatore. l*) L. 75. h. t. L. 21. §. 5. *de act. emt. m*) RICHTER dec. 76. n. 56. *n*) WERNHER T. III. P. II. obs. 382. LEYSER sp. 192. m. 1.

timiseos in iis solum alienationibus, quarum conditiones retrahens aeque, ac contrahens ad implere potest, ac vult, sicque potissimum in iis alienationibus, quae pro pecunia fiunt, obtinet *o*).

ius protimiseos conuentionale personale est, et non contra tertium, legale vero interdum contra tertium se exserit, quale ius retractus est.

§. 1367. Ius protimiseos est ius exigendi praeferentiam. Hocce ius vel ex lege immediate, vel mediante conuentione, seu testamento nascitur, ideoque in *legale*, *conuentionale* et *testamentarium* diuiditur *p*). Ius protimiseos conuentionale ius solum personale, minime vero reale producit, ideoque contra tertium se non exerit (§. 1078.). Re igitur contra conuentionis legem tertio vendita et tradita, illa non nisi in casibus, quibus tertius ex proprio facto obligatur, ex iure protimiseos conuentionali a tertio reuocari potest. Sed contra eum, qui ex pacto obligatus est, actio ad interesse solum competit. Idem quoque de iure protimiseos testamentario dicendum *q*). Legale vero in quibusdam casibus etiam contra tertium prodest possessorem, et inde in *ius protimeoseos in specie tale* et *ius recractus* diuiditur. Illud ius solum est personale, impediendi, ne res alteri, sed sibi tradatur, hoc vero, ius rem reuocandi a tertio, cui res ex contractu tradita est, producit *r*).

§. 1368.

o) REINKING *de retractu* qu. 41. n. 91. sq. HART. PISTOR lib. II. qu. 12. n. 14. CARPZOV. P. II. C. 49. def. 5. WERNHER P. IX. obs. 165. P. X. obs. 306. WALCH vom Näher-Recht. *p*) MADIHN *de iure protimiseos, eiusque a iure retractus discrimine.* MOORS *de iure protimiseos, siue retractus conuentionalis et legalis.* *q*) SCHOEEFF *de retractu conuentionali et testamentario.* WERNHER T. III. P. II. obs. 382. *r*) HEIMBVRG *de retractu gentilitio iur. in re.*

§. 1368. Ius protimiseos legale in specie tale competit 1) domino emphyteuseos in praedio emphyteutico (§. 490.), 2) creditori, in bonis debitoris, sub hasta venditis, et ex pluribus illi, qui in maiori summa periclitatur *s*), 3) illi, qui in subhastatione primus fuit licitator *t*). ius protimiseos ~~personale~~ legale

§. 1369. Ius retractus contra tertium possessorem se exserit eo effectu, vt retrahens rem iam traditam reuocare queat (§. 1367.). Tale oritur 1) EX IVRE VICINITATIS, Anlags-Recht, Nachbar-Recht, *vi cuius possessor pradium, quod suo adiacet, in casu alienationis retrahit u*). 2) EX IVRE CONGRVI, Gespilde-Recht, *quo quis praedium, quod olim partem praedii a se possessi constituit, retrahit x*). 3) EX IVRE INCOLATVS, *quo incolae loci huiusdam in casu alienationis in extraneum iure retractus vtuntur y*). 4) EX IVRE COMMVNIONIS, *si socius partem, quam in re communi habet, alienauit z*). 5) EX IVRE CONSANGVINITATIS, *quo consanguinei rem interueniente pretio in extraneum translatam reuocant a*). Posterior haec species retractus gentilitius vocatur. §. species iuris retractus.

s) L. 16. D. *de rebus auctoritate iudicis possidendis. t*) de quo titulo seq. CARPZOV. P. I. const. 32. def. 4. *u*) Retractum ex iure vicinitatis introduxisse Constantinum M. defendit GODOFR. ad L. 6. C. *Theodos. de contrahenda emt.* ast abrogauit eum L. 14. C. *de contr. E.* postea iterum receptus V. F. 13. 14. 15. MVLLER *de retractu vicinitatis.* MEYER *de retractu vicinorum.* SCHROETER *de iure vicinitatis. x*) I. E. RHETII et A. FRITSHII disp. *de iure congrui.* SIEGEL *de iure congrui in Thuringia. y*) L. vn. C. *non lic. habitator. metrocom. z*) V. F. 13. STRYCK *de succ.* diss. 6. cap. III. §. 24. *a*) L. 16. *de rebus auctor. iudic. possid.* BVDER *de iuris retr. gentilitii in Germ. origine.* SCHWENNER *de retractu gentilitio.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0067
DFG

vsus retractus gentilitii in Germania.

§. 1370.[qq] Species iuris retractus §. anteced. expositae non vbique in Germania obtinent. Pro gentilitio tamen retractu militat praesumtio, quod vbique in Germania vsu seruetur. Hic enim non in iure Romano solum est fundatus *b*), sed quoque Germani, qui bona a parentibus successionis iure in descendentes translata his conseruari volebant, illum probant, ita tamen, vt regulariter in bonis auitis solum locum habeat *c*), et liberis aeque ac agnatis ordine, quem cognationis proximitas assignat, competat *d*), licet iura quaedem prouincialia, e. gr. in *Thuringia*, eum admittant in bonis nouiter adquisitis *e*), interdum quoque illum liberis solum, minime vero reliquis cognatis concedant *f*).

quidnam retrahens praestare debeat.

§. 1371.[qq] Qui iure protimiseos vtitur, omnes conditiones, quas emtor suscepit, praestare tenetur (§. 1366.). Hinc retrahens locum emtoris intrat, eiusque iura et obligationes in se transfert *g*). Exinde sequitur, vt 1) in casu, quo res retrahenda simul cum alia re vno pretio venditur, retrahens vtramque rem coniunctim redimere, vel vtraque carere debeat, nisi forsan emtor in separationem consentiat, eaque commode fieri queat *h*), 2) retrahens non solum easdem conditiones, quas

b) L. 16. *de rebus auctor. iud. possid.* *c*) LAVHN *de retractus gentilit. memoria vere germanica.* GAIL. lib. II. obs. 19. SCHILTER exerc. 30. §. 138. MEVIVS *ad ius Lub.* P. III. tit. 7. art. 1. n. 1. STRVBEN R. B. P. III. 14. *d*) STRYCK *de succeff. ab intest.* diff. VI. cap. 3. §. 37. PVFENDORF T. II. obs. 4. *e*) RICHTER dec. 76. n. 30. sqq. STRVV S. I. C. exerc. 23. th. 59. *f*) e. gr. in Saxonia elector. secundum Constit. el. P. II. const. 31. *g*) BYNCKERSCHOECK *qu. iur. prin.* lib. III. c. 14. *h*) TIRAQVEL *de retractu.* §. 23. gl. 1. PVFENDORF T. IV. obs. 22.

quas emtor promiſit, praeſtare, ſed inſuper quoque ea, quae vltra pretium neceſſario, vel ex more recepto ab emtore praeſtita ſunt, e. gr. laudemium, bibales et ſimiles ſumtus modicos, vt et impenſas neceſſarias vtilesque in rem factas refundere tenetur; 3) emtor retrahenti reſtituere debet fructus pendentes et poſt actu oblatum et rite depoſitum pretium perceptos *i)*.

tempore oblati pretii

§. 1372. Ceſſat ius protimiſeos 1) *praeſcriptione*, quae intra annum, a momento, quo retrahens alienationis, et conditionum, ſub quibus illa facta eſt, plenam habuit notitiam, vel ſaltem habere potuit, computandum, abſoluitur *k)*, modo ius protimiſeos conuentionale ad effectum rem ipſam redimendi ante traditionem exerceatur (§. 1367.), ad intereſſe poſt traditionem intra triginta annos actio adhuc competit *l)*; 2) *renuntiatione*, quae tamen ex conſenſu in alienationem non ſtatim colligi poteſt, dum in fauorem certae perſonae, vel intuitu certi cuiusdam pretii datus, non impedit, quo minus ius protimiſeos locum habeat, ſi alteri, vel viliori pretio, venditum eſt *m)*, 3) *ceſſione*, quae tamen in conuentionali ſolum, minime vero in legali iure protimiſeos, quippe quod in ſingulari perſonae ſeu negotii qualitate nititur, locum habet, et inde quoque in alterius

ceſſat ius protimiſeos

i) STRVV *exerc.* 23, §. 63. STRYCK *de ſucc. ab int.* diſſ. VI. cap. IV. §. 8. ſqq. *k)* Prouocant ad textum II. E. 26. §. *Titius*, quamuis hoc tempus annale ex moribus antiquis retentum videatur. HEINECCIVS *de praeſcript. annal. iur. Lubec.* Exceptio eſt in emphyteuſi. *l)* STRYCK *de ſucc.* diſſ. VI. cap. IV. §. 48. CARPZOV. P. II. C. 32. def. 13. *m)* STRYCK *l. c.* §. 33. ſqq.

rius commodum exerceri nequit *n*). Facta semel retrahentis declaratione de vtendo iure protimiseos, is, qui se declarauit, in locum emtoris intrat, ideoque emtor venditori suas remittere nequit obligationes. Ex quo sequitur, vt contrahentes facta semel retrahentis declaratione, a contractu recedere, pretium augere, et conditiones mutare nequeant *o*).

pactum de retrouendendo differt a iure protimiseos

§. 1373. Porro emtioni venditioni accedere solet II) pactum de RETROVENDENDO, Wiederkauf, seu *conuentio de re vendita suo tempore venditori redimere volenti eiusque haeredibus iterum vendenda p*). Differt hoc pactum a pacto protimiseos, in quo casus alienationis expectandus, ast in retrovenditionis pacto vel intra certum tempus, vel quando libuerit, redimi potest. Minime vero ex hoc pacto contra tertium agi potest possessorem, nisi forsan tertius dolo aut sub onere reuendendi rem adquisiuerit.

de tempore reemtionis, et an illi praescriptio obstet.

§. 1374. Si venditioni pactum de retrouendendo est additum, dominium quidem rei venditae et traditae in emtorem tranfit, ast venditor potest suo tempore reemere (§. 1373.). De tempore autem reemtionis inter contrahentes vel conuenit, vel non. Priori casu dies vel tanquam terminus intra quem, vel tanquam terminus a quo, est adiectus. Ibi elapso die conuento ius reluendi incipit, intra annos XXX. exercendum *q*). Posteriori casu, quo reluitioni dies non est praefixus, ius reemendi quouis tempore exerceri potest. Sunt quoque, qui hocce ius merae facultatis esse,

n) STRYCK *l. c.* §. 41. *o*) DE PVFENDORF T. III. obs. 40. §. 5. WALCH vom Näherrecht. p. 199. *p*) L. 2. et 7. C. *de pactis inter E. V.* L. 12. *de praescript. verb.* *q*) LEYSER sp. 191. m. 7. 8.

esse, nulloque tempore praescribi posse, statuunt. Ast minus recte, quia iura ex contractu oriunda non sunt merae facultatis, ideoque praescriptionem non respuunt longissimi temporis. Hoc vero certum est, quod ob defectum bonae fidei praescribere nequeat is, qui ad reuendendum ex pacto tenetur, eiusque haeres. Si vero res in tertium transiit, contra hunc actio per se non competit, et quae contra emtorem locum habet ad interesse, praescribitur XXX. annis.

de prctio rei reemendae.

§. 1375. Retrouenditio est venditio (§. 1373.), quae ab aliis venditionis speciebus in eo solum differt, quod ex pacto antecedente obligatio ad vendendum iam adsit. Sicuti vero omnis venditio iustum requirit pretium (§. 1354.); ita quoque in retrouenditione contrahentium consensus in pretium est necessarius. Hoc vero vel ab initio statim in ipso retrouenditionis pacto est determinatum, vel non. Ibi pacto standum est; nisi forsan vsuraria adsit prauitas, quae reductionem ad iustum pretium admittit *r*). Hic, nisi contrahentes inter se conueniant, secundum praesens pretium, mediante taxatione eruendum, res vendenda est *s*), quia retrouenditio est noua venditio *t*). Nec hoc casu de meliorationibus lis oriri potest, bene vero in casu, quo in pacto retrouenditionis ab initio de pretio, nulla meliorationum habita ratione, est conuentum. Nam hoc casu reemtor restituere tenetur impensas, quibus melior ree-

r) c. 5. X. *de E. V.* c. 4. X. *de pignor.* REFORM. POL. de anno 1548. tit. 17. §. 1. et 7. *s*) LEYSER sp. 191. m. 9. BERLICH P. II. concl. 2. n. 30. dissentit CARPZOV. P. II. C. I. def. 22. *t*) L. 58. *de pactis.*

mendae rei conditio exiſtit *u)*. Quo etiam pertinent impenſae in reaedificationem aedium citra culpam combuſtarum factae, quia emtor ad reaedificationem non obligatus, reaedificando reuera rem fecit meliorem *x)*.

pactum displicentiae, reſeruati dominii et conſtituti.

§. 1376.° Non ſolum vero pactum de retrouendendo ita concipi poteſt, vt retrouenditio ſit in obligatione, ſed quoque fieri poteſt, vt venditor ſit obligatus, rem venditam et traditam reemere, quod locum habet, ſi emtioni venditioni adiectum eſt III) DISPLICENTIAE PACTVM, *quo contrahentes conueniunt, vt liceat poenitere, et re venditori reſtituta, ſolutum repetere pretium;* in fauorem emtoris aeque ac venditoris hoc pactum, quod habet vim conditionis reſolutiuae, poteſt adiici *y)*. Porro quoque contractui E. V. addi ſolet IV) PACTVM RESERVATI DOMINII vel RESERVATAE HYPOTHECAE, *quo venditor in caſu non ſoluti pretii ſibi dominium et hypothecam in re vendita tamdiu reſeruat, donec de pretio fuerit ſatisfactum z)*. Equidem hoc pactum ſuperfluum videtur, quia ex natura contractus E. V. dominium ante pretii ſolutionem non tranſit. Cum vero in caſu, quo de pretio fides eſt habita, res tradita ſtatim fit emtoris, venditoris reſeruatio dominii vel hypothecae omnino vſum praeſta-

re

u) arg. L. 81. de V. S. L. 55. §. 1. *locati.* LEYSER ſp. 191. m. 14. ſqq. *x)* LEYSER ſp. 191. m. 15. Caeterum naturam pacti de retrouendendo vberius exponunt SCHILTER *de iure retrouendition.* THOMASIVS *de vſu pract. diſtinctionis inter emtionem cum pacto de retrouendendo et contractu pignoratitio.* HAHN *de pacto retrouend.* BALEMANN *de iure meliorationum competente emtori ex reuendit.* *y)* L. 3. h. t. *z)* FRIESEN *de pacto dominium in E. V. ad pretii ſolutionem reſeruante.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0072
DFG

re potest, nec opus est, vt venditor hoc pactum contractui adiiciens, speciali pacto de casu rei venditae sibi prospiciat, quippe quem perfecta E. V. emtor sentire debet *a)*. Huic pacto quodammodo simile est V) PACTVM CONSTITVTI POSSESSORII, quod est *conuentio de re non suo, sed creditoris iure possidenda, donec de credito satisfactum fuerit b)*, Venditor igitur hoc pacto ius retentionis et pignoris consequitur.

LIB. XVIII. TIT. II.
DE IN DIEM ADDICTIONE.

definitio, et quae conditio sit melior, explicatur.

§. 1377. Adiici quoque potest emtioni venditioni VI) PACTVM ADDICTIONIS IN DIEM, *quo emtio venditio in eum solum euentum valida declaratur, si intra certum tempus melior conditio non fuerit oblata c)*. Pactum igitur addictionis addit emtionis contractui conditionem: *si melior non fuerit oblata conditio intra certum diem.* Inde valor contractus pendet ab oblatione melioris conditionis intra certum tempus facta, vel non. Melior autem conditio est, quae venditori maiorem affert vtilitatem *d)*.

conditio in hoc pacto vel suspensiue vel resolutiue potest concipi, et quinam vtriusque sint effectus.

§. 1378.[2] Pactum addictionis addit emtioni venditioni conditionem (§. 1377.) Haec conditio vel suspensiue, vel resolutiue con

a) Hoc enim pactum in fauorem venditoris conceptum in eius odium non est vertendum, L. 6. C. de LL. Inde per dominii reseruationem non mutatur regula. quod perfecta E. V. periculum sit emtoris, §. 5 Inst. *de E. V. b)* L. 18. pr. D. *de adquir. poss.* L. 75. h. t. L. 21. *locati.* L. 21. §. fin. *de action. emt. De constituto possessorio* extant disp. CLASSENII, MVLLERI, SCHROETERI, STORCHII. *c)* L. 2. h. t. *d)* L. 4. f. et L. 5. h. t.

cipi poteſt (§. 1700.). *e)*. Priori caſu, perfectio emtionis, et ſic quoque dominii translatio, eſt ſuſpenſa vsque dum conſtet, an melior oblata fuerit conditio *f)*. Illa intra tempus conuentum haud oblata, perficitur emtio venditio. Oblata vero meliore conditione, niſi prior emtor ad idem ſe offerat, venditio manet imperfecta, ac venditor rem addicere poteſt illi, qui meliorem offert conditionem *g)*. Poſteriori caſu emtio quidem ſtatim eſt perfecta, et traditione facta dominium in emtorem tranſit, aſt oblata meliore conditione, ſi prior emtor idem praeſtare recuſat, reſoluitur *h)*, modo, ſi plures ſint venditores, omnes acceptent meliorem conditionem. Si vnus recuſat, non reſoluitur contractus *i)*.

tempus, quo melior conditio acceptari, emtor vero ad idem ſe offerre, et iuramentum, ſi ſuſpicio adeſt, deferre poteſt.

§. 1379. Quod vero ad tempus, intra quod melior conditio offerenda eſt (§. 1377.), attinet, illud vel pacto determinatum eſt, vel non. Illo caſu res certa eſt. Hoc caſu, niſi per iudicem determinetur tempus, oblata melior conditio tamdiu acceptari poteſt, ac praeſcriptio ius non extinxit. Quia vero venditor dum demum recedere poteſt, ſi prior emtor oblatam meliorem praeſtare nolit conditionem (§. 1378.); neceſſe eſt, vt venditor emtori oblatam ſibi conditionem denuntiet, quo magis hic deliberare poſſit, an idem praeſtare, an ſuo iure cedere velit *k)*. Integrum quoque eſt priori emtori, ſi ſuſpicio ſubornationis vel fraudis adſit, a venditore aeque ac nouo emtore, exigere iuramentum, quod ſimulatio haud ſubſit oblationi melioris conditionis *l)*.

e) L. 2. L. 4. §. 5. h. t. *f)* L. 4. pr. h t. *g)* L. 7 h. t. *h)* L. 4. L. 2. pr. L. 14. §. 1. L. 16. h t. *i)* L. 4. 11. §. 1. et L. 16. ſqq. h. t. *k)* L. 8. h. t. *l)* L. 4. §. 5. L. 6. pr. L. 14. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0074
DFG

quaenam actiones oblata meliore conditione venditori competant.

§. 1380. Ob pactum addictionis oblata meliore conditione venditori recedere licet (§. 1378.), nec obstat, quod res vendita iam sit tradita emtori. Traditio enim resoluitur, si emtor meliorem praestare recusat conditionem, venditorique actio venditi, ad rem vna cum fructibus reuocandam contra emtorem *m)*, imo, si addictio per modum conditionis suspensiuae fuerit concepta (§. 1378.), contra tertium possessorem rei vindicatio competit, quae tamen locum non habet, si per modum conditionis resolutiuae pactum est conceptum *n)*.

hoc pactum probari debet, naturaliter vero inest venditioni sub hasta.

§. 1381. Quia pacta non praesumuntur, sed probanda sunt, is, qui pactum addictionis in diem pro se allegat, eius existentiam probare tenetur. Naturaliter tamen inest pactum addictionis iis venditionibus, quae plus licitanti per modum subhastationis fiunt *o)*. Insuper adhuc monendum, quod a venditoris arbitrio pendeat, posthabita meliore conditione, priorem sequi *p)*.

LIB. XVIII. TIT. III.
DE LEGE COMMISSORIA.

lex commissoria definitur et explicatur.

§. 1382. Adiici quoque potest emtioni venditioni VII) pactum, quod LEGIS COMMISSORIAE nomine venit, *quo inter emtorem et venditorem conuenit, vt in casu, quo pretium ex mora emtoris certo tempore non fuerit solutum, venditori a contractu recedendi liberum sit q)*. Pactum igitur commissorium 1) praeponit, vt certus solutioni praetii praefixus sit dies *r)*,

m) L. 4. §. 4. L. 1. h. t. *n)* L. 41. pr. *de rei vindicat.* *o)* L. 4. C. *de fide et iure hast. publ.* Nov. 120. sqq. *p)* L. 9. h. t. *q)* L. 1. et 4. h. t. *r)* L. 2. 4. pr. L. 5. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn86605720X/phys_0075 DFG

2) vt ante lapsum huius diei solutio non sit facta ex mora emtoris *s)*, 3) effectus est, vt non soluto pretio venditor ab emtione recedere queat *t)*, et inde 4) in fauorem venditoris solum spectat *u)*.

tempus solutionis quomodo determinetur.

§. 13837 Pactum commissorium praeponit, vt certus dies solutioni sit praefixus (§. 1382). Hic plerumque in ipsa conuentione determinatur *x)*. Si vero hoc non factum, a iudice praefigendus est dies *y)*. Qui deinde integer, etiam quoad vltimum momentum, adhuc prodest emtori (§. 1102.).

mora emtoris quando adsit.

§. 1384. Porro, vt effectum habeat pactum commissorium, requiritur, vt ex mora emtoris pretium non sit solutum (§. 1382.), et quidem dies praefixus emtorem non soluentem constituit in mora, nec opus est interpellatione (§. 1093.), sed ante lapsum diei offerre debet emtor pretium, si velit se legis commissoriae potestate soluere, et quidem integrum offerendum est. Quod si emtor non habet, cui offerat, aut alia iusta causa oblationem impediat, cessat effectus pacti commissorii *z)*. Quamuis tutius sit pretium deponere *a)*.

emtio sub hoc pacto inita perfecta quidem est, aft resoluitur pretio non soluto.

§. 1385. Effectus pacti commissorii est, vt venditor, non soluto pretio a contractu recedere queat (§. 1382.). In se igitur contractus, cui hoc pactum accessit, est purus et perfectus *b)*, imo, traditione accedente, dominium transit in emtorem, qui non solum fructus percipit, sed quoque in conditione vsucapiendi est *c)*. Pretio vero non solu-

s) L. 4. §. 4. L. 8. h. t. *t)* L. 1. L. 4. pr. h. t. *u)* L. 1. 2. 3. h. t. *x)* L. 2. et L. 4. pr. h. t. *y)* STRVV *exerc.* 23. §. 38. *z)* L. 4. §. 1. 4. 8. h. t. *a)* L. 7. C. *de pactis inter E. et V.* *b)* L. 1. h. t. *c)* L. 5. h. t.

soluto, ex voluntate venditoris res fit inemta, et ex vendito actio contra emtorem competit, ad rem restituendam, cum omnibus accessionibus et fructibus, vt et damna resarcienda *d)*. Insuper quoque venditor lucratur arrham, et partem pretii iam solutam *e)*. Hoc tamen casu emtor fructus, quos percepit, cum pretio, quod venditor lucratur, potest compensare *f)*. Sunt quoque, qui ex aequitate statuunt, maxima pretii parte soluta, commissoria lege vti non posse venditorem *g)*.

ex hoc pacto competit actio venditi contra emtorem, non vero contra tertium, vnico excepto casu.

§. 1386. Ex pacto commissorio aduersus emtorem competit actio venditi (§. 1385.), minime vero a tertio possessore res potest vindicari *h)*. Venditio enim sub hoc pacto inita pura ac perfecta est, et dominium in emtorem transiit (§. 1385.), qui proinde alienandi facultatem habet, et venditori ad rescissionem contractus solum ex pacto ius competit personale *i)*. Alia vero ratio est, si per modum conditionis suspensiuae pactum conceptum et precaria solum possessio penes emtorem fuerit (§ 1378.). Quo casu vindicatio locum habet *k)*.

venditor suo iuri potest renuntiare, et ex parte emtoris moraे purgatio locum habet.

§. 1387. Pactum commissorium in fauorem venditoris est conceptum (§. 1382.). Nullum igitur arbitrium est penes emtorem *l)*. A venditore tamen pendet, an suo iure vti, et a contractu recedere velit, nolitue, qui proinde suo quoque iuri renuntiare potest, expresse aeque ac tacite, per acceptationem

d) L. 4. pr. et §. 1. L. 5. et 6. h. t. *e)* L. 6. pr. et §. 1. h. t. *f)* L. 2. §. 1. h. t. *g)* Prouocant in hanc rem ad c. 9. X. *de poenis.* MADIHN *de effectu legis commissoriae parte pretii iam soluta.* *h)* L. 3. C. *de pacis inter E. et V.* *i)* L. 6. §. 1. *de contrab. E. V.* *k)* L. 3. C. *de pactis inter E. et V.* *l)* L. 2. 3. h. t.

vel petitionem pretii post temporis lapsum *m*). Hinc necesse est, vt venditor suo iure vsurus, se statim post lapsum temporis declaret. Ante hanc declarationem morae purgatio prodest emtori *n*). A semel facta declaratione venditor recedere nequit *o*).

L. commiss. in aliis quoque contractibus locum habet.

§. 1388. Non solum vero venditioni, sed aliis quoque contractibus, v. gr. locationi, permutationi, transactioni etc. adiici potest lex commissoria. Pignoratitius vero est exceptus (§. 919.). Hoc tamen pactum, nisi expresse adiectum sit, tacite non subintelligitur. Deficiente pacto, si emtor iusto tempore non soluit, non ad rescissionem, sed ad implendum contractum actio competit *p*).

LIB. XVIII. TIT. IV.
DE HAEREDITATE VEL ACTIONE VENDITA.

venditio haereditatis nondum delatae nulla est, delatae vero valet.

§. 1389. Non solum res corporales, sed quoque incorporales (§. 1351.), adeoque et haereditas et actio, potest vendi. Et quidem, quod ad venditionem haereditatis attinet, illa aut tanquam delata, aut tanquam nondum delata venditur. Hoc casu, haereditas non existit, sicque reuera secundum ius Romanum nulla est venditio, et emtori pre-

m) L. 4. §. 2. L. 6. §. 2. L. 7. h. t. *n*) LEYSER sp. 197 m. 4. *o*) L. 4. §. 2. h. t. *p*) L. 8. C. *de contr. E. V.* Tacite subintelligi legem commissoriam in subhastationibus, defendit CRELL *de lege commissoria tacita in subhastationibus.* Caeterum hunc titulum illustrant MAESTERTIVS et GODOFR. DE IENA *de lege commissoria.* HILDEBRAND *lex comm. ff. venditioni adiect.* ENGELBRECHT *de L. C. contr. pignor. illicite, venditionis aliisque contr. licite adiecta.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0078
DFG

pretium reſtituendum eſt (§. 1067.) *q*). Illo caſu, venditor haereditatem aut tanquam ſibi vere delatam vendidit, aut tanquam ſpem, *ſi qua fuerit haereditas*. Ibi venditor efficere debet, vt emtor haereditatem habeat. Quod ſi facere nequeat, aeſtumatio haereditatis, et id quod intereſt, emtori praeſtari debet *r*). Hic vero venditor, quamuis haereditas ad emtorem non venerit, nil praeſtat, niſi ſciens ad ſe non pertinere haereditatem, vendiderit: nam tunc ex dolo ad reſtitutionem pretii tenetur *s*).

obligatio venditoris et emtoris.

§. 1390. Venditio haereditatis obligat venditorem, vt ſuum ius haereditarium in emtorem transferat, qui proinde in locum haeredis intrat et quaſi haeres videtur extitiſſe *t*). Sicuti vero haereditas complectitur omnia, quae ad defunctum tempore mortis pertinuerunt, aut per modum ſurrogati accreuerunt, aut haereditati poſt mortem acceſſerunt (§. 516. 517.); ita quoque haec omnia venditor eiusue haeres ita transferre tenetur, vt quae iam habet, vel quandocunque ad eum perueniunt, emtori tradat, et eorum intuitu, quae non habet, actiones mandet *u*), ſimul quoque ſatisfaciat de iis, quae dolo vel culpa abſunt *x*). Quia vero haereditas non eſt, niſi deductis oneribus (§. 519.), emtor onera haereditaria ſuſcipere, legata praeſtare, debitaque ſoluere, aut ſoluta venditori, quatenus de ſuo ſoluit, reſtituere tenetur *y*). Imo venditor ab emtore recte

q) L. 1. et 7. h. t. L. 8. pr. *de contr. E. V.* *r*) L. 8. 9. h. t. *s*) L. 10. 11. 12. 13. h. t. *t*) L. 2. pr. et §. 1. h. t. L. 9. *communia praedior.* *u*) L. 14. §. 1. L. 4. C. h. t. L. 2. § 3. ſqq. h. t. *x*) L. 2. §. 5. h. t. *y*) L. 2. §. 3. h. t.

recte exigit, quod sibi defunctus debebat *z)*. Quatenus in emtorem haereditatis transeat ius accrescendi (§. 640.) et ius ex substitutione pupillari (§. 596.) iam expositum.

obligationes venditoris et emtoris haered. intuitu tertii.

§. 1391. Conuentiones tertium nec obligant, nec illi ius tribuunt (§. 1078. 1106.). Hinc intuitu tertii venditor haereditatis omnia iura et obligationes haeredis retinet *a)*, si a fisco discesseris *b)*. Inde venditor, quia iura haeredis intuitu tertii retinet, haereditatis petitionem aduersus tertium instituere, debita haereditaria exigere, et actiones defuncto competentes persequi potest *c)*, ita tamen, vt ea, quae ex his actionibus ad eum perueniunt, emtori restituere debeat, exceptis lucris mere accidentalibus *d)*. Porro quoque legatarii, fideicommissarii, creditores defuncti, omnesque alii, quibus ex defuncti facto actio competit, haeredem, vendita licet haereditate, saluo venditoris contra emtorem regressu, conuenire queunt *e)*. Quibus tamen contra emtorem actio non denegatur vtilis, quae etiam emtori contra haereditatis possessorem et debitores haereditarios competit *f)*.

actiones, quatenus vendi possunt.

§. 1392. Vendi quoque possunt iura et actiones (§. 1351.), nihilque interest, siue sit actio in rem, siue in personam *g)*, siue iam competat, siue in futurum instituti queat, e. gr. conditionalis, in diem concepta *h)*, modo tales sint, quae sunt in commercio, et

z) L. 2. §. 18. h. t. L. 75. *de solution.* *a)* Semel factus haeres manet talis, quamuis corpora non habeat haereditaria, L. 50. *de haeredit. petit.* L. 88. *de haered. instit.* *b)* L. 1. C. h. t. L. f. *de transact.* *c)* L. 2. D. L. 4. h. t. L. 3. C. *de nouation.* *d)* e. gr. indebitum occasione haereditatis acceptum, L. 2. §. 7. h. t. *e)* L. 2. C. h. t. L. 2. C. *de legatis.* *f)* L. 5. C. h. t. *g)* L. vlt. h. t. *h)* L. 17. h. t.

et perſonae ſingularem qualitatem non praeponunt. Inde vendi nequeunt, actiones criminales ad poenam publicam tendentes *i)*, litigioſae *k)*, actiones, quae vindictam ſpirant, quales ſunt, actio iniuriarum et querela inofficioſi *l)*, ius retractus (§. 1372).

ceſſio.

§. 1393. Sicuti vero venditio obligationem ſolum ad tradendum operatur (§. 1359.), minime vero rem in emtorem actu transfert, ſed translatio rei per traditionem fit; ita quoque venditioni iurium et actionum ad effectum actualis translationis, accedere debet quaſi traditio *m)*, quae fit per exercitium ex parte adquirentis, et patientiam ex parte concedentis. *Actus quo quis ſuam voluntatem de iuris vel actionis translatione* et *patientia*, *ſi alter ius ſeu actionem exercet*, *praeſtanda*, *expreſſe declarat*, CESSIO vocatur. Inde venditor iuris ſeu actionis ad eius ceſſionem cum omnibus acceſſoriis obligatur *n)*, Ipſa vero ceſſio in rebus incorporalibus idem eſt; ac traditio in rebus corporalibus *o)*. *Is*, *qui transfert ius ſeu actionem*, CEDENS, *is*, *in quem transfertur*, CESSIONARIVS dicitur.

quomodo fiat, et quatenus quis ad cedendum poſſit cogi.

§. 1394. CESSIO eſt *declaratio voluntatis expreſſa de iuris ſeu actionis translatione in alterum facta* (§. 1393.). Fieri poteſt haec voluntatis declaratio nuncupatiue aeque, ac in ſcriptis, inter praeſentes ac abſentes, iudicialiter et extraiudicialiter, modo, quod facta ſit, probetur *p)*. Inde quoque ad cedendum

i) L. pen. §. 1. *de publ. iudiciis.* *k)* L. 1. D. L. 2. et vlt. C. *de litigioſis.* *l)* SANDE *de act. ceſſ.* c. 5. n. 12. STRYCK *de action. non ceſſ.* c. 6. §. 8. *m)* LAV. TERBACH *coll. pr.* h. t. §. 33. *n)* L. 23. D. h. t. *o)* HOTTOMANNVS lib. IV. obſ. 16. SANDE *de act. ceſſ.* c. I. §. 3. *p)* eſt enim ceſſio inſtar mandati, et eodem modo, quo mandatum, fieri poteſt.

dendum nemo potest cogi, nisi ex causa antecedente ad cessionem sit obligatus. Sic ad cedendum compelli potest venditor nominis seu iuris (§. 1393.), vt et is, qui satisfactionem pro debitore a tertio, v. gr. fideiussore, accepit *q*), et venditor haereditatis (§. 1360.).

cessio quasnam iura transferat.

§. 1395.[19] Cedens sua iura transfert in cessionarium. Qui proinde in locum cedentis intrat, et cum eo vna habetur persona *r*), ita, vt totum ius, quod cedens habuit, cum omni causa, et accessionibus, iure nempe hypothecae, seu contra fideiussores competente, accipiat *s*), minime tamen plus iuris, quam ipse habuit cedens, consequatur. Inde cessionarius iure cedentis, non proprio priuilegio, vtitur, et quae cedenti, cessionario quoque, obstant exceptiones *t*), imo et cedenti iuramentum adhuc deferri potest *u*).

potest fieri inscio debitore.

§. 1396.[20] Quia cessionarius in locum cedentis intrat, cessio non nocet debitori, ideoque eius consensu in cessionem non est opus, sed eo etiam inuito cedi potest *x*). Consilii tamen ratio exigit, vt cessionarius debitorem de facta cessione reddat certiorem. Omissa enim cessionis denuntiatione, debitor cedenti bona fide soluens liberatur *y*), et cessionario actio solum aduersus cedentem salua est *z*).

cessio quibus fieri nequit.

§. 1397.[21] Cedere autem potest quilibet, qui de iure cedendo libere potest disponere. Cedi quoque possunt iura et actiones cuilibet, qui potest adquirere. Quia vero per cessio-

q) Inde fideiussori competit beneficium cedendarum actionum. de quo infra. *r*) L. 5. C. h. t. L. 4. §. 28. *de doli et met. except.* *s*) L. 2. 6. 23. D. L. 6. 7. C. h. t. *t*) L. 4. §. 24. *de doli et met. exc.* L. 5. C. h. t. *u*) LEYSER sp. 201. m. 5. *x*) L. 3. C. h. t. *y*) L. 3. C. *de nouation.* L. vlt. *de transact.* *z*) L. 23. §. 1. h. t.

ceſſionem debitoris conditio fieri non debet deterior (§. 1396.), ſequitur, vt illa fieri nequeat 1) in potentiorem *a)*, 2) in tutorem, vel curatorem contra pupillum ſeu minorem *b)*, a Iudaeo in Chriſtianum contra Chriſtianum *c)*. Facta in his caſibus ceſſio iuris amiſſione punitur, niſi dolus abſit *d)*.

qua actione vtatur ceſſionarius.

§. 1398.[22] Quo magis vero ceſſionarius contra debitorem actione ceſſa experiri queat, iura ceſſionem pro mandato et ceſſionarium pro in rem ſuam procuratore habent. Intuitu igitur debitoris ceſſionarius tanquam ex mandato nomine cedentis eandem actionem, quae cedenti competit, directo inſtituit *e)*. Recentiori vero iure non opus eſt, vt ceſſionarius cedentis nomine agat, ſed proprio nonomine actione vtili couenire poteſt debitorem *f)*. Siue vero directa, ſiue vtili actione vtatur, neceſſe eſt, vt factam ſibi ex iuſta cauſa ceſſionem probet, ſicque ceſſionarius ad cauſam ſe legitimet. Quae legitimatio in omni iudicii parte vrgeri poteſt; nec ſola poſſeſſio inſtrumenti ſuper debito ceſſo confecti nec nuda traditio absque titulo, ſufficit *g)*.

§. 1399.

a) L. 2. C. *ne liceat potentioribus.* STRYCK *de potentiore ceſſionario.* *b)* Nou. 72. c. 5. SANDE *de ceſſ. act.* c. 4. n. 22. 26. *c)* REC. IMP. de anno 1551. §. 79. aſt vſum huius Rec. in camera imperiali eſſe nullum, teſtatur DE CRAMER Wetzlariſche Nebenſtunden. P. III. p. 108. In Saxon. validae ſunt huiusmodi ceſſiones, teſte LEYSER ſp. 199. cor. 2. Inter Iudæos auctoritate principis receptos et non receptos diſtinguit, illorumque. non vero horum, ceſſiones valere ſtatuit, DE PVFENDORF T. I. obſ. 158. *d)* LEYSER ſp. 200. *e)* L. 8. C. h. t. *f)* L. 7. C. h. t. SCHILTER *exerc.* 30. §. 64. *g)* Has propoſitiones vberius illuſtrat LEYSER ſp. 201.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0083
DFG

nomen ceſſum debet eſſe verum, vt bonum ſit, non eſt neceſſe.

§. 1399.[23] Praeſertim, quoad nominum ceſſionem, quae interueniente pretio ſeu per modum venditionis fit, requiritur, vt nomen ſit *verum*, id eſt, vt reuera cedenti debeatur. Si nomen vel plane nullum, vel non amplius exiſtat, inualida eſt ceſſio, et venditor acceptum reſtituit pretium, et, ſi in dolo fuit, id quod intereſt, praeſtat (§. 1081.) *h*). Minime vero, vt bonum ſit nomen, id eſt, vt reuera ſolutionem accipiat emtor, venditor praeſtare debet, niſi bonitatem expreſſe promiſerit *i*), vel in dolo ſit. Qui praeſumitur, ſi tempore ceſſionis debitor non exiſtit ſoluendo, et hoc ſtatim poſt ceſſionem appareat *k*).

lex Anaſtaſiana.

§. 1400.[24] Quamuis vero in ceſſionarium omne ius cedentis tranſeat (§. 1397.), emtor tamen nominis a debitore plus, quam pecuniae cedenti ſolutae quantitatem vna cum vſuris exigere nequit, reliquum debiti quantum lucro debitoris relinquere tenetur. Nec prodeſt emtori facta a venditore donatio quanti pretium exſuperantis *l*). Ratio huius diſpoſitionis, quae ab eius auctore Anaſtaſio imp. lex *Anaſtaſiana* vocatur, in eo latet, ne redemtores alienarum litium vili pretio alienas actiones emere, eoque iure abutentes alios vexationibus afficere, occaſionem habeant.

quando haec lex vſum non praeſtat.

§. 1401.[25] Lex Anaſtaſiana ad emtiones nominum ſolum pertinet *m*) (§. 1400.), et ad ceſſio-

h) L. 4. et 5. h. t. L. 76. *de ſolution.* L. 39. *de fideiuſſ.* *i*) L. 4. et 5. h. t. MEVIVS P. II. dec. 248. LEYSER ſp. 299. m. 3. 4. 5. *k*) BRVNNEMANN *de ceſſ. act.* c. 5. n. 51. *l*) L. 22. et 32. C. *mandati.* *m*) Quod vel ipſa verba legis docent. Sic in citata L. 22. dicitur: *Si quis datis pecuniis huiusmodi ſubiecit ceſſionem.* et L. 23. C. *mandati.* expreſſe venditionem actionum loquitur.

cessiones ex titulo emtionis haud factas extendi nequit. Hinc cessat lex Anastasiana in cessione, quae pro conseruatione rei a se possessae, aut per modum verae donationis, dationis in solutum, permutationis, aut inter cohaeredes seu collegatarios fit *n)*. Caeterum ratio legis hodie omnino adhuc locum habet, ideoque et eius vsus, nisi iura prouincialia in contrarium monstrari possint, negari nequit.

LIB. XVIII. TIT. V.
DE RESCINDENDA VENDITIONE ET QVANDO LICEAT AB EMTIONE DISCEDERE.

causa, ob quam ab E. discedere licet, est vel nullitatis vel rescissionis.

§. 1402. Ab emtione recedimus vel ex causa *nullitatis*, vel ex causa *rescissionis*. Nullitatis causa est, *si ob defectum in essentialibus emtio venditio est nulla*. Hoc tamen casu, emtio ob defectum in consensu nulla conualescere potest per ratihabitionem subsequentem *o)*. RESCISSIO venditionis fit, *si emtio venditio vtrinque perfecta ex iusta causa dissoluitur*. Talis causa vel ex ipsius contractus natura, vel ex pactis adiectis nascitur. De pactis adiectis resoluentibus venditionem iam supra dictum. Causae vero, quae ex natura venditionis rescindere possunt contractum, sunt *mutuus dissensus*, et *laesio enormis*.

§. 1403.

n) MANZ *interpretatio legis Anastasianae.* BACH *de lege Anastasiana.* THOMASIVS *de aequitate cerebrina et exiguo vsu pract. legis Anastasianae.* *o)* HOMBERGK ZV VACH *de conualescentia vitiosae alienationis.*

mutuo dissensu recedi nequit implemento iam secuto.

§. 1403. Emtio venditio perfecta non quidem vnius, bene vero mutuo dissensu (§. 1402.), potest dissolui *p)*, modo contractus per traditionem, et pretii solutionem nondum fuerit adimpletus *q)*. Subsecuto enim implemento, dominium in emtorem transit (§. 1364.), et inde conuentio de re pro pretio venditori rursus retradenda, noua foret emtio, non resolutio prioris contractus. In effectu vero inter nouam emtionem et dissolutionem ratione gabellae, laudemii, iuris retractus et amissionis pignoris magna est differentia.

ob laesionem enormem emtor aeque, ac venditor rescindere potest contractum, modo laesio enormis probetur.

§. 1404. Rescinditur quoque venditio ob laesionem enormem. Talis vero est, quae dimidium veri pretii excedit. Sic emtor enormiter laesus est, si iustum rei emtae pretium ne quidem dimidiam partem pretii contractu definiti facit. Venditor laesus est enormiter, si pretium conuentum ne quidem dimidiam partem iusti rei pretii conficit. Siue vero emtor, siue venditor laesus sit enormiter, contractus ob pretii iniustitiam potest rescindi (§. 1355.), si laedens reparare nolit laesionem *r)*. Probanda tamen est laesio *s)*, ideoque aestumatio rei fieri debet secundum pretium, quod res tempore contractus habuit *t)*. §. 1405.

p) L. 3. et 5. §. 1. h. t. ratio est in L. 35. de R. I. *q)* L. 2. h. t. L. 1. 2. *C. quando liceat ab E. rec.* *r)* L. 2. et 8. C. h. t. Equidem sunt, qui cum CUIACIO lib. XVI. obs. 18. remedium ex L. 2. C. *de rescindenda E. V.* venditori solum, non emtori, competere asserunt, quia lex venditoris solius mentionem facit, et hic ex necessitate plerumque vendit. Ast lex exempli loco venditoris mentionem facit, dispositio vero ad vtrosque contrahentes pertinet, emtorque eodem dignus est fauore, quippe qui rei qualitatis plerumque ignarus emit. *s)* de probatione laesionis STRUBEN *recht. Bed.* L. III. 108. *t)* L. 8. C. h. t.

§. 1405. Enormiter in contractu venditionis laeſo, ſi iam ex ſua parte adimpleuit, *actio u)*, ſi nondum adimpleuit, *exceptio* competit, aduerſus laedentem, ad id, vt emtio reſcindatur, omniaque reducantur in priſtinum ſtatum, vel laeſio reparetur per reſtitutionem eius, quod vltra verum pretium acceptum, vel per praeſtationem eius, quod iuſto pretio deeſt. Non tamen neceſſe eſt, vt libellus praeciſe alternatiue formetur *x)*. Quia vero laeſio afficit bona, hoc remedium haeredibus, et contra haeredes, minime vero contra tertium poſſeſſorem datur *y)*.

reſciſſio fieri poteſt per modum actionis et exceptionis.

§. 1406. Remedium (§. 1405.) expoſitum competit ob laeſionem enormem ex ipſo contractu ortam ad eius reſciſſionem. Illud igitur ceſſat, 1) ſi de laeſione enormi non conſtat, quippe quae non praeſumitur, ſed eſt probanda per teſtes et artis peritos *z)*; 2) ſi emtio per ſe eſt nulla, e. gr. ob vim, dolum, metum, errorem. Hoc enim caſu laeſio, etiam non enormis, mediante actione emti venditi, eſt reparanda *a)*; 3) ſi quis ſciens volensque de pretio minus iuſto conuenit *b)*, quod etiam factum cenſetur ab eo, qui ſpem, vel rem, cui alea admixta, emit vel vendit *c)*. 4) Si laeſio non ex contractu, ſed aliunde orta eſt. Aeſtumatur enim laeſio ex tempore contractus *d)*. 5) Si iuri ſuo laeſus renuntiauit.

reſciſſio non habet locum.

u) Quam alii ex emto vendito, aſt minus recte, vocant. Potius condictio ex L. 2. C. *de reſcind. vendit.* appellanda eſt. *x)* BOEHMER *de libell. altern.* c. III. §. 2. ſqq. *y)* MEVIUS P.V. dec. 22. *z)* HANNESEN *de immodica laeſione eiusque probatione per teſtes caute inſtit.* LEYSER ſp. 205. m. 5. 6. 7. 8. *a)* LEYSER ſp. 205. m. 1. 2. *b)* L. 11. C. h. t. L. 9. C. *de act. emt.* *c)* L. 8. *de contr. E. V.* CARPZOV. P. 2. C. 35. def. 5. *d)* L. 8. C. h. t.

uit. 6) Si res plurimum licitanti sub hasta est adiudicata, quia in casu, quo res publice subhastata pinguiorem inuenire non potuit emtorem, laesio adesse nequit *e)*. Minime vero hoc remedium excluditur per contractus confirmationem a iudice factam *f)*, nec cessat in venditione haereditatis, cuius aestumatio certa et non simplex spes fuit tempore contractus *g)*.

effectus rescissionis,

§. 1407. Rescisso E. V. contractu omnia in pristinum statum reducuntur (§. 1405.). Emtor igitur pretium, venditor rem reddere debet. Vsurae vero et fructus non adiudicantur, sed fructuum perceptorum cum vsu pecuniae fit compensatio *h)*. Inde, si venditor laesus per rei interitum, inutile fit hoc remedium, ast emtori ad reparationem laesionis adhuc actio competit, quamuis res perierit. Quia venditor ex damno emtoris existit locupletior *i)*.

non E. V. solum, sed alii quoque contractus ob laesionem rescinduntur.

§. 1408. Nititur remedium rescissionis in aequitate, quae non patitur, vt cum alterius laesione aliquis se locupletiorem reddat (§. 1055.). Quamuis enim conuentionale pretium contrahentium conuentione determinetur, bona tamen fides non patitur immodicam laesionem, quae vltra dimidium est *k)*. Et haecce aequitatis regula non solum in emtione, sed quoque in omnibus aliis contractibus, qui aequalitatem mutuarum praestatio-

e) STRVV *iurispr. Rom. Germ.* lib. III. tit. H. §. 41. LEYSER sp. 205. cor. 1. RICHTER decis. 99. n. 47. et 100. *f)* LEYSER sp. 205. m. 9. *g)* IDEM sp. 205. m. 4. *h)* LEYSER spec. 205. m. 9. *i)* STRVV exercit. 23. th. 90. COCCEII disp. *de remedio*. L. 2. *de rescind. V.* th. 13. *k)* Minime haec aequitas cerebrina est, prout statuit THOMASIVS *de aequitate cerebr.* L. 2. C. *de rescind. vend.*

ſtationum deſiderant, locum inuenit *l*). Inde hoc remedium ad locationem conductionem, permutationem, dationem in ſolutum, transactionem recte extenditur. Quatenus in iudiciis diuiſoriis locum habeat, ſupra diximus *m*).

LIB. XVIII. TIT. VI.
DE
PERICVLO ET COMMODO REI VENDITAE.

§. 1409. PERICVLVM eſt *damnum caſu fortuito obtingens n*). COMMODVM eſt *omnis vtilitas ex re prouenies et illi accedens.* Si in re vendita damnum fatale accidit, et quaeſtio mouetur, quisnam illud ferre debeat? videndum eſt, an illud perfecta an nondum perfecta emtione accidit? Nondum perfecta emtione venditione periculum et commodum rei ad venditorem; ea iam perfecta, ad emtorem pertinet, tametſi res vendita adhuc emtori non ſit tradita *o*). Quamuis enim ante traditionem venditor dominus maneat, et regulariter caſum dominus ſentiat, aliud tamen eſt, ſi de obligatione domini, rem ſuam in alterûm transferendi, agitur, quo caſu obligatio rem tradendi ob fatalem eius interitum ceſſat, et periculum eius eſt, cui traditio fieri debuiſſet (§. 1090.).

definitio, et cur perfecta E. V. emtor periculum ferat.

§. 1410. Simul ac E. V. perfecta exiſtit, periculum eſt emptoris (§. 1409.). Perfecta

perfecta E. V. quae?

l) Nam ad exemplum eorum, quae legibus definita, diſceptationes ſimiles iudicare, iubent leges L. 12. 13. de LL. *m*) ARII PINELLI *comment. de reſcindenda venditione.* MENCKE *de reſciſſione E. V. ex tunc et ex nunc.* *n*) L. 1. 7. 15. h. t. *o*) L. 3. pr. D. L. 1. C. h. t.

autem est venditio, simulac consensus contrahentium de re et pretio plene existit obligatorius (§. 1350.) Si igitur vel in consensu adhuc aliquid deficit, vel ratione rei aut pretii plena certitudo deest, imperfecta est emtio venditio, et periculum rei manet venditori *p*).

imperfecta ratione consensus.

§. 1411. Si consensus nondum plene obligatorius existit, imperfecta est venditio (§. 1410.). Hinc imperfecta est venditio, et periculum est venditoris, 1) si scriptura, ex qua negotium valere volunt contrahentes, nondum plene accesserit (§. 1350.) *q*). 2) Si conditio suspensiua, quae vel expresse adiecta, vel tacite subintellecta est, nondum existat *r*).

ratione rei et pretii.

§. 1412. Imperfecta quoque est venditio, si ratione rei vel pretii adhuc existit incertitudo (§. 1411.). Inde periculum est venditoris, 1) si pretii determinatio in tertii arbitrium collata, hic vero nondum determinauerit (§. 1354.). Secus vero se res habet, si de pretio conuenerunt contrahentes, aut ex tertii facto illud augmentum capere potest *s*). 2) Si ad pondus, numerum, vel mensuram venditum, necdum admensum, adpensum, adnumeratum sit *t*) (§. 1357.), licet emtor rei suum adposuerit signum. Huius modi enim venditio tacitam continet conditionem, si de quanto rei per admensurationem constiterit *u*). Ideoque ante existentiam

p) L. 8. pr. h. t. §. 3. Inst *de emt. vendit.* *q*) §. 3. Inst. *de E. V.* L. 4. C. h. t. L. 17. C. *de fide instr.* *r*) L. 8. pr. D. L. 4. 5. C. h. t. L. 7. *de contrah. E. V.* *s*) L. 7. §. f. *de contr. E. V.* *t*) L. 1. §. 1. L. 5 D. L. 2. h. t. L. 35. §. 5. *de contr. E. V.* *u*) L. 35. §. 1. *de contr E. V.* de periculo mercium transportandarum inter mercatores STRVBEN R. Bed. P. II. arg. 65.

tiam conditionis imperfecta est E. V. nisi forsan emtor venditori ad conditionem adimplendam parato moram mensurae faciendae interponat, dum in casu morae conditio adimpleta et venditio perfecta habetur *x)*, modo venditor, si res casu perierit, eius quantum probare vel saltim iuramento in litem confirmare possit. Imo ob moram emtoris venditor vinum, oleum etc. effundere potest, si ipse doliis indigeat, et testando denuntiauerit emtori, vt aut tollat, aut sciat, futurum, vt effunderetur *y)*. 3) Si res ad gustum vendita, et nondum degustata fuerit *z)*. 4) Si genus venditum et species tradenda nondum certa *a)*. 5) Si venditio sit alternatiua, quo casu ante electionem periculum eius rei, quae prior periit, ad venditorem pertinet. Si omnes res, ex quibus vna tradenda, perierunt, eiusque posterior periit, periculum emtoris est *b)*.

§. 1410. Perfecta E. V. periculum est emtoris. Sicuti vero periculum est damnum casu fortuito obtingens; ita quoque damnum extra casum fortuitum accidens non emtor, sed venditor sentire debet. Hinc venditoris est periculum, 1) si eius dolo vel culpa leui res periit, vel deteriorata est *c)*. Venditor enim a momento contractus perfecti rem debita diligentia debet custodire, et culpam leuem praestare (§. 1300.). Inde quoque est, quod venditor de damnis respondere debeat, quae eius negligentia in suppeditandis sumtibus ad con-

venditor damnum dolo vel culpa factum ferre tenetur.

x) L. 5. D. L. 2. C. h. t. L. 39. et 161. *de R. I.* *y)* L. 1. §. 3. 4. L. 2. pr. *z)* L. 1. pr. L. 4. §. 1. L. 15. h. t. *a)* L. 8. pr. h. t. L. 11. C. *si certum pet.* *b)* L. 34. §. 6. *de contr. E. V.* *c)* §. 3. Inst. *de emtion.* L. 35. §. 4. *de contr. E.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0091
DFG

seruationem rei necessariis produxit *d*), 2) Si mora venditoris in tradendo interuenit (§. 1099.) *e*), 3) si res ex vitio tempore contractus iam existente periit *f*), quia venditor praestare debet rem non vitiosam.

emtor perfecta E. omnia habet commoda et onera.

§ 1414. Quia perfecta emtione omne periculum est emtoris (§. 1409.); ille quoque onera et tributa ferre, et sumtus in conseruationem rei factos venditori restituere tenetur *g*) (§ 1362.). Et cum aequitas iubeat, vt commoda rei is habeat, qui incommoda sustinet *h*); satis patet, omnes fructus, reique accessiones et emolumenta esse emtoris *i*). Hinc venditor de fructibus et emolumentis a momento perfecti contractus perceptis respondere, et accessiones simul cum re principali tradere debet. Caeterum haec omnia pactis mutari posse, extra dubium est.

LIB. XVIII. TIT. VII.
DE SERVIS EXPORTANDIS.

§. 1415. Venditioni seruorum varia adiici possunt pacta, quae tamen apud nos omnia extra vsum sunt, ideoque praesens titulus nos haud moratur.

LIB. XIX. TIT. I.
DE
ACTIONIBVS EMTI ET VENDITI.

duplex ex E.V.actio.

§. 1416. Actio est remedium ius suum persequendi in iudicio. Iam vero ex emtione vendi-

d) L. 13. §. 22. *de action. emti.* *e*) L. 17. L. 2. C. h. t. *f*) L. 1. et 6. C. h. t. *g*) L. 38. §. 1. D. L. pen. C. *de act. emt.* L. 2. C. *de ann. et tribut.* *h*) L. 10. *de R. I.* c. 55. *de R. I. in 6to.* L. 13. §. 1. *commod.* *i*) L. 13. §. 10. sqq. *de actionibus E. V.*

venditione, tanquam contractu bilaterali (§. 1365.), emtori aeque ac venditori ius nascitur, ad quod persequendum actio datur, quae, cum ex contractu nominato est (§. 1072.), idem cum ipso contractu nomen habet (§. 2071.), et emtori actio emti, venditori actio venditi competit.

actio emti.

§. 1417.[41] Emtori ad persequendum ius ex contractu E. V. datur ACTIO EMTI aduersus venditorem ad id, vt eo modo quem (§. 1361.) exposuimus, rem ad effectum iure dominii habendi tradat, vna cum fructibus et accessionibus (§. 1359), aut, si hoc fieri nequeat, praestet id, quod interest, et insuper damna dolo vel culpa leui data resarciat (§. 1360.), pactaque contractui adiecta adimpleat (§. 1366.)

actio venditi.

§. 1418.[42] Venditori ad ius suum persequendum competit ACTIO VENDITI (§. 1416.) aduersus emtorem ad pretium soluendum, vna cum vsuris (§. 1362.), vt et ad impensas, et damna resarcienda, ac pacta adiecta adimplenda (§. 1363.).

vtraque non nisi illi, qui adimpleuit, competit, et exceptio contractus non adimpleti obstat.

§. 1419.[43] Vtraque actio emti et venditi bona concernit, ideoque haeredibus et contra haeredes datur. Porro, cum hae actiones ex contractu sint bilaterali (§. 1365.), et iniquum foret, si is, qui suae non satisfacit obligationi, alterum ad contractum adimplendum cogere vellet; legibus cautum est, 1) vt emtor acturus, aut pretium iam soluerit, vel ad soluendum paratus sit, aut alio modo e. gr. si fides habita (§. 1364.), venditori satisfecerit *k*), 2) vt venditor tum demum valide agere possit, si rem emtori tradidit, vel ad tradendum paratus

k) L. 11. §. 2. L. 13. §. 8. 9. h. t. L. 19. et 53. *de contr. E.*

ratus sit *l)*. Alias agenti obstat exceptio *non adimpleti contractus*, quae in omni iudicii parte, omnique processus genere, etiam executiuo, eo effectu actori obiici potest, vt tamdiu actio non habeat locum, ac contractus implementum ex parte actoris doceri nequit *m)* (§. 1077.). Differt tamen ab exceptione non adimpleti contractus, exceptio contractus non debito modo, aut non plenarie adimpleti, ad cuius probationem excipiens tenetur.

LIB. XXI. TIT. I.

DE AEDILITIO EDICTO.

aedilis quid? eius edictum quid?

§. 1420. AEDILES CVRVLES apud Romanos erant *magistratus, qui inter ceteras officii sui partes controuersias intuitu commerciorum et aedificiorum ortas iudicabant, vt et curam viarum ludorumque gerebant.* Hi rebus ad suam pertinentibus iurisdictionem proponebant edicta. Ex variis edicti aedilitii capitibus tria in iure Iustinianeo occurrunt *n)*. De tertio edicti aedilitii capite infra agemus. Hic de primo et secundo huius edicti capite agimus, quibus cautum legimus, *vt, qui mancipia aut iumenta vendunt, certiores faciant emtores, quid morbi vitiiue cuique insit; eademque omnia, cum mancipia venibunt, palam recte pronuntiando o)*.

aed. edictum ad omnes contr. dominii translatiuos onerosos extensum.

§. 1421. Ratio edicti in aequitate nititur, quippe quae non permittit, ignoranti emtori laesionem inferri (§. 1308.) *p)*. Quam senti-

l) L. 25. h.t. L. 5. *de euict.* *m)* Sedes huius except. est in L. 13. §. 8 et L. 25. h.t. adde WERNHER P.I. obs. 49. BERGER *el. proc. exec.* th. 29. 34. *n)* HEINNECCII *florum spars. ad edict. aedilit.* *o)* verba edicti vide L. 1. §. 1. et L. 38. D. h.t. *p)* L. 1. §. 2. et L. 38. §. 2. h.t.

sentiret emtor, si illi ignoranti res ob morbum seu vitium, vel plane inutilis, vel minoris pretii, fuerit vendita. Et quamuis verba edicti de emtione venditione mancipiorum iumentorumque sint concepta (§. 1382.), illa tamen ob rationis paritatem ad aliarum rerum venditionem *q)* imo ad quoslibet contractus onerosos *r)*, causam dominii translatiuam continentes *s)*, sunt extensa, ita tamen, vt exceptae sint venditiones fiscales *t)*.

venditor ea vitia, quae in sensus incurrunt, pronuntiare non tenetur.

§. 1422. Venditor omnia rei vendendae vitia palam recte pronuntiare debet (§. 1420.). Ex ratione vero allata patet, ea solum vitia esse indicanda, quae emtor ignorat, et in oculos non incurrunt *u)*. De iis, quae in sensus incurrunt, non respondet venditor, licet vel maxime commendandae rei causa generaliter aliquid dixerit *x)*. De morbo porcorum, quem vocant die Finnen, dissentiunt ICti *y)*.

alia vero palam pronuntiare debet.

§. 1423. Porro venditor rei vitia, quae in sensus non incurrunt, palam, id est expressis verbis indicare tenetur emtori (§. 1382). Hinc non sufficit obscura vitii affirmatio *z)*. Nec venditorem ab obligatione liberat, quod generaliter, vti rem possedit, vendiderit *a)*, aut

vid. Addend. ad §. 1427

q) L. 33. D. h. t. L. 49. eod. *r)* L. 19. §. 5. D. h. t. inde non pertinet edictum ad donationes, quamuis donator de damno dolo dato teneatur, L. 62. D. h. t. *s)* Inde in contractu locationis conductionis edictum locum non habet. L. 63. D. h. t. *t)* L. 1. §. 3. h. t. *u)* L. 14. §. 10. D. h. t. *x)* L. 43. *de contr. E. V.* *y)* COLER P. II. dec. 224. n. 9. CARPZOV P. II. const. 34. def. 16. hoc vitium pro patente habent etc. STRYCK V. M. h. t. §. 7. distinctionem quandam adhibendam censet. *z)* L. 43. §. 2. D. *de contr. E. V.* *a)* L. 39. *de act. E. V.*

aut quod vitium ignorauerit *b)*. Imo sciens vitium venditor, non liberatur per declarationem, se teneri nolle pro aliquo vitio *c)*.

sit res, quaecumque velit.

§. 1424.[10] Tenetur venditor omnia rei vendendae vitia palam indicare emtori (§. 1385.), siue igitur res sit mobilis, siue immobilis *d)*, siue principalis, siue accessoria *e)*, siue vna res, siue plures sint venditae *f)*, venditor palam pronuntiare debet vitia. Quod et locum habet, si iumenta paria, triga vel quadriga venduntur, et ex his vnum sit vitiosum *g)*. In vniuersitate vendita de singularum rerum vitiis non tenetur venditor *h)*, nisi pretium in singulas res sit statutum.

qui vitia non indicat, tenetur ad rehabendum, si res ad vsum plane inhabilis.

§. 1425.[11] Venditor vero, qui vitia rei emtori palam profiteri neglexit, obligatur ad satisfactionem emtori praestandam. Et quidem res vendita ob vitium vel ad vsum plane inhabilis, vel solum minoris pretii est. Priori casu resoluta emtione venditione, omnia reducuntur in eum statum, qui fuisset, si emtio non fuerit secuta *i)*, sicut venditor obligatur, vt rem rehabeat, pretiumque restituat, impensas vel ex sua voluntate, vel ex necessitate factas refundat *k)*, nec non omne damnum *l)* et aliquando duplum praestet. Quaenam autem sint illa vitia, quae rem plane inutilem reddunt, si lex non determinat *m)*, iudicio artis peritorum committitur, vel ex circumstantiis diiudicandum est.

b) L. 1. §. 2. h. t. *c)* L. 14. §. 9. et 10. D. h. t. *d)* L. ~~34. 40. et~~ 49. D. h. t. *e)* L. 33. D. h. t. *f)* L. 34. D. h. t. *g)* L. 34. §. 1. L. 36. D. h. t. *h)* L. 33. pr. D. h. t. *i)* L. 23. §. 1. D. h. t. *k)* L. 27. D. h. t. *l)* L. 1. C. *de aedil. action.* *m)* Sic in Saxonia quatuor solum vitia equorum redhibitoriae locum faciunt, wenn es rotzig, stetig, staarblind, hart schlechtig. CARPZOV. P. II. C. 34. def. 17.

est *n*). Semper tamen praeponitur, vt tempore contractus iam adfuerit vitium, quod praesumitur, si intra triduum a momento perfecti contractus se exserit *o*).

quid, si res non plane inutilis est.

§. 1426. Si vero res ob vitia emtori non quidem plane inutilis, aut minoris est pretii, venditor obligatur ad restituendum, quod ex iudicio peritorum res minoris aestumatur, ita tamen, vt omnia exacte haud examinentur, et minima non curet iudex *p*).

actio redhibitoria et quanti minoris quomodo differunt.

§. 1427. Ex §. 1425. et 1426. patet, duplicem locum habere actionem, si ignoranti emtori res vendita est vitiosa, *redhibitoria* nempe, et *aestimatoria* seu *quanti minoris*. Vtraque differt 1) *ratione fundamenti agendi*. Nam redhibitoria actio requirit rem, quae ob vitium emtori plane inutilis est *q*). Quanti minoris vero praeponit rem, quae non quidem plane inutilis, aut minoris pretii est *r*). 2) *Ratione effectus*. Nam actio *redhibitoria* tendit ad id, vt venditor rem rehabeat, et praestet, quae (§. 1425.), diximus *s*). Quanti minoris vero pretium solum deminuit (§. 1426.) *t*). Deinde redhibitoria plus simplici vice institui nequit, quanti minoris vero ob diuersa vitia reiterari potest *u*), et vsum adhuc habet, licet actor forsan in redhibitoria succubuerit *x*). 3) *Ratione durationis*, dum redhibitoriae praescriptio breuius, quan-

n) Vberius de hisce vitiis lege STRYCK V.M. h.t. §. 12. sqq. BVDER *de vitiis pecor. venal.* ROEVENSTRVNCK *meditationes aedilitiae de iudicio equestri tum redhibitorio tum aestumatorio.* *o*) WERNHER P. X. obs. 339. *p*) L. 18. pr. et L. 19. pr. D. h.t. *q*) L. 1. §. 8. L. 4 sqq. L. 48. §. f. h.t. *r*) L. 38. D. h.t. *s*) L. 23. §. 1. L. 61. h.t. *t*) L. 1. §. 1. L. 60. h.t. *u*) L. 48. §. 7. h.t. *x*) LEYSER sp. 237. m. 1. sq.

quanti minoris longius tempus requirat. Venditor enim aut de rei vitiis cauit, aut non. Cautione non praestita, redhibitoria duobus, quanti minoris sex mensibus extinguitur *y)*. Quod etiam locum habet, si de ornamentis simul venditis sermo, aut pactum displicentiae est additum *z)*. Si vero de vitiis venditor cauit, redhibitoriae sex mensibus a die initi contractus, quanti minoris intra annum a die scientiae computandum praescribitur *a)*.

qui sciens vitia celauit, ad omne, quod interest, tenetur, secus si non cauit,

§. 1428. Venditor pro rei vitiis respondere debet, licet illa ignorauerit (§. 1423.). In eo tamen inter eum, qui sciens, et eum, qui ignorans rem vendidit vitiosam, est differentia, quod sciens ad damni totius ex vitiosa re emtori enati, vt et eius quod interest, ignorans vero ad simplicem pretii restitutionem, vel quanti minoris teneatur *b)*.

LIB. XXI. TIT. II.
DE
EVICTIONE ET DVPLAE STIPVLATIONE.

euictio, et praestatio euictionis quid?

§. 1429. EVINCERE dicitur *is, qui in lite super re quadam orta, iudicis sententia vincit.* Hinc EVICTIO est *ablatio rei praeuia causae cognitione interueniente iudicis sententia facta.* Possessor, cui res euicta est, haud raro regressum habet contra tertium, ad indemnitatem, et id quod interest, consequendum. *Is, qui ob euictionem possessori ad indemnitatem, seu id quod interest tenetur*, ad euictionis praestationem Gewährleistung obligatus dicitur *c)*.

§. 1430.

y) L. 28. h. t. *z)* L. 31. §. 22. L. 38 pr. h. t. *a)* L. 19 §. fin. L. 55. D. L. 2. C. h. t. *b)* L. 1. C. h. t. *c)* L. 39. §. 2. h. t. L. 8. §. 1. *de pignor. act.* L. 10. *de act. emt.*

§. 1430. Saepe aliquis ex contractu obligatus est, vt efficiat, quo magis rem, quam animo transferendi dominii tradidit, tanquam nostram habeamus. Porro quoque obligationes ex contractu praecise sunt adimplendae (§. 1080.), aut, si hoc fieri nequeat, alteri indemnitas est praestanda (§. 1081.). Ex quibus sequitur, vt is, qui obligatus est ad efficiendum, quo magis rem nobis traditam tanquam nostram habeamus, teneatur efficere, quo magis rem, tanquam nostram, habeamus, aut si hoc fieri nequeat, ob euictionem ab altero factam, praestet indemnitatem, seu id, quod interest. In hoc fundamento nititur obligatio ad euictionis praestationem (§. 1429.). *Is vero, a quo ius in nos transit, quique exinde obligatus est ad resarciendum damnum ex euictione ortum, dicitur* AVCTOR *d*).

fundamentum obligationis ad euictionis praestationem.

§. 1431. Obligatio ad euictionem praestandam praeponit obligationem efficiendi, vt possessor rem sibi traditam tanquam suam habeat (§. 1430.). Haecce vero obligatio vel ex natura negotii cuiusdam per se fluit, vel pacto constituta est expresso. Negotia, quae ex sua natura obligationem ad euictionis praestationem producunt, sunt omnia ea, ex quorum natura nascitur obligatio efficiendi, vt alter rem tanquam suam habeat (§. 1430.). Hinc obligatio ad euictionem praestandam naturaliter inest permutationi *e*), diuisioni *f*), transactioni *g*), dationi in solutum *h*), dotis dationi *i*), et praecipue emtioni venditio

haecce obligatio est vel ex natura contractus, vel ex speciali pacto.

d) L. 175. §. 1. *de R. I.* L. 4. h. t. *e*) L. 29. C. *de euict.* L. 1. C. *de rer. permut. f*) L. 14. C. *fam. erciſc.* L. 66. §. f. h. t. Exceptio est, si ipse testator inter extraneos diuisit. *g*) L. 33. C. *de transact.* WAECHTLER *de euict.* in opusc. p. 8. *h*) L. 4. C. *de euiction. i*) L. 1. C. *de iure dotium.*

tioni (§. 1361.) *k)*, etiam vniuersitatis seu haereditatis. Quo tamen casu non tam singularum rerum quam totius haereditatis eiusque partis euictio praestatur (§. 1389.) *l)*.

cessat euictionis praestatio, si obligatio ad efficiendum, vt alter rem habeat, deficit.

§. 1432. Fundamentum obligationis ad euictionem praestandam in eo est, quod quis obligatus sit ad efficiendum, quo magis possessor rem tanquam suam habeat (§. 1430.). Vbi igitur clare constat, contrahentes intentionem, vt alter rem tanquam suam habeat, vel plane non habuisse, vel saltim moraliter habere non potuisse, obligatio ad euictionem praestandam, nisi pacto sit suscepta, locum non habet. Hinc cessat euictionis praestatio, 1) si ex vniuersitate vendita res singularis est euicta *m)*, 2) si in contractu simplex spes promissa *n)*, 3) si scienti res aliena, aut talis tradita est, in qua ius alteri competens emtor tempore contractus non ignorauit, imo regulariter, nisi pacto aliter conuentum, nec pretium his casibus repeti potest *o)*, 4) si quis non suo, sed alieno nomine vendidit, e. gr. creditor distrahens pignora *p)* (§. 1414.). 5) si ex re per auersionem vendita res quaedam singularis fuerit euicta *q)*.

in donatione.

§. 1433. Si negotium quoddam obligationem perfectam efficiendi, vt alter rem tanquam suam habeat, haud producit, euictio quoque ex negotii natura haud debetur (§. 1432.). Iam vero donator se non obligat ad efficiendum, vt alter rem sibi habeat, sed solum, vt ius donatoris competens transeat

k) L. 11. §. 1. et 2. *de act. E. V.* *l)* L. 2. pr. D. et L. 1. C. h. t. *m)* L. 1. C. *de euiction.* *n)* L. 11. §. 18. *de act. emti.* *o)* L. 27. C. *de euict.* L. 7. C. *comm. vtr. iud.* *p)* L. 12. *de distract. pignor.* *q)* WERNHER P. VI. obs. 447.

in donatarium, E. quoque donator ex donationis natura ad euictionis praestationem haud tenetur *r)*, idque eo magis, ne donator liberalitatis suae poenam patiatur *s)*. Si vero dolose res aliena donata, donator ad damnum resarciendum omnino tenetur *t)*. In remuneratoria et necessaria donatione locum habere statuunt euictionis praestationem *u)*.

cessat euictionis praestatio, si auctor effecit, vt possessor rem habeat.

§. 1434. Si auctor effecit, vt possessor rem, tanquam suam habeat, cessat obligatio ad euictionis praestationem (§. 1430.). Hinc euictionis praestatio exigi nequit, 1) si res vendita casu periit *x)*, aut culpa possoris amissa est *y)*, 2) si possessor vi, vel facto principis, sine causae cognitione *z)*, vel iniusta iudicis sententia deiectus *a)*, 3) si ex iure retractus res est euicta *b)*.

pacta euictionis causa inita.

§. 1435. Saepe quoque conuentiones determinant, an et quomodo euictio sit praestanda *c)*. Spectat huc 1) *pactum, de euictione praestanda*. Vtilitatem affert hoc pactum non solum in iis negotiis, quae ex sua natura obligationem ad euictionem praestandam non producunt, sed quoque in iis, quibus natura-

li-

r) L. 18. §. 3. D. *de donationibus*. L. 2. C. *de euict.* L. 62. *de edicto aedil.* *s)* L. 58. h. t. L. 62. *de ed. aed.* *t)* L. 62. pr. *de edict. aedil.* adde tamen I. G. KOCH *de euictione in donatione non indistincte praestanda*. *u)* STRVV *exerc.* 60. th. 3. 17. WERNHER P. IX. obs. 151. WAECHTLER *de euict.* §. 27. CARPZOV. P. II. const. 34. def. 24. dissentit IO. WVNDERLICH *de euict. in donat. remunerat. non praestanda*. *x)* L. 21. D. et L. 26. C. *de euiction.* *y)* L. 34. pr. L. 51. §. 1. L. 55. h. t. *z)* L. f. C. *de act. emt.* L. 11. D. h. t. *a)* L. 51. pr. D. h. t. *b)* FRANZKIVS h. t. n. 185. BOEHMER consult. T. II. P. I. decis. 81. n. 18. LYNCKER resp. 107. *c)* HELLFELD disp. *de pactis euictionis causa initis*.

raliter iam ineſt obligatio euictionis praeſtandae, dum haec pacto magis determinari, et additis poenis conuentionalibus fortior reddi poteſt *d*), 2) *pactum de non praeſtanda euictione.* Quo quis iuri euictionis praeſtationem exigendi renunciat. Et dubium non eſt, quin validum ſit hoc pactum, quia euictionis praeſtatio ad naturalia contractuum pertinet, quae pacto abeſſe queunt (§. 1069.). *Tacite* quoque iuri euictionis praeſtationem exigendi poteſt renuntiari, ſi nempe quis ſciens rem alienam, ſeu talem, cuius intuitu euictionem imminere ſcit, ſibi adquirit absque ſtipulatione euictionis praeſtandae (§. 1432.). Imo pactum de non praeſtanda euictione impedit, ne emtor pretium pro re euicta ſolutum repetere queat, niſi forſan venditor doloſe egerit, et ſciens rem vendiderit alienam, aut pacto ad reſtitutionem pretii ſe obligauerit *e*). 3) *Duplae ſtipulatio*, qua quis ſe obligat in caſu rei euictae ad pretii accepti reſtitutionem in duplo *f*). Hoc pacto euitatur difficultas probationis, quam ratione eius, quod intereſt, ſubire debet emtor.

§. 1436.

d) I. H. BOEHMER diſſ. *de vſu et commodis pacti de praeſtanda euictione.* *e*) L. 11. §. 18. *de action. emt.* L. 21. C. *de euictionibus.* I. H. BOEHMER *vindiciae iurid. pacti de non praeſtanda euictione contra communes errores.* T. IV. *exercit.* ad D. Contra hanc diſputationem ſcripſit FRANCISC. ALEFF diſp. cui titulus eſt: *Veritas communis opinionis circa pactum de non praeſtanda euictione contra nouiſſimos Boehmeri errores vindicata.* Itidem contra Boehmerum calamum ſtrinxit Io. TOB. RICHTER *de pacto euictionis non praeſtandae inutili.* Horum tamen argumentis ſatisfecit G. L. BOEHMER *in repetitis vindiciis pacti de non praeſtanda euictione.* Adde ZOLL diſp. *quod remiſſa euictione ne quidem ad pretii reſtitutionem agi poſſit.* *f*) L. 37. 52. h. t.

§. 1436.[a] Obligatio ad euictionem praestandam nascitur vel ex ipsius negotii natura, vel ex conuentione (§. 1431.). Inter vtramque iure Romano in eo est differentia, quod obligatio ad euictionis praestationem ex ipsius negotii natura orta bonae fidei, quae vero ex conuentione debetur, stricti iuris censeatur. Obligatio igitur eius, qui ex conuentione ad euictionem tenetur, ex solis stipulationis verbis iudicatur (§. 1074.). *g)*. Qui vero ex negotii natura tenetur, praestare debet omne id, quod propter euictionem possessori abest, et sic quoque sumtus litis, et interesse, habita ratione temporis, quo res euicta est *h)*. Minime vero pretium, vt pretium, peti potest, sed huius restitutio continetur sub eo, quod interest *i)*.

differentia obligationis ad euict. ex stipulatu et ex contr. natura.

§. 1437.[b] Siue vero ex natura negotii, siue ex conuentione obligatio ad euictionem praestandam adsit, illa tamen prius exigi nequit, quam res actu est euicta (§. 1430.), seu per iustam iudicis sententiam ablata (§. 1429). Si igitur res nondum euicta, sed solum euictio imminet, vel saltim tentata est, cessat obligatio ad euictionem praestandam *k)* imo nec refusio expensarum, quas quis in processum, quo euictio infeliciter tentata est, fecit, ab auctore exigi potest *l)*. Quodsi vero euictio iam tentata, id est actio ad euincendum instituta est, emtor pretium retinere, et venditori ad huius solutionem agenti exceptionem imminentis euictionis opponere *m)*, et cautionem de praestanda euictione

re euicta euict. praestatio, nondum euicta mediante retentione cautio exigi potest.

g) L. 48. L. 56. §. 2. h. t. *h)* L. 66. §. 3. L. 70. h. t. *i)* L. 21. C. h. t. L. 1. pr. *de act. emt.* *k)* L. 3. et 9. C. h. t. *l)* STRVV *exerc.* 27. th. 18. *m)* L. 24. C. h.

vrgere *n)*, imo, si de euincentis iure in limine contractus clare constat, ab ipso contractu plane resilire potest *o)*.

cessat, si res culpa amissa, inde litis denuntiatio fieri debet.

§. 1438. Euictionis praestatio exigi nequit, si res culpa possessoris amissa est (§. 1120.). Hinc cessat euictionis praestatio, si possessor quoad formalia processus aliquid neglexit, exceptiones, vel alia, quae ad causae merita spectant, vt et remedia suspensiua omisit *p)*. Ne igitur possessor in processu euictionis aliquid negligat, sicque culpa rem amittat, auctori suo *tempestiue*, i. e. quando defensio adhuc locum habet, litem denuntiet. Denuntiatione enim omissa, ex stricti iuris ratione regressus contra auctorem plane locum non habet *q)*, nisi forsan pacto obligatio ad denuntiandum fuerit remissa, vel dolose res aliena sit tradita, quo casu de dolo agi poterit *r)*.

litis denuntiatio cui, quomodo et quando fieri debet.

§. 1439. Vt regressus contra auctorem effectum habeat, requiritur LITIS DENVNTIATIO (§. 1124.), quae est *actus, quo quis de lite sibi mota eum, contra quem regressum habet, certiorem reddit, eo fine, vt assistentiam in lite praestet.* Litis igitur denuntiatio 1) fit ei, contra quem amissa lite regressus locum habet, et inde non in causa euictionis solum, sed quoque in aliis causis, ex quibus regressus datur,

h. t. L. 18. §. 1. D. *de peric. et comm. rei venditae.* CRAMER obs. T. II. P. I. obs. 438. *n)* CARPZOV. P. II C. 34. def. 37. *o)* arg. L. 30. *de act. emt.* *p)* L. 56. §. 3. L. 63. §. 2. D. L. 19. C. h. t. *q)* L. 8. C. L 53. §. 1. D h. t. *r)* L. 63 h. t. Caeterum in praxi statuunt, possessorem contra auctorem suum habere regressum, si certo constet, causam defendi non potuisse. Et haec sententia analogiae iuris et aequitati conuenit, LAVTERBACH h. t. §. 29.

datur, fieri potest *s)*. 2) Consistit in eo, vt alterum certiorem reddamus de lite mota. Et quidem sufficit certioratio per literas priuatas *t)*. Quamuis consilii sit, vt per iudicem, vbi lis pendet, fiat denuntiatio, quod in Saxonia et Marchia necessario fieri debet *u)*. Vbique tamen litis denuntiato informationis causa simul transmittenda sunt, quae in causa hactenus sunt acta. 3) Finis vero litis denuntiationis est, vt denuntiatus veniat, et assistat denuntianti in lite *x)*. Inde fieri debet eo tempore, quo assistentia adhuc effectum habere potest, sic ab actore statim a momento actionis motae, et a reo ante litis contestationem.

§. 1440. Finis litis denuntiationis est, vt denuntiatus veniat et assistat (§. 1126.), et quidem haec assistentia praestanda est in foro, vbi lis super euictione mota est. Ad hoc denuntiatus aut venit, aut non. Si venit, ille aut assistentiam suscipit, aut negat obligationem ad assistendum. Priori casu euincens quidem contra reum litem continuat, ast litis denuntiatus vel integrum processum simul cum denunciante tanquam litis consorte, vel nomine denuntiantis solus suscipit. Posteriori casu separatus inter denuntiantem et denuntiatum super obligatione euictionem praestandi oritur processus, qui tamen haud raro vsque ad finem causae principalis suspenditur, et quamuis nondum finita causa principali suscipi queat, ille tamen ipsam causam non moratur principalem. Si denuntiatus

litis denuntiati obligatio.

s) L. 10. § 12. *mandati.* ZANGER *de Exc.* P. II. C. 2. § 9. *t)* WERNHER P. VII. obs. 14. *u)* CARPZOV. P. III dec. 211. BERGER *oecon. iur.* lib. III. tit. 8. th. 5 n. 10. *Cod. Frid.* III. 12. 5. *x)* L. 21. h. t.

non venit, nihilominus in causa proceditur principali, et denuntiatus re euicta vel causa amissa de omni damno satisfacere tenetur, nisi docere possit, non iure, sed dolo vel culpa denuntiantis, causam esse amissam *y*).

actio ad euictionis praestationem competens.

§. 1441.[77] Re legitime euicta, illi, qui per euictionem damnum sentit, eiusque haeredibus competit actio contra auctorem immediatum eiusque haeredes *z*), et omnes, qui accessorie pro euictione se obligarunt *a*), non vero contra tertium, nisi ex iure cesso, ad euictionem praestandam. Et quidem, si stipulatione euictio est promissa, *actio ex stipulatu*, si vero ex natura contractus euictio debetur, *actio*, *quae ex ipso contractu* oritur, competit *b*). Plures auctores ad assistendum in solidum, ad indemnitatem vero pro rata tenentur *c*).

LIB. XXI. TIT. III.
DE
EXCEPTIONE REI VENDITAE ET TRADITAE.

exceptio rei venditae quando locum habet, vel non.

§. 1442.[78] Interdum venditor eiusue successores rem, quam vendidit alienam, causa dominii in se translata, ab emtore vult euincere. Cum vero iniquum foret, venditorem suo contrauenire facto, leges emtori concedunt exceptionem rei venditae et traditae *d*), quae etiam doli mali dicitur *e*), et ad id tendit, vt venditor eiusue successores

y) L. 21. et 23. C. h. t. LEYSER sp. 241. toto. *z*) L. 51. §. fin. h. t. WERNHER P. IX. obs. 28. *a*) L. 7. 8. 18. C. h. t. *b*) FR. CALETII *com. ad Tit. de euiction.* apud MEERMANN T. II. p. 312. *c*) arg. L. 85. §. 5 C. de V. O. VOETIVS *comment. ad Dig.* h. t. §. 18. *d*) L. 1. h. t. *e*) L. 17. *de euict.*

res *f)*, sua excludantur petitione *g)*. Cessat tamen haec exceptio, 1) si in ipso contractu, quo res alienata, conuentum, vt alienanti euictio seu vindicatio competat, e. gr. in venditione sub pacto addictionis in diem, lege commissoria, de retrouendendo. 2) Si alienatio ob legis prohibitionem est nulla (§. 1351.) 3) Si mandatarius alienans fines excesserit mandati *h)*.

LIB. XIX. TIT. II.

LOCATI CONDVCTI.

definitio.

§. 1443. Sequitur LOCATIO CONDVCTIO, quae est *contractus consensualis de rei vsu vel operis pro certa mercede praestandis*. Qui rei vsum seu operas pro mercede promittit, *locator*, qui ad mercedem pro rei vsu, seu operis praestandis se obligat, *conductor* dicitur. Ipse vero contractus locationis conductionis 1) est consensualis, et consensu perficitur; 2) requirit rei ad vsum concessionem, vel operarum praestationem, et 3) mercedem, seu pecuniarium quantum pro vsu rei, seu operis soluendum. Hinc proxime emtioni venditioni accedit, iisdemque iuris regulis constat *i)*.

loc. cond. fit consensu, eoque l. expresso l. tacito, qui in relocatione interuenit.

§. 1444. Locatio conductio perficitur consensu (§. 1443.). Hinc nec verbis, nec scriptura, nec alia opus est solennitate, nisi ipsis contrahentibus placeat, in scripturam redigere leges contractus *k)*. Imo et tacito consensu locatio non solum ab initio, ita vt per

f) Etiam singulares, qui rem ex beneficio venditoris acceperunt, L. 3. §. 1. h. t. *g)* L. 17. 73. *de euict.* L. 1. h. t. *h)* L. 1. §. 2. 3. h. t. *i)* L. 1. et 2. h. t. *k)* L. 1. L. 2. pr. L. 14. h. t.

legem vel consuetudinem, vel iudicis arbitrio merces determinetur *l)*, contrahi, sed quoque contracta tácite per continuationem finito tempore renouari possit. Relocatio autem iisdem conditionibus, quae in priori erant conductione, facta censetur, quatenus conditiones mere ab arbitrio contrahentium pendent, nec ex consensu tertii vim obligandi habent *m)*. Tempus vero, ad quod relocatio facta censeri debet, interdum lex, vel conuentio determinat. Hac deficiente, praedia vrbana ad beneplacitum contrahentium, rustica ad annum, modo intra annum fructus plene percipi queant, relocata censentur *n)*.

locatio libera voluntate fieri debet.

§. 1445. Quia consensus perficit locationem; sequitur, 1) vt omnes possint locare conducere, qui consensu se obligare queunt, nisi forsan lege prohibeantur *o)*, 2) vt vis, dolus, metus inualidum reddant locationis contractum (§. 1057. sq.), 3) vt ad locandum et conducendum nemo cogi possit, excepto casu, quo salutis publicae ratio hoc postulet *p)*, aut reliquiae seruilis conditionis in rusticis hoc permittant *q)*.

§. 1446.

l) WERNHER P. I. obs. 68. *m)* L. 13. §. 11. D. L. 16. C. h. t. BERGER E. D. F. P. II. p. 1509. *n)* L. 13. §. fin. h. t. KVNZ *de reloc. tecita.* PVFENDORF T. I. obs. 135. *o)* Talis prohibitio in iure Rom. extat intuitu *curialium*, L. 30. C. h. t. *militum*, L. 31. C. eod. *tutorum et curatorum ratione conductionis fundorum patrimonialium principis*, L. 49. pr. et §. 1. h. t. Addunt, opifices, qui cum strepitu artem faciunt, non posse iuxta aedes litteratorum habitationes conducere. REBVFF *de priuil. vniuersit.* arg. 3. CARPZOV. P. II. c. 37. def. 23. quae tamen non vbique seruantur. *p)* L. 11. §. fin. *de publican. et vectigal.* *q)* Haud raro liberi rusticorum obligantur, vt domino suas operas ad certum locent tempus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0108
DFG

quaenam res locari queant.

§. 1446. Locari autem solent vel res, vel operae. In locatione rerum solum vsus conceditur, minime vero dominium rei locatae transit in conductorem. Inde omnes res, quae in commercio sunt, et vsum praestant absque abusu, possunt locari *r)*, etiam alienae, ad effectum obligandi inter contrahentes *s)*, nisi earum locatio speciali lege sit interdicta, quod e. gr. iure communi factum ratione seruitutis vsus, ratione iuris monetandi *t)*, vt et legibus prouinciarum quarundam ratione iuris venandi. Quatenus vero res principalis recte locatur, eatenus et accessoria, quae specialiter non sunt excepta, simul locata censentur *u)*. Quamuis regulariter ad ius *patronatus* hoc non sit extendendum *x)*.

operae locantur illiberales, honestae, et ad opus.

§. 1447. Porro quoque locantur operae, necesse tamen est, vt sint honestae *y)*, et ILLIBERALES, *quae corpore magis, quam intellectus et ingenii vsu praestantur.* Liberales enim, *quae intellectu et ingenio magis, quam corpore fiunt*, mercedem haud admittunt, ideoque non locantur, (§. 1443.) quamuis pro earum praestatione honorarium mediante contracu innominato valide promittatur *z)*. Interdum quoque locantur operae ad integrum opus perficiendum, quod locatio conductio operis dicitur, quae hoc singulare habet,

r) L. 9. §. 1. L. 31. h. t. *s)* L. 7. D. h. t. Inde ipsi conductori regulariter competit ius sublocandi, Afterpacht, L. 6. C. eod. *t)* Ed. mon. de annis 1551. et 1559. §. 174. *u)* LEYSER sp. 210. *x)* Nec. c. 7. *de iure patron.* sat clarum est. EISENHART *contr. locat. conduct. inter patronum eccles. et candidatum praesentandum intuitu agrorum parochi initum nullum.* *y)* L. 26. de V. O. *z)* L. 2. L. 5. §. 2. *de praescript. verbis.*

quod, qui ad opus perficiendum se obligat pro mercede, ratione operis, conductor, et ratione operarum praestandarum, locator vocetur. Itidem, qui pro opere perficiendo mercedem promittit, locator operis et conductor operarum dicitur *a)*.

merces quae?

§. 1448. In locatione vel rei vsus conceditur, vel operae praestantur pro mercede in pecunia consistente (§. 1443.). Si igitur pro vsu, seu operis, non tam pecunia, quam aliud quid soluitur, negotium in aliam contractus speciem abit *b)*, quamuis certa fructuum quantitas locatori consentienti pro mercede in solutum dari queat *c)*. *Istud vero negotium, quo quis alterius fundum pro certa fructuum, parte colendum suscipit*, COLONIA PARTIARIA vocatur *d)*. Deinde merces eadem, quae pretium, desiderat requisita; et inde debet esse 1) *vera*, adeoque nec vno nummo, nec donationis causa contrahitur (§. 1354.) *e)*; 2) *iusta*, et quidem in conuentionali laesio vltra dimidium abesse debet (§. 1355.) *f)*; 3) *certa*, et quidem vel ex conuentione vel determinatione boni viri, in cuius arbitrium est collata (§. 1354.) *g)*.

est contractus bilateralis, In quo leuis culpa praestatur.

§. 1449. Simulac contrahentes de vsu rei concedendo, vel operis praestandis, vt et mercede pro vsu vel operis soluenda conuenerunt, perfecta est locatio conductio (§. 1444.), quae locatorem aeque ac conductorem obligat. Et inde bilateralis est contractus, ex quo contrahentes vtrinque vtilitatem

a) L. 22. §. 2. h. t. L. 39. de R. V. *b)* L. 5. §. 2. *de praescript. verbis.* *c)* L. 21. C. h. t. *d)* L. 25. §. 6. h. t. *e)* L. 20. §. 1. L. 46. h. t. *f)* L. 22. §. vlt. et L. 23. h. t. *g)* L. 25. pr. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0110
DFG

tatem habent, ideoque ad culpam leuem sibi inuicem praestandam obligantur (§. 1088.) *h)*.

§. 1450. Obligatio vero locatoris rerum in eo potissimum consistit, vt I) rem ad vsum, quem locauit, habilem praestet *i)*. Hoc si non facit, distinguendum, an casu fortuito fuerit impeditus, an non: priori casu locatio conductio resoluitur, ita, vt conductor, prout vel plane nullum, vel particularem solum vsum habuit, mercedem vel plane non, vel pro rata temporis solum soluat et solutam repetat, ac locatorem ad id, quod interest, conuenire nequeat *k)*. Posteriori casu locator, cuius dolo vel culpa leui res non est praestita, ad id, quod interest, tenetur *l)*. Si vero culpa conductoris vsus non perceptus, locator integram exigere potest mercedem *m)*.

obligatio locatoris 1) vt rem tradat ad vsum habilem, et quid? si hoc non fiat.

§. 1451. Deinde II) locator rem ad vsum habilem praestet per tempus conuentione definitum. Inde locator ante temporis definiti lapsum conductorem non potest expellere *n)*. Nisi forsan tales existant circumstantiae, quas locator praeuidere non potuit, et, si eas praeuidisset, ad hocce tempus non contraxisset (§. 1080.). Locatori igitur ius expellendi conductorem competit, 1) si ipse ex necessitate impraeuisa re sua indigeat *o)*, 2) si merces bis non soluta *p)*, 3) si conductor re physice vel moraliter abutatur, 4) si res necessaria indigeat refectione *q)*, quae conducto-

2) non debet expellere conductorem, et exceptiones.

b) L. 25. de R. I. L. 60. §. 7. h. t. *i)* L. 15. §. 1. L. 25. §. 1. et 2. h. t. *k)* L. 27. pr. L. 33. h. t. *l)* L. 33. et 35. h. t. *m)* L. 9. §. 3. L. 25. §. 4. h. t. *n)* L. 3. C. h. t. STRVBEN R. Bed. P. II. arg. 34. *o)* L. 3. C. et 35. h. t. MENCKEN *de iure expellendi colonos ob superuenientem necessitatem.* *p)* L. 54. et 56. h. t. *q)* L. 3. C. h. t.

ductore inhabitante fieri nequit. In hisce vero casibus locator conductorem non priuato ausu, sed iudicis auctoritate, expellere potest.

3) damna et impensas conductori resarcire, et onera realia ferre tenetur.

§. 1452. Quia locatio conductio est contractus consensualis, sicque bonae fidei (§. 1443.); locator obligatur, III) vt conductori damna dolo vel culpa leui data resarciat *r)*, et impensas restituat. Hinc 1) de damno orto ex ruinosis aedibus, quarum reparationem dolo vel culpa leui omisit, recte conuenitur *s)*. 2) Impensas in ipsam substantiam factas, siue necessarias, siue vtiles, et quidem illas indistincte, has, quatenus reuera res melior facta est, resarcire *t)*, vt et 3), onera, quae substantiae *u)*, minime vero, quae personae seu fructibus perceptis inhaerent, ferre tenetur *x)*, nisi pacto aliter sit conuentum *y)*.

obligatio locat. quaenam.

§. 1453. In locatione operarum obligatur locator ad operas, quas promisit, praestandas, debita diligentia, quae regulariter media debetur, nisi negotium sit tale, quod ex sua natura singularem industriam requirit, quo casu summa diligentia est praestanda (§. 1088.). Quod si operae, vel plane non, vel non debita diligentia sunt praestitae, causa aut penes locatorem, aut penes conductorem

r) L. 19. §. 1. *s)* L. 25. §. 2. h. t. L. 13. §. 6. *de damno infecto.* *t)* L. 55. §. 1. L. 61. pr. h. t. LINCK *de indemnitate conductori in locatione verum praestanda.* *u)* Quia onera sequuntur eum, qui habet commoda. Locator vero percipiendo mercedem rei commoda habet, L. 39. *de vsufr.* Sumtus in *metata*, Einquartierung, factos locator suscipere tenetur, L. 9. C. *de metatis.* CARPZOV. P. II. C. 37. def. 15. *x)* c. 28. X. *de decimis.* *y)* LEYSER sp. 216. m. 9.

rem ſtetit. Priori caſu, ſi dolo vel culpa operae non praeſtantur, locator mercedem perdit, et ad intereſſe tenetur *z)*. Si caſus impedimentum fecit, obligatio ad praeſtandum, quod intereſt, ceſſat, et merces non debetur *a)*. Poſteriori caſu, locator mercedem recte exigit, quatenus conductor cauſam dedit, quo minus operas alteri locare potuerit *b)*.

locator operarum quando caſum praeſtat.

§. 1454. Locator operarum caſum non praeſtat (§. 1453.). Exceptio tamen eſt, 1) ſi caſus non eſt mere talis (§. 1090.), vtpote, ſi vitium in opere conducto exiſtens caſum promouit *c)*, 2) ſi quis opus per approbationem, vel menſuram praeſtandum conduxit, et ante approbationem vel admenſurationem caſus ſuperueniat *d)*. 3) Si pacto in ſe ſuſcepit caſum. 4) Si res, cuius intuitu operae praeſtandae, non in ſpecie, ſed in genere reſtituenda eſt *e)*.

remiſſio mercedis quando locum habet.

§. 1455. E contrario conductor obligatur, 1) vt mercedem ſoluat integram. Quia vero in locatione conductione rerum pro fructibus merces ſoluitur (§. 1443.), et fructus fundo adhuc inhaerentes eius acceſſorium ſunt; aequitatis ratio poſtulat, vt locator aliquid de mercede remittat, ſi in fructibus nondum perceptis *f)*, conductor absque

z) L. 19. §. 1. h. t. *a)* L. 15. § 6. h. t. STRVBEN R. Bed. P. III. B. 69. *b)* L. 19. §. 1. L. 38. pr. L. pen. §. 1. h. t. *c)* L. 36. et 37. h. t. L. 59. h. t. L. 1. §. 6. *de policit.* Imo praeſumitur opus ex vitio magis, quam ex caſu periiſſe, ſi intra quindecim annos res periit, LEYSER ſp. 212 m. 5. *d)* L. 36. et 51. §. 1. h. t. *e)* L. 31. h. t. *f)* Habentur autem pro perceptis, et periculum fructuum eſt conductoris tanquam fructuum domini, ſi fructus a fundo ſunt

que sua culpa damnum patitur extrinsecus, non ex vitio fundi, superueniens. Et quidem in casu, quo conductor plane nullos percipere potuit fructus, merces haud debetur. Si vero ob casum fortuitum fructus non in ordinaria, sed in exigua quantitate percipi possunt, illi per oeconomos taxantur, et quod minus est in fructuum aestumatione, quam in mercede promissa, dominus remittere tenetur de locario *g)*. Non vero in computum venit, quod conductor in semen, et culturam agrorum impendit, dum huiusmodi impensas conductor suo fecit periculo *h)*. Imo in locatione ad plures annos facta, vbertas vnius anni compensanda est cum sterilitate alterius *i)*. Pacta tamen modum remissionis plerumque determinant, et * conductor, qui casus in se suscepit omnes, nullam remissionem exigere potest *k)*.

tempus, quo merces soluenda.

§. 1456. Deinde soluenda est merces iusto tempore, quod plerumque contrahentium conuentio determinat. Hac deficiente, in locatione conductione rerum soluenda est mer

sunt separati, §. 36. I. *de rerum diuis.* L. 78. *de rei vindicat.* WERNHER P. VI. obs. 414. Alii tamen fructus tunc demum pro perceptis habent, si triturati sunt. BERGER *oecon. iur.* lib. III. tit. V. §. 23. n. 5. *g)* L. 15. §. 2. 3. 4. 5. 7. L. 25. §. 6. h. t. WESEL *de remiss. mercedis propter bellum, inundationem, sterilitatem.* Amstelod. 1701. in 4to. G H. RIEDESEL ab EISENBACH *de eo, quod iustum est circa remiss. mercedis in locat. conduct. ob calamitates bellicas.* FALKNER *de remissione locarii ob sterilitatem aliosque casus fortuitos.* BALTHASAR *de remiss. mercedis ob ingens damnum ex lue pecorum conductori contingens.* Optime vero rem determinat Cod. Frideric. P. IV. tit. 8. §. 18. sqq. *b)* L. 15. §. 2. et 7. h. t. *i)* L. 15. §. 4. h. t. *k)* L. 9. §. 2. h. t. DE PVFENDORF IV. obs. 78.

merces post plenam vsus conducti perceptionem. Inde regulariter in locatione ad plures annos facta, et in singulos annos certa mercedis quantitate promissa, anno elapso merces debetur *l)*. In conductione operarum merces, nisi pactum vel consuetudo diem alio modo determinet, pro rata temporis potest exigi. Si opus per auersionem conductum, regulariter perfecto demum opere merces debetur *m)*, nec tamen pacta excluduntur.

causae, ob quas conductor potest recedere.

§. 1457. Integra autem merces soluenda est, licet conductor ante finitum conductionis tempus rem conductam absque iusta causa deseruerit *n)*. Iusta rem deserendi causa censetur, si absque conductoris dolo vel culpa se exerunt circumstantiae, ob quas conductor re conducta vel plane non, vel non amplius secure frui potest *o)*. Minime vero iusta recedendi causa est, si vtilitas plene percipi nequit, quamuis certo modo remissio exigi queat (§. 1455.).

conductor damna quatenus resarciat, vt et de contractu socidae.

§. 1458. Obligatur II) conductor, vt rem conductam debita diligentia per totum tempus conductionis custodiat et conseruet. Alias damnum dolo vel culpa leui datum resarciat *p)*. Minime vero de damno respondet

l) Exigenti enim mercedem ante vsum perceptum exceptio nondum adimpleti contractus obstaret. Adde arg. L. 29. et 140. de V.O. *m)* arg. L. 80 §. 8. *ad L. Falcid.* L. 30. pr. h. t. *n)* L. 27. §. 1. L. 55. §. 2. h. t. *o)* Talis est metus iustus incursionis hostium, L. 13. §. 7. h. t. incendii, L. 49 §. 1. *ad L. Aquil.* pestis, L. 27. §. 1. h. t. minime vero spectrorum, THOMASIVS *de non rescind. loc. conduct. ob metum spectrorum.* Adde ROMANI diss. *de rescissione loc. cond. ob metum spectrorum.* *p)* L. 9. §. 3. h. t. L. 12. pr. §. 1. D. L. 28. C. h. t.

det casuali, nisi casus sit mixtus aut illum in se receperit. Deficiente pacto, nec ex familiae suae facto obligatur *q)*, nisi forsan negligentia circa inspectionem in familiam imputari queat. In SOCIDAE vero contractu, *quo instrumentum fundi aestumato conductori traditur*, conductor res sibi traditas non praecise, sed in quantitate et qualitate restituere, ideoque casum ferre tenetur *r)*.

Res conducta sine iusta causa retineri nequit.

§. 1459. Tandem III) conductor obligatur, vt finita locatione in specie, et quidem statim, rem restituat *s)*, nisi iusta ex causa ius retentionis habeat *t)*. Hoc deficiente ob restitutionem omissam, ad id quod interest tenetur, imo si restitutionem vsque ad sententiam condemnatoriam distulerit, non solum rem locatam, sed eius quoque aestumationem praestare compellitur *u)*, quae tamen poena hodie cessat. Nec declinari potest restitutio per exceptionem dominii sibi competentis, vel ex parte locatoris deficientis *x)*, vel debiti, quod in ipsa contractus locati natura non nititur *y)*.

Finitur locatio temporis lapsu, et resoluto iure locatoris, haeres tamen, non vero successor singularis tenetur.

§. 1460. Finitur locatio conductio praeter casus (§. 1457. et 1451.) dictos, tempore constituto praeterlapso et iure locatoris resoluto *z)*, minime vero morte contrahentium. Haeres enim conductoris eodem iure in conductionem succedit, ac haeres locatoris contractum seruare tenetur *a)*. Nisi in locatione operarum personae industria sit electa, vel contractui precarii qualitas adiecta

q) L. 11. pr. et L. 30. § 4. h. t. LEYSER spec. 217. *r)* L. 3. h. t. *s)* L. 31. et 39. h. t. *t)* quod tamen restringit Cod. Frid. P. IV. tit. 8. §. 6. *u)* L. pen. C. h. t. *x)* L. 25. C. h. t. *y)* L. 34. C. h. t. L. 10. C. *vnde vi*. *z)* L. 9. §. 1. L. 1. h. t. *a)* §. vlt. Inst. h. t. L. 10. C. L. 19. §. 8. D. h. t. L. 49. D. de O. et A.

iecta fuerit. Sicuti vero obligationes ex contractu non transeunt in successores singulares, ita quoque singularis successor ex locatione antecessoris haud obligatur. Sunt autem successores singulares omnes, qui non in vniuersum ius antecessoris, sed solum in rem singularem iure proprio successerunt, v. gr. emtor, legatarius, proprietarius, qui vsufructuariam rem recepit, agnatus in feudo succedens, sunt successores singulares, qui locationi antecessoris stare haud tenentur *b)*.

successor singularis nec ad tradendum, nec ad continuationem tenetur, et varia habet remedia, quibus expellere potest.

§. 1461. Quia successor singularis ex contractu locationis ab antecessore inito haud obligatur (§. 1460.), ille quoque ad traditionem rei locatae non tenetur, potius conductorem, si res ad vsum iam tradita est, potest expellere *c)*. Quam in rem successori non solum actio aduersus auctorem suum competit, vt vacuam praestet possessionem (§. 1361.), sed quoque contra conductorem resistentem interdicto unde vi *d)*, vel rei vindicatione, vt et condictione sine causa et ex lege vti potest *e)*. E contrario nec conductor inuitus ad conductionem cum successore singulari continuandam potest compelli *f)*.

Caete-

b) L. 25. §. 1. D. L. 9. C. h. t. Inde recte se habet paroemia: Kauf geht vor Miethe, quam impugnant H. Zollius disp. ad L. 9. C. *locati, qua communis sententia:* Kauf geht vor Miethe, *refutatur*. Quem tamen refellere fuit conatus Zaunschliffer. Gerhard Kauf geht vor Miethe. *c)* L. 9. C. *locati*. *d)* arg. L. 12. et 18. *de vi et vi armata*. Bodinvs *de expellendo conductore*. Wernher P. VII. obs. 3. Sieber *de conductore fundi spoliatore*. *e)* Ayrer *de genere actionis aduersus conductorem cedere emtori nolentem*. T. I. opusc. arg. 6. *f)* L. 32. h. t.

Caeterum conductor, nondum finita conductione expulsus, actionem ad id, quod interest, habet aduersus locatorem voluntarie alienantem *g)*, et eum, qui ius suum temporarium dolo siluit *h)*.

casus, quibus conductor a successore singul. expeli nequit.

§. 1462. Non desunt tamen casus, quibus successor singularis conductorem expellere nequit. Cessat enim ius expellendi, 1) si quis a fisco conduxit *i)*, 2) si quis solum in bona immissus est *k)*, 3) si locationi pactum de non alienando intra tempus conductionis adiectum, simulque in securitatem huius pacti hypotheca in ipsa re conducta est constituta *l)*, 4) si successor singularis ad seruandam antecessoris locationem ex proprio facto est obligatus *m)*.

actiones.

§. 1463. Ex contractu locationis conductionis obligatur locator aeque ac conductor. Vterque ad suam adimplendam obligationem mediante actione personali potest compelli. Et quidem locatori eiusque haeredi contra conductorem eiusque haeredes competit ACTIO LOCATI ad soluendam mercedem (§. 1455.), et rem finito contractu restituendam (§. 1459.) praestandumque damnum dolo vel culpa leui datum (§. 1458.), ac insuper ad pacta adiecta adimplenda. Conductori eiusque haeredi aduersus locatorem eiusue haeredem competit ACTIO CONDVCTI ad rei

g) L. 24. §. 4. h. t. *h)* Conductor, sciens locatoria ius esse temporarium, eo ante locationem finitam extincto, contra locatorem eiusque haeredes actione ad id, quod interest, non gaudet, L. 9. §. 1. h. t. *i)* L. 50. *de iure fisci*. *k)* L. 8. §. 1. *de rebus auctoritate iudic. possid*. *l)* WERNHER P. II. obs. 216. P. VII. obs. 227. hypotheca vero nullius est momenti, si ius constituentis est resolutum. *m)* L. 9. C. *locati*.

rei conductae vsum, operasque praestandas, refundendas impensas necessarias et vtiles (§. 1451.), damnumque dolo vel leui culpa datum resarciendum (§. 1452.).

§. 1464. Actiones locati et conducti sunt personales (§. 1463.), ideoque contra tertium instituí nequeunt. Hinc 1) in casu, quo vna eademque res diuersis personis est locata, contra eum, qui rem ad vsum traditam accepit, is, qui prior conduxit, nullam habet actionem. Sed is, qui rem traditam tenet, aliis praefertur *n*). Si res neutri tradita est, prior conductor iure est potior, 2) nec actio locati contra subconductorem locatori, nec subconductori actio conducti contra priorem locatorem competit. 4) Tandem adhuc notandum, quod in contractu locationis conductionis ius protimiseos non habeat locum *o*), exceptis conductionibus fiscalibus *p*).

contra tertium, et sic contra subconductorem non competit, nec ius protimiseos locum habet.

LIB. XIV. TIT. N.
DE LEGE RHODIA DE IACTV.

§. 1465. Rhodii, populus nauticus, legibus vtebatur nauticis aequissimis, quae Romanis se ita commendarunt, vt eas pro parte reciperent. Praesertim harum legum caput, quod de iactu conceptum erat, in ius migrauit Iustinianeum, et praesentem occupat titulum. Cautum vero erat huius legis capite: *vt si leuandae nauis gratia iactus mercium factus erat, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est q*).

lex Rhodia vnde sit, eiusque dispositio.

n) arg. L. 15. C. de R.V. *o*) RIVINVS disp. *de retractu legal. in locat. conduct. locum non habente.* *p*) L. 4. et 5. C. *de locat. praed. siuil.* RIVINI disp. *an et quatenus in locat. fundor. public. veteres poss. praeferendi.* *q*) L. 1. D. h.t. Historiam legis Rhodiae

eius fundamentum.

§. 1466. Fundamentum obligationis ex lege Rhodia de iactu est aequitas. Aequissimum enim est, vt is, qui in communi periculo damnum susciendo reliquos, eorumque res conseruauit, pro rata indemnis praestetur, sicque commune fiat detrimentum eorum, qui propter amissas res aliorum, consecuti sunt, vt merces suas haberent *r*). Vt igitur obligatio ad resarcitionem damni ex iactu passi locum habeat, requiritur, 1) vt periculum commune ex imminente ortum naufragio *s*), necessarium fecerit iactum, 2) vt damnum per iactum alicui sit illatum *t*), 3) vt nauis et merces reliquae in naui existentes sint conseruatae *u*).

cessat, si commune non fuit periculum.

§. 1467. Vt obligatio propter iactum locum habeat, requiritur, vt commune periculum iactum fecerit necessarium (§ 1466.). Cessat igitur obligatio et actio, 1) si culpa alterius praecedens, vel imperitia magistri, periculo occasionem dedit *x*), 2) si a quibusdam ex vano metu res sint iactae.

aut damnum deficit.

§. 1468. Porro requiritur, vt damnum per iactum sit datum (§. 1466.). Hinc cessat obligatio ad resarcitionem damni, si res iacta recuperatae sunt *y*) quippe quae domino sunt restituendae, nec fisco cedunt *z*), quamuis in quibusdam locis bona naufragorum ex singulari iure (das Strand-Recht), fisco cedant

diae exhibet A. LANGII *introductio in notitiam legum nauticarum.* Ipsas leges nauales Rhodiorum IO. LAVRENTIVS adiecit, PETR. PECKII *comment. ad rem nauticam.* *r*) L. 2. pr. h. t. *s*) L. 5. pr. h. t. *t*) L. 4. fin. h. t. *u*) L. 2. §. 7. h. t. *x*) Hoc casu ex lege Aquilia actio competit arg. L. 27. §. 23. *ad L. Aquil.* L. 30. §. 2. *locati.* *y*) L. 7. L. 4. § 1. h. t. *z*) L. 1. §. vlt. L. 8. §. vlt. h. t. §. vlt. Inst. de R. D. L. 1. *de naufr.* AVTH. *nauigia.* C. *de furtis.*

dant *a)*. Bene vero haec obligatio locum habet, 1) si res leuandae nauis causa scaphae sunt impositae et scapha submersa *b)*, 2) si res aliorum propter iactum aspergine deteriores factae *c)*, 3) nauis a praedone redemta sit *d)*.

si merees non sunt seruatae.

§. 1469. Tertio requiritur, vt nauis et merces in ea existentes sint seruatae (§. 1466.). Inde collatio exigi nequit, si nauis nihilosecius fuerit submersa *e)*. Sufficit autem per iactum nauem semel esse seruatam. Obligatio contribuendi non cessat, quamuis alio tempore nauis perierit *f)*.

ad refarcitionem damni qui conferant, et quomodo fiat aestumatio.

§. 1470. Si requisita (§. 1466.) exposita adsunt, aequum est, vt illi, qui ex iactu damnum habent, indemnes praestentur ab iis, quorum res per iactum sunt conseruatae. Et quidem onus conferendi non solum omnes adficit res seruatas, etiam eas, quibus nauis non oneratur, veluti gemmas, margaritas, vestimenta, sed quoque ipsam nauem, et res deiectas *g)*, minime corpora libera et cibaria. Quia vero obligatio ad indemnitatem solum tendit (§. 1466.), aequum visum est, vt res amissae aestumarentur, quanti emtae, seruatae, quanti venire possent *h)*.

a) Curiosa quaedam de hocce iure legi possunt in DREYERI *spec. iur. publ. Lubec. circa pacta et priuilegia, quibus Lubecae circa ius naufragii*, Strandrecht, *est prouisum*. *b)* L. 4. pr. h. t. *c)* L. 4. fin. h. t. *d)* L. 2. §. 3. h. t. *e)* L. 5. pr. et L. 7. h. t. *f)* L. 4. h. t. *g)* L. 2. § 2 D. h. t. Inde paroemia: Haverey geht über Schiff und Gut. IVBECK *de iure auariae*. *h)* L. 2. §. 2. 4 h. t. Iure *Wisbycensi* art. 20. et 38. aestumatio omnium rerum fit secundum pretium, quo vendi potuerunt. Consentit *Ius Hanseat.* tit. 8. art. 1. *Statuta Hamb.* P. II. tit. 16. art. 2. adde KVRIGKE *ius maritimum*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0121
DFG

actio ob iactum competens.

§. 1471. Singulare est, quod Romani, quamuis aequitatem obligationis resarciendi damnum leges agnoscant, specialem de iactu actionem haud concesserint, sed is, qui merces iactu amiserat, actione locati cum magistro nauis agebat, vt damnum praestaret. Magister vero nauis cum iis, quorum merces seruatae ex conducto, vt detrimentum pro rata sua conferant, agere, vel actiones suas cedere, imo et iure retentionis vti potest *i*).

extensio h. legis.

§. 1472. Quamuis vero lex Rhodia ad damnum ex iactu ortum pertineat, eius tamen ratio (§. 1466.) exposita latius spectat. Inde ob paritatem rationis dispositionem huius legis extendunt ad alia damna, quae quis in periculo communi ad aliorum conseruationem suscepit *k*).

LIB. XVII. TIT. II.

PRO SOCIO.

societas in genere et proprie talis defin.

§. 1473. Alius contractus consensualis est SOCIETAS, quae in generaliori significatu est *status, quo duo pluresue finem communem coniunctis viribus existentem reddere volunt.* Quatenus vero ad species contractuum refertur, SOCIETAS est *contractus consensualis de re vel opera honesta conferenda, quo magis commune fieri queat lucrum.* Omnis igitur societas 1) fit consensu

i) L. 2. pr. et § 2. h. t. Caeterum hunc titulum illustrant P. BECK *commentarii in tit. D. et C. ad rem nauticam pertinentes*, IAC. GOTHOFREDI *hypomnem. de imperio maris, iure naufragii colligendi*, et de L. Rhodia. *k*) LAUTERBACH *de aequitate et extensione legis Rhodiae.* F. PLATNER *de usu legis Rhodiae de iactu in bello terrestri.*

sensu *l*), 2) in illa res vel operae communicantur *m*), 3) eo fine, vt commune fiat lucrum *n*), 4) innititur hic contractus singulari amicitiae fiducia, ob quam socii sibi inuicem fratrum loco censentur *o*), et a Germanorum Magen, societas eine Magenschaft, Mascopey, dicitur.

societas cum communione coniuncta varias habet species.

§. 1473. In societate res vel operae communicantur (§. 1472.), ideoque cum societate proprie tali, quae ad lucrum commune faciendum tendit, semper coniuncta est communio quaedam bonorum; aliae vero societates plerumque sine communione; sic societas sine communione et communio sine societate existere potest *p*). Si vero cum societate communio quaedam coniuncta est, illa vel adquaestum solum vel simul quoque substantiam efficit communem. *Si omnia bona, quoad substantiam et adquaestum sunt communia inter socios*, VNIVERSALIS *q*), *si quaedam*, PARTICVLARIS adest SOCIETAS *r*). *Si solus adquaestus communis est*, ille aut *de omnibus*, aut *de quibusdam bonis inter socios sit communis*. Priori casu GENERALIS, posteriori vero SPECIALIS, QVAESTVARIA *s*).

iura societatis vniuersalis et generalis.

§. 1474. In societate vniuersali omnia sociorum bona fiunt communia (§. 1473), siue praesentia siue futura, etiam haereditas, legata, aut quacunque ratione *ff*), imo ignorantibus sociis turpiter *t*) adquisita. Et licet

l) §. vn. Inst. *de oblig. ex consensu.* *m*) L. 31. 32. 34. h. t. *n*) L. 29. §. 2. h. t. *o*) L. 63. pr. h. t. *p*) L. 2. *de comm. diuid.* L. 31. sq. h. t. L. 2. 16. 25. *fam. ercisc.* *q*) L. 1. §. 1 L. 3. §. 1. L. 73. pr. §. 1. h. t. *r*) pr. Inst. h. t. L. 5. pr. L. 52. § 5 h. t. *s*) L. 7. et 8. h. t. *ff*) L. 3. §. 1. L. 73. pr. h. t. *t*) Si turpitudinem sciuerunt socii, illi tanquam ex facto illicito obligantur, L. 54. 55. 56. h. t.

regulariter dominium absque traditione in alterum non transeat, exceptio tamen est in societate vniuersali, qua omnia bona ipso iure absque traditione fiunt communia *u*), exceptis nominibus, quae in suo statu manent, et socii sibi inuicem actiones cedunt *x*). Sicuti vero omnia in societate vniuersali communia sunt, ita quoque, quod a quolibet socio erogatur, communis impendii est, ideoque et debita, ac ea, quae in honorem liberorum, puta in studia, dotem, curationem eroganda sunt, ex communione sumi queunt *y*). In societate vero generali adquaestus solum communicatur, non haereditates, legata, donationes, aut ipsa bonorum substantia. Ex hac quoque illa solum erogantur, quae ad quaestum pertinent *z*). In dubio generalis quaestuaria prae vniuersali praesumitur societas *a*).

societas perficitur consensu, consummatur traditione.

§. 1475. Quia societas perficitur consensu, illa nec traditionem, nec scripturam ad sui perfectionem desiderat, sed expresso aeque ac tacito consensu, seu ipso facto, potest iniri *c*), imo vniuersalis societas, licet raro, interdum tamen, tacito contrahitur consensu *c*). Ad implementum vero societatis accedere debet traditio *d*).

conferri possunt vel res vel operae, modo honestae.

§. 1476. In societatem conferuntur vel *res*, sub quibus et pecunia intelligitur, vel *operae*, vel vtrumque *e*), et perinde est, quid in societatem quilibet conferat, modo vtrinque

u) L. 1. §. 1. L. 2. h. t. *x*) L. 3. pr. h. t. *y*) L. 73. §. 1. h. t. *z*) L. 7. 8. 9. 10. 11. et 71. §. 1. h. t. *a*) L. 7. h. t. *b*) L. 4 pr. h. t. HERTIVS *de societate facto constituta*. *c*) exemplo sit societas vniuersalis inter coniuges, secundum quorundam locorum statuta obtinens. *d*) WERNHER P. I. obs. 103. *e*) L. 5. §. 1. L. 52. §. 2. L. 96. D. L. 1. C. h. t.

que aliquid, quod *honestum* est *f)*, conferatur, secundum conuentionis legem *g)*, et qui operas praestat, illas tanquam socius, non tanquam institor, vel, ex locatione societati praestet *h)*.

lucrum quomodo computetur et diuidatur.

§. 1477. Finis societatis est, vt lucrum fiat commune (§. 1472.). Lucrum autem non nisi omni deducto damno, neque damnum, nisi omni lucro deducto, intelligitur *i)*. Inde inter socios lucrum et damnum est commune. Si deducto damno lucrum supereſt, illud regulariter finita societate, nisi aliter conuentum fuerit *k)*, inter socios diuiditur. Quaenam autem portio cuilibet adsignanda sit socio, aut pacto est determinatum, aut non. Priori casu pacto standum *l)*, nisi illud essentiae huius contractus sit contrarium. Inde non valet pactum, vt alter lucrum tantum, alter damnum solus sentiat, qualis *societas leonina* veteribus est dicta *m)*. Posteriori casu, si nullae damni vel lucri partes pacto adiectae, aequalitas in lucri diuisione est seruanda, si aequaliter collatum *n)*. Si inaequalis est collatio, lucrum pro rata eius, quod quisque contulit, communicatur *o)*. Quo tamen casu, si operae collatae, harum aestumatio vel ex conuentione, vel ex arbitrio boni viri facienda, ita, vt pro rata quanti operarum aestumati socius lucrum capiat *p)*.

f) L. 52. §. 17 L. 53. L. 57. h. t. *g)* L. 5. §. 2. h. t. *h)* Si vnus operas, alter pecuniam confert, pecunia collata conferenti manet praecipua, L. 52. §. 2. h. t. *i)* §. 2. I. et L. 30. D. h. t. *k)* L. 30. h. t. STRYCK *Vs. mod.* h. t §. 5. *l)* §. 1. et 3. Inst. h. t. L. 23. *de R. I.* *m)* L. 29. §. 2. h. t. dicitur leonina ex fabula Phaedri, L. 1. obs. 5. ECKHARD disp. *de societate leonina*. *n)* §. 1. Inst. et L. 29. pr. D. h. t. *o)* arg. L. 6. 29. pr. et L. 80. h. t. *p)* L. 52. §. 2. h. t.

socii sibi inuicem fidem habere debent, et benef. competent gaudent

§. 1478. Socii intuitu societatis sibi fratrum loco habentur (§. 1492.). Inde 1) Leges infamiam minantur socio, qui perfide agit *q)*, 2) beneficium competentiae inter socios locum habet *r)*, 3) in rationibus reddendis, si de minori summa, vel tali, de qua apochae dari non solent, sermo est, assertis vel iuramento socii fides habetur *s)*.

obligationes sociorum.

§. 1479. Quia in societate res vel operae eo communicantur fine, vt fiat lucrum commune (§. 1472.); satis patet, quemlibet sociorum obligari, 1) vt ea, quae in societatem conferre se obligauit, conferat (§. 1476.); 2) rem communem diligenter administret, ad plus tamen, quam culpam leuem in concreto praestandam haud tenetur (§. 1088.), sicque nec culpam leuissimam, nec casum mere talem praestat *t)*, sed damna mere casualia in re communi communia, in re vnius socii, conferentis sunt *u)* (1090.); 3) *Damna* dolo, vel culpa leui in concreto data resarciat, ita, vt nec compendium in vno negotio factum cum damno, quod in altero negotio dedit, compensare queat *x)*; 4) *Rationes* secundum inuentarium reddat, easque socio inspectionem vrgenti exhibeat *y)*; 5) id, quod *residuum* manet, vt et, quod fecit *lucrum*, vel quae societati adquisiuit iura, cum reliquis sociis communicet *z)*, 6) *impensas*, quas vnus ex sociis in vtilitatem societatis fecit, nisi aliter conuentum, pro rata resar-

WERNHER P. III. obs. 178 ENGAV *de societate mercatoria* § 21. sqq. *q)* L. 6. *de his, qui notantur infam.* *r)* L. 22. §. 1 D. L. 63. h. t. *s)* LEYSER sp. 184. m. 9. *t)* §. vlt. Inst. L. 52. §. 2 3. L. 72. h. t. *u)* L. 52. §. 3. 4. L. 58. pr. §. 1. h. t. L. 9. C. *de negotior. act.* *x)* L. 25. et 26. h. t. *y)* L. 89. §. 2. de V. S. *z)* L. 74. h. t.

resarciat *a)*, ob moram in restituendo, vel si socius pecuniam sub vsuris mutuatus est, *vsuras* praestet *b)*.

actio pro socio.

§. 1480. Quia societas est contractus nominatus (§. 1073.), illa producit actionem PRO SOCIO, quae, *personalis, et vtrinque directa, competit aduersus socios, ad id, vt suas adimpleant obligationes, sicque conferant conferenda, communicent lucra, et damna resarciant.* Ad dissolutionem societatis et diuisionem rei communis, non haec, sed de communi diuidundo actio locum habet *c)*.

iura et obligationes sociorum intuitu tertii.

§. 1481. Actio pro socio competit sociis inter se (§. 1480.), extraneo vero contra socios, quibuscum contraxit, non actio pro socio, sed actio ex contractu, ex quo nata est obligatio, competit *d)*. Et quidem cum tertio, vel omnes socii coniunctim contraxerunt, vel non. Priori casu, stante societate, socii tenentur in solidum; dissoluta societate, quilibet pro rata conueniendus est *e)*. In solidum vero tenentur, si per institorem seu exercitorem contraxerunt. Posteriori casu, contractus aut nomine societatis est initus, aut non. Hic societas non obligatur, nisi forsan versio doceri queat, illic socii itidem non tenentur, nisi forsan contrahenti mandatum dederunt, aut versio probetur. Porro quoque societas ex socii contra-

a) L. 52. §. 15. h. t. *b)* L. 67. §. 2. h. t. *c)* L. 1. 2. h. t. *d)* L. 69. *pro socio.* *e)* L. 27. et 82. h. t. stante enim societate socii tanquam vna persona considerantur, et ex bonis societatis satisfacere queunt. CARPZOV. P. II. Const. 17. def. 12. MARQVARD *de mercatura.* lib. II. cap. 11. n. 11. sqq. Dissoluta societate socii pro rata tenentur, L. 44. *de aedil. ed.* L. 12. C. *si certum petatur.* PVFENDORF T. IV. obs. 34.

contractibus non adquirit, nisi forsan vniuersalis fuerit, aut ex mandato seu nomine societatis fuerit contractum, et hoc casu societas ratihabeat gesta *f)*.

modi, quibus finitur societas,

§. 1482 Quia societas est contractus consensualis, qui in singulari nititur fiducia (§. 1472.); satis patet, eam finiri 1) mutuo dissensu *g)*, 2) renuntiatione vnius ex sociis, modo nec dolosa nec intempestiua, et sociis declarata sit, alias socium liberat renuntians, ipse non liberatur, sicque lucrum communicare, damnum solus ferre, et quod sociis intulit, resarcire tenetur *h)*. Nec renuntiationem impedit pactum de societate ad longissimum tempus, vel in perpetuum continuanda. Ab ea vero societate, quae singularis negotii temporalis causa inita est, absque iusta causa recedere non licet. 3) Morte vnius ex sociis, nam haeres non tenetur continuare societatem, licet expresse ita conuenerit *i)* (§. 1078.), excepta vectigalium societate *k)*, 4) morte ciuili *l)*, 5) cessione ac publicatione bonorum *m)*, 6) rei, intuitu cuius existit, interitu, 7) lapsu conuenti temporis, 8) fine negotii obtento *n)*. Dissolutio tamen societatis tertio haud nocet, et socii de communibus adimplendis obligationibus a se inuicem cautiones exigere possunt *o)*.

LIB.

f) LAVTERBACH *de sociorum obligatione, quae oritur ex conuentione cum extraneis.* *g)* L. 63. §. vlt. L. 65. §. 3. h. t. *h)* L. 17. §. 1. 2. L. 64. 65. §. 3. 7. h. t. *i)* L. 40. 59. 65. §. 9. 11. h. t. *k)* L. 59 pr. h. t. *l)* L. 4. §. 1. L. 63. §. vlt. h. t. *m)* L. 4 §. 1. L. 65. §. 12. h. t. *n)* L. 63. §. vlt. L. 65. §. 5. h. t. *o)* L. 11. §. 2. sqq. *de instit. act.* L. 27. h. t.

LIB. XVII. TIT. I.

MANDATI VEL CONTRA.

§. 1483. Mandatum est *contractus consensualis de negotio alterius ex eius voluntate gratis expediendo.* Persicitur igitur mandatum solo consensu, eoque vel *vero* vel *praesumto*, sicque vel *verum* vel *praesumtum* est. Illud rursus, prout in expresso vel tacito nititur consensu, vel *expressum*, vel *tacitum* est. Tacitum mandatum eo casu adest, si sciens dominus negotium suum expediri patitur, minime vero vltra actum, cuius scientiam principalis habet, extendi potest *p)*. mandatum defin. eiusque species.

§. 1484. Mandatum praesumtum in consensu nititur ficto (§. 1483.). Fingunt enim interdum leges aliquem habere mandatum. Ratio huius fictionis in eo latet, quod pro aliquo praesumtio militet, eum bona fide omnique diligentia negotium gesturum, sicque fore, vt principalis illud ratihabeat. Talis praesumtio capienda est 1) pro iis, qui principali sunt parentis, vel filii, vel coniugis loco, aut cum eo in secundo gradu cognationis, aut affinitatis sunt coniuncti *q)*, 2) pro iis, qui cum principali commune habent interesse, quales sunt litis consortes *r)*, et quos regressus tenet, 3) pro iis, qui documenta ad causam pertinentia possident *s)*. mandatum praesumtum quinam habent.

§. 1485.

p) c. 12. X. *de procuratoribus.* LEYSER sp. 53. m. 11. *q)* L. 35. 40. pr. D. et L. 21. C. h. t. quatenus iure communi maritus in causa vxoris sine mandato in iudicio admittatur, PVFENDORF T. I. obs. 12. *r)* L. 2. C. *de consort. eiusd. litis.* in causa vniuersitatis interesse commune concernentibus, membra vniuersitatis litis consortes habentur. STRYCK V. M. L. 3. T. 4. §. 7. *s)* c. 34. X. *de officio et potestate iud. deleg.*

contractus mandati in quo consistat.

§. 1485. Mandatum 1) perficitur consensu, 2) in illo suscipitur alterius negotium, 3) et nascitur obligatio ad alterius negotium expediendum, 4) ex committentis voluntate, et quidem 5) gratis *t*) (§. 1483.).

consensu perficitur, et ratihabitio pro mandato est.

§. 1486. Quia mandatum perficitur consensu (§. 1485.), consequens est, vt perinde sit, siue quis praesens, siue per epistolam, siue per nuncium, quibusque verbis mandet *u*), imo et ratihabitio negotii nondum absoluti pro mandato est. Negotio plene perfecto, si accedit ratihabitio, non mandatum, sed negotiorum gestionem habemus *x*).

mandatum vel simplex vel qualific.

§. 1487. In mandato suscipitur alterius negotium. Alterius negotium est, quod alter expediendum mihi commisit, nihilque interest, siue in ipsum mandantem, siue in tertium ex negotio redundet vtilitas *y*). Inde nascitur distinctio in mandatum SIMPLEX et QVALIFICATVM. Illud est, *quo alicui committo negotium in meam vtilitatem expediendum.* Hoc vero est, *quo alicui aliquid committo in alterius vtilitatem meo periculo expediendum z*). Mandatum qualificatum interceſſionis species est, ideoque mulieres illud dare nequeunt.

mandatum rei turpis.

§. 1488. Ex mandato nascitur obligatio ad alterius negotium expediendum. Sicuti vero ad impossibilia siue naturaliter siue moraliter talia, nulla datur obligatio (§. 1080. 1083.); ita quoque est mandati obligatio, si negotium commissum est tale, quod vel naturaliter, vel moraliter per alium expediri nequit. Hinc ex mandato turpis vel inhonesti

t) L. 56. §. 3. D. L. 17. C. h. t. *u*) L. 1. §. 1. 2. h. t. *x*) L. 20. §. 1. L. 50. h. t. L. 60. *de reg. iur.* *y*) pr. et §. 1. *de mandato.* *z*) L. 6. §. 4. L. 16. L. 22. §. 2. 4. h. t.

nesti negotii nec obligatio, nec actio inter mandantem et mandatarium locum habet *a*). Si vero factum illicitum ex mandato commissum est, vterque mandans et mandatarius ad laesionis reparationem in solidum tenetur *b*), vterque etiam poenam luit *c*), imo excessus in exequendo, qui facile praeuideri potuit, mandanti imputatur.

mandatum expediri debet in propria persona, debita diligentia, et limites seruare.

§. 1489. Mandatarius negotia alterius ex committentis voluntate et quidem iudicialia, nisi substitutio expresse permissa, in propria persona, expedire debet *d*). Quo magis vero omnia ex committentis voluntate expediantur, mandatarius in exequendo mandato omnem diligentiam adhibere, sicque culpam leuissimam praestare tenetur *e*), nisi forsan voluntas generaliter fuerit significata, et negotium arbitrio mandatarii relictum, quo casu, praeter bonam fidem et mediam diligentiam, nil praestatur *f*). Inde quoque mandatarius limites praescriptos seruare debet. Hos qui excedit, non ex mandato agit, sicque mandantem plane non obligat *g*), et ne quidem negotiorum gestorum actionem habet *h*).

*

gratis et in vtilitatem mandantis.

§. 1490. Mandatarius aliena negotia expedit gratis. Mercede interueniente, mandatum in alium degenerat contractum *i*), honorarium vero post mandati contractum perfectum sponte promissum, vel datum, non mutat mandati contractum *k*), et sufficit, quod

a) L. 6. §. 3. L. 22. §. 6. h. t. *b*) §. 7. Inst. *de mandato.* HERT. *de mandantis et mandatarii oblig. contempl. tertii.* §. 12. et 18. *c*) Ita, vt mandatarius indemnitatem a mandante exigere nequeat. L. 46. *de R. I.* LYNCKER *de mandato rei turpis.* *d*) L. 8. §. 3. h. t. *e*) L. 13. et 21. C. h. t. *f*) L. 10. pr. D. h. t. *g*) L. 12. C. h. t. *h*) L. 31. §. 4. *de negot. gest.* *i*) L. 1. §. 4. h. t. *k*) L. 6. pr. D. L. 20. §. 1. C. h. t.

quod ex ipso contractu mandati non debeatur merces. Hinc procuratores iudiciales hodie recte exigunt honorarium. Porro mandatarius nihil ad suam, sed omnia ad mandantis vtilitatem debet referre, licet praeter spem et voluntatem mandantis maius lucrum fecerit *l*). Inde quoque ea, quae ex mandato ad eum peruenerunt, restituere, et acceptorum expensorumque rationes reddere tenetur *m*). Si dolo, vel culpa in detrimentum mandantis aliquid fecit, non solum ad indemnitatem tenetur, sed quoque ob dolum infamia adsicitur. Quam etiam mandanti, dolo in mandatarii detrimentum agenti, lex minatur.

obligatio mandantis.

§. 1491. Quamuis vero mandatum sit gratuitum, minime tamen mandatarius intuitu negotii commissi impensas de suo facere, vel damnum ferre obligatur. Potius aequitas iubet, vt mandans vbiuis mandatarium praestet indemnem *n*). Hinc mandans obligatur, vt 1) *impensas* in suam vtilitatem factas restituat, quamuis mandans, si ipse gessisset negotium, forsan minus impendisset. Respicitur enim conditio mandatarii *o*); 2) *resarciat damna* occasione mandati perpessa, quorum intuitu mandanti dolus vel culpa, etiam leuissima potest imputari, minime vero mere casualia *p*), 3) *liberet mandatarium ab obligationibus* mandati nomine vel in vtilitatem mandantis susceptis *q*).

actio mandati.

§. 1492. Ex mandato, tamquam contractu nominato, nascitur actio mandati. Quae tendit ad obligationes intuitu mandati ortas adim-

l) L. 10. §. 8. 9. L. 20. h. t. *m*) L. 10. §. 9. h. t. *n*) L. 12. §. 9 h. t. *o*) L. 27. §. 4. h. t. *p*) L. [illegible] L. 26. §. 6. sqq. h. t. *q*) L. 45. §. 5. h. t.

adimplendas. Iam vero ex mandato ab initio solus obligatur mandatarius, contra quem mandanti competit actio *directa*, ad id, *vt negotium susceptum expediat* (§. 1488.), *debita diligentia secundum voluntatem mandantis, rationes reddat, de damnis datis respondeat, et accepta restituat.* Post contractum perfectum mandans quoque per accidens obligari potest, si mandatarius intuitu mandati damnum sensit, aut impensas fecit. Mandatarius igitur contra mandantem habet actionem *contrariam ad indemnitatem* (§. 1491.) *expositam consequendam.*

iura et obligationes tertii ex contractu inito cum mandatario

§. 1493. Mandatarius, qui mandato conuenienter egit, ex voluntate mandantis negotium gessit. Qui ex alterius voluntate contrahit, vel agit, eius, pro quo contrahit vel agit, personam repraesentat *r)*, sicque eum obligat, eique adquirit. Inde ex facto mandatarii mandans adquirit, et obligatur. Ex quo porro sequitur, vt ex contractu mandatarii non solum mandanti contra eum, cum quo contraxit mandatarius, actio adquiratur vtilis, sed quoque mandans ex tali contractu conueniri possit *s)*. Imo actio contra mandantem locum habet, licet mandatarius egerit contra fines mandati, sibi soli significatos, in mandato vero haud expressos. Porro mandatarius ab eo, cum quo contraxit, durante mandato, minime vero eo finito, potest, conueniri, nisi forsan 1) proprio nomine contraxit, quod etiam obtinet, si contrahens solius mandatarii fidem secutus est, idque declarauit, 2) si fideiussit pro mandante, 3) si fines mandati excessit *t)*.

r) DILTHEY *de persona mandantis mandatario imposita.* *s)* MEVIVS P. II. dec. 95. *t)* HERT. *de oblig. mandantis et mandatarii contempl. tertii*

cessat mandatum.

§. 1494. Mandatum est contractus ex singulari initus fiducia et amicitia, sicque singularem personarum qualitatem praeponit. Huiusmodi contractus non solum pro libitu reuocari possunt, sed quoque ex iis ius et obligatio ad continuandum negotium haud transit in haeredes, qui tamen tenentur ex bonis defuncti satisfacere illis obligationibus, quas viuus iam contraxit. Hinc finitur mandatum 1) *morte* tam mandantis, quam mandatarii *u)*, nisi forsan in haeredes expresse sit directum, vel negotium tale sit, quod ex sua natura non nisi post mortem mandantis adimpleri potest *x)*, aut dotis praestatio sit commissa *y)*, 2) *reuocatione*, quae mandanti aeque ac mandatario libera est *z)*, et expresse ac tacite fieri potest, modo ex parte mandatarii tempestiue et absque fraude fiat, alias ad interesse tenetur *a)*. Quae vero ex iusta mortis vel reuocationis ignorantia mandatarius gessit *b)*, vel re non amplius integra adimpleuit, mandans eiusue haeres agnoscere tenetur.

consilium et commendatio quatenus obligent.

§. 1495. Mandatum obligat eum, qui illud suscepit (§. 1488.), inde differt a commendatione, et consilio. Neutrum enim obligat eum, cui datum. Porro nec consulens, vel commendans de malo consilii vel commendationis euentu respondere tenetur *c)*, nisi

u) L. 27. §. 3. L. 57. h. t. *x)* L. 12. §. 17. h. t. L. 18. §. 2. *de donat. mortis causa.* *y)* L. 9. §. 1. *de iure dot.* COCCEII disp. *de mandato in haeredes transeunte.* *z)* L. 22. §. vlt. L. 23. 24. 25. h. t. §. 9. Inst. h. t. *a)* L. 22. §. vlt. L. 27. §. 2. h. t. THOMASIVS *de reuocatione tacita mandati iudic.* *b)* L. 26. §. 1. h. t. L. 17. *de offic. praef.* c. 33. X. §. 10. Inst. h. t. LEYSER sp. 180. m. 4. *c)* L. 47. *de R. I.* L. 2. §. 6. h. t. §. 6. Inst. h. t. L. 12. h. t. L. 7. §. 10. *de dolo.*

nisi speciale consilium, seu specialis commendatio sit, et consulens seu commendans vel ad dandum bonum consilium fuerit obligatus *d)*, vel dolo seu culpa lata male consuluit, male commendauit *e)*, vel suo periculo consilium, seu commendationem sequi mandauit *f)*.

LIB. XIX. TIT. III.

DE AESTIMATORIA.

§. 1496. CONTRACTVS AESTVMATORIVS, Trödel-Contract, est *conuentio, qua alicui res pro certo pretio animo transferendi dominii traditur vendenda, ita tamen, vt rei restitutio liberet ab obligatione pretium soluendi.* In contractu igitur aestumatorio ea est contrahentium intentio, vt dominium pro certo transferatur pretio, ideoque proxime accedit ad emtionem venditionem. A qua tamen in eo differt, quod pretium non praecise sit soluendum, sed rem restituendo, ab obligatione pretium soluendi fit liberatio. Deinde hic contractus, quia res traditur vendenda, contr. aestumatorius defin. et explicatur.

d) Quales sunt principum ministri et consiliarii, vt et qui artem profitentur. LAVTERBACH *de consiliis* P.II. c.1. §.6. *e)* L.47. *de R.I.* L.8. *de dolo.* c.62. *de R.I.* 6to. *f)* L.6. §.2. h.t. L.32. h.t. Inde qui ad officium seu munus publicum commendant, de dolo et culpa leui tenentur, L.1. et 2. C. *de peric. nomin.* L.2. *de fideiuss. et nominat.* et mercatores ex suis commendationibus itidem culpam leuem praestant, FINCKELTHAVS *obseruat.* XVI. 11. 7. WERNHER P.I. obs. 167. Caeterum hunc §. illustrant C.KORMARTIS *de iure consiliorum.* BECHMANN *de iure consiliorum.* GOEDEN *de euentu consiliorum.* LYNCKER *de commendatione speciali.* HOMBVRG *de literis commendat.* CRELL *de baude nuda.*

ficque alterius negotium fuſcipitur, certo modo ad locationem conductionem operarum vel mandatum poteſt referri. Ab hiſce tamen contractibus in eo differt, quod res aeſtimata animo transferendi dominii tradatur *g)*.

effectus traditionis factae ex contr. aeſtumatorio.

§. 1497. In contractu aeſtimatorio res traditur animo transferendi dominii (§. 1496.). Hinc rem accipiens inſtar domini eſt *h)*, et omne periculum ſuſtinet *i)*, de re libere disponit, eam oppignorat, et omne ſibi habet lucrum, ſi rem pluris vendiderit, quam illa aeſtimata eſt. Danti ſolum ius perſonale competit ex contractu, rem vel eius aeſtumationem ab accipiente exigendi, minime vero rem vindicare, aut praeferentiam orto concurſu prae aliis creditoribus vrgere poteſt. In dubio hic contractus non praeſumitur, et accipiens de dolo et culpa leui ſolum tenetur *k)*.

actio aeſtumatoria an ſit ex contr. nominato.

§. 1498. Ex contractu aeſtumatorio nascitur actio, ſimile cum ipſo contractu nomen habens, quaeue *aeſtimatoria*, ſeu de aeſtimato dicitur *l)*. Inde hic contractus certo modo ad nominatos poteſt referri *m)*. Licet alii eum innominatis eam ob cauſam annumerent, quia in hoc contractu certa eſſentialia lege non ſunt determinata, ideoque mox emtionis venditionis, mox mandati, vel locationis conductionis formam habeat. Datur autem haec actio *directa* aeque ac *contraria*. Illa competit ei, qui rem aeſtimatam vendendam dedit,

g) L. 1. h. t. *h)* BOEHMER *de translatione dominii in contractu aeſtumatorio.* *i)* L. 1. h. t. nec obſtat L. 17. §. 1. de P. V. *k)* L. 17 §. 1. *de praeſc. verb.* *l)* L. 1. et rubrica h. t. *m)* FLOERKE *de contractu aeſtumatorio tanquam contractu nominato.*

dedit, eiusue haeredi, aduersus accipientem, eiusue haeredem, ad pretium soluendum, si rem restituere nolit. Haec illi prodest, qui rem accepit, contra dantem ad indemnitatem et soluendam, quae forsan promissa est, mercedem *n*).

LIB. XIV. TIT. I.
DE EXERCITORIA ACTIONE.

actiones adiectitiae qualitatis quae?

§. 1499. Conuentiones obligant paciscentes, non tertium. Interdum tamen singularis adest causa ob quam conuentio intuitu tertii obligationem producit. Talis causa est consensus tertii antecedens, vel subsequens, et vtilitas ex conuentione in tertium redundans. Huiusmodi singularis causa conuentioni singularem hanc tribuit qualitatem, vt actio ex contractu oriunda contra tertium institui queat, ideoque *adiectitiae* fiat *qualitatis o*) (§. 1079.).

exercitor magister nauis, et actio exercitoria def.

§. 1500. Adiectitiae qualitatis est ACTIO EXERCITORIA, *quae ex contractu magistri nauis competit aduersus exercitorem, ad id, vt praestet id, ad quod contractus cum magistro nauis initus obligat.* EXERCITOR *est is, ad quem nauis reditus spectant omnes p).* MAGISTER NAVIS dicitur *is, cui ex voluntate exercitoris totius nauis cura est demandata q).*

obligatio exercitoris vnde oriatur.

§. 1501. Magistro nauis ex voluntate exercitoris cura nauis totius est demandata (§. 1500). Consentit igitur exercitor, vt magister nauis omnia facere possit, quae ad conseruationem nauis, et continuationem nauiga-

n) L. 2. h. t. *o*) Quales sunt actiones, exercitoria, institoria, de peculio, de in rem verso, quod iussu. *p*) L. 1. § 15. h. t. *q*) L. 1. §. 1. h. t.

uigationis sunt necessaria. Inde, si necessitas exigit, vt nauis reficeretur, aut nautis operarum nomine aliquid solueretur, aut ad redimendam nauem ex periculo magister aliquid praestet, aut in hanc rem mutuum sumeret, ideoque contraheret, consensus exercitoris in huiusmodi contractus adest. Et ob hunc consensum ex facto magistri nauis exercitor obligatur, et contra eum actio institui potest exercitoria *r)*.

si plures magistri sunt.

§. 1502. Exercitor ex facto magistri obligatur, quia eum praepositit naui (§. 1501.), et nihil interest, qualem praefecerit, an liberum, an seruum, an minorennem *s)*. Pluribus praepositis, ex unius gestis obligatur exercitor, nisi eos diuisis officiis praeesse iusserit *t)*. Porro quoque exercitor obligatur ex contractu eius, quem magister nauis substituit *u)*. Et quamuis alias plures contrahentes pro rata teneantur (§. 1102.), in vtilitatem tamen nauigationis introductum est, vt plures exercitores obligentur in solidum *x)*.

non obligatur exercitor, si contra legem praepositionis factum.

§. 1503. Quia ratio, ob quam exercitor obligatur, latet in praepositione magistri nauis (§. 1501.), sequitur, vt exercitor non obligetur ex contractibus et negotiis a magistro nauis contra praepositionis legem susceptis *y)*. Inde actio exercitoria non datur 1) *ex delicto magistri nauis*, nisi forsan rebus in nauem illatis damnum fuerit factum *z)*, 2) *ex mutuo, si pecunia mutua in aliam sumta est causam, quam eam, ob quam praepositio est facta a)*.

Suffi-

r) L. 1. §. 5. sqq. h. t. *s)* L. 1. §. 4. h. t. *t)* L. 1. §. 13. 14. h. t. *u)* L. 1. §. 5. h. t. *x)* L. 1. §. vlt. L. 2. et 3. h. t. *y)* L. 1. §. 7. et 12. h. t. *z)* L. 5. §. 6. *de obligat. et actionibus*, nec obstat L. 1. §. 2. h. t. *a)* L. 1. §. 8. 9. h. t.

Sufficit vero pecuniam non vltra modum mutuatam esse ex causa magistro commissa, et ad huius expeditionem mutuam pecuniam fuisse necessariam, dum hoc casu exercitor ex mutuo obligatur, licet magister pecuniam aliis impenderit vsibus *b)*. Actio locum non habet exercitoria ex facto nautae vel alius, cui negotium in naui commissum *c)*.

quatenus contra magistrum nauis actio competit.

§. 1504. Magister nauis vi officii sibi demandati contrahit. Quamdiu hoc officium durat, contrahenti electio competit, an cum exercitore actione exercitoria, an cum ipso magistro actione ex contractu directa experiri velit *d)*. Deposito magistri officio, contra hunc actio non datur, nisi *propria obligatio* vel principalis vel accessoria concurrat *e)*.

quatenus exercitori ex contractu magistri contra tertium actio competat.

§. 1505. Quamuis vero ex facto magistri contra exercitorem detur actio, exercitori tamen ex facto magistri nauis contra tertium non competit actio *f)*, sed illi contra magistrum actione conducti, vel mandati experiendum est. Si vero magister suas actiones exercitori cesserit, aut exercitor a magistro suum seruare non possit, actio vtilis exercitori ex magistri facto contra tertium non denegatur *g)*.

Lib. XIV. Tit. III.

DE INSTITORIA ACTIONE.

institor quis et quatenus ex eius contractu obligetur praeponens.

§. 1506. Institor est, *qui tabernae, siue alii cuidam negotiationi, ad emendum vel vendenden-*

b) L. 7. pr. h. t. *c)* L. 1. §. 2. h. t. *d)* L. 1. §. 17. h. t. §. 2. Inst. *quod cum eo. e)* L. fin. *de institoria actione. f)* L. 1. §. 18 h. t. *g)* arg. L. 1. fin. et L. 2. *de institoria actione.* adde Goth. Barth *de magistro nauis.*

dendum ab altero praepositus est h). Qui institorem constituit, *praeponens* dicitur. Hic ex contractu institoris praepositionis legi conuenienter inito obligatur. Nam, qui institorem constituit, illi committit, vt omnia faciat, quae ad conseruationem seu vtilitatem negotiationis, cui institorem praeposuit, facere possit, sicque antecedenter consentit in facta institoris legi praepositionis conuenienter gesta. Si igitur negotiatio commissa exigit, vt ad eius conseruationem, seu vtilitatem institor contrahat, ex eius contractu obligatur praeponens, ob consensum antecedentem, ideoque contra praeponentem ex contractu *institoria* competit *actio.*

actio institoria quando locum habeat.

§. 1507. Ex contractu institoris competit actio institoria aduersus praeponentem, eiusue haeredes *i)*, et inde adiectitiae qualitatis est (§. 1500.). Vt vero haec actio locum habeat, requiritur, vt contractus initus sit cum institore eius negotii causa, cui praepositus est *k)*, et neglecta praepositionis conditione praeponens non tenetur *l)*. Si vero praepositionis legi conuenienter actum, praeponens ex institoris contractu, etiam illo, quo ex mutuo pecuniario accepto se obligauit, conueniri potest *m)*.

§. 1058.

b) L. 3. et L. 5. L. 13. h.t. Apud nos institores dicuntur Provisor, Factor, Handels-Vorsteher, Verwalter, cum vero institor toti praepositus sit negotiationi, pro institore haberi nequit, cui singulare solum negotium commissum. Inde differt 1) ab eo, cuius ministerio mercator vtitur, Laden- oder Handels-Diener, 2) a procuratore, LEYSER sp. 161. m. 7. *i)* L. 15. h.t. *k)* L. 5. §. 11. sqq. D. et L. 3. C. h.t. *l)* L. 11. §. 5. h.t. *m)* L. 5. §. 13. h.t.

§. 1508. Actio institoria datur ex contractu institoris. Minime vero ex contractu eius, quem institor negotiationi praepositi. In quo differt ab exercitoria (§. 1502.) *n*). Aduersus plures praeponentes haec actio in solidum competit *o*). Potest quoque ex ipso contractu aduersus institorem actio institui, tamdiu ac durat officium, minime vero deposito officio, nisi ex proprio suo facto institor sit obligatus *p*). Caeterum praeponenti contra eum, qui cum institore contraxit, non competit actio, nisi forsan rem suam aliter seruare nequeat *q*).

competit ex contr. institoris, non vero substituti aduersus praepon. in solidum.

ARTICVLVS III.

OBLIGATIO EX QVASI CONTRACTV.

LIB. III. TIT. V.

DE NEGOTIIS GESTIS.

§. 1509. Non solum ex domini mandato, sed quoque sine mandato, aliena expediri solent negotia. Qui *negotia aliena in alterius vtilitatem absque mandato gratis expedit, si extraiudicialia sunt*, NEGOTIORVM GESTOR, *si vero iudicialia sunt*, DEFENSOR dicitur.

definitio.

§. 1510. Ex principio generali, quod nemini suum auferri patitur, quilibet curator, seu administrator rerum alienarum, siue ex voluntate domini, siue absque ea administret, res, quarum administrationem suscepit, suo tempore domino restituere, aut de pretio rerum distractarum, vt et de fructibus et ac-

obligatio eius, qui aliena administrat.

n) L. 1. §. 5. *de exercitoria actione.* *o*) L. 13. §. vlt. L. 14. h. t. *p*) L. fin. h. t. LEYSER sp. 161. m. 1. 2. *q*) L. 1. fin. et L. 2. h. t. ROTHII diss. *de commerciis institoriis.*

ceptis rationes reddere, ac reliquum reſtituere tenetur *r)*.

continuatio

§. 1511. Deinde adminiſtrator, quia ad rei alienae reſtitutionem obligatur, res in adminiſtrationem receptas debita diligentia cuſtodire, et de damno dolo vel culpa dato reſpondere tenetur *s)*. Quo magis vero conſtet, quasnam res in adminiſtrationem receperit, quaeue ſint reſtituendae, inuentarium vel ſaltim conſignationem vtriusque partis conſenſu factam, vel iuratam ſpecificationem exhibere tenetur adminiſtrator *t)*. INVENTARIVM vero eſt *conſignatio rerum receptarum publica auctoritate facta.*

negotiorum geſtio eſt quaſi contractus.

§. 1512. Negotiorum geſtor aliena curat negotia. Hinc debitam diligentiam adhibere, et domino rem ſuam reſtituere tenetur *u)*. Porro aequitas iubet, ne quis ex alterius damno fiat locupletior (§. 1055.). Inde is, cuius negotia vtiliter geſta ſunt, ex aequo et bono obligatur geſtori ad indemnitatem praeſtandam. Vterque igitur, geſtor aeque ac ille, cuius negotia geſta ſunt, obligatur. Quia vero haec obligatio non ex vero conſenſu, ſed ex mera aequitate eſt, leges ad effectum obligandi fingunt conſenſum, et negotiorum geſtionem ad *quaſi contractus* referunt *x)* (§. 1072. et 1055.).

ſcientis negotia non geruntur.

§. 1513. Negotiorum geſtio eſt quaſi contractus, in quo ex vtraque parte deeſt conſenſus. Inde non geruntur negotia eius, qui vel ab initio ſcit et patitur, ſuum geri negotium, vel ex poſt facto negotium nondum abſolutum ratum habet, quippe qui mandare

r) L. 2. et 11. h. t. *s)* L. 11. h. t. *t)* L. 2. et 7. C. h. t. *u)* L. 2. L. 11. h. t. *x)* §. 1. Inſt. *de obligat. quae ex quaſi contractu naſcuntur.*

dare videtur *y)*. Ratihabitio vero absoluto iam negotio superueniens non efficit, vt negotiorum gestio in mandatum transeat.

§. 1514. In negotiorum gestione obligatio nascitur ex ficto consensu. Hinc quoque ex negotiorum gestione obligari possunt, qui vere consentire nequeunt, v. gr. infantes, furiosi, summe ebrii. Minime vero obligantur illi, de quorum dissensu constat (§. 161.) Hinc contradicentis *z)* negotia non geruntur, modo et naturaliter et formaliter dissentire possit *a)* nec contradicentis.

§. 1515. In negotiorum gestione requiritur voluntas aliena negotia gerendi (§ 1510.). Hinc proprie non est negotiorum gestio, si quis suum, sed in gratiam alterius, gerit negotium *b)*, aut animum habet, proprium expediendi negotium, in effectu vero alienum gerit *c)*. Aequitas tamen, quae non patitur, vt quis cum alterius damno fiat locupletior, iubet, vt illi, qui in alterius vtilitatem reuera gessit, quamuis animus vtilitatem promouendi defuerit, actio haud denegetur vtilis *d)*. neg. gestio in suis negotiis locum non habet.

§. 1516. Negotiorum gestor in curanda re aliena debitam praestare debet diligentiam, et regulariter quidem mediam, nisi forsan alium diligentiorem excluserit, quo casu ad summam tenetur diligentiam *e)*. Qui prohibentis negotia gessit, casum quoque praestat, cui gestio occasionem dedit *f)*. Is vero, qui affectione adductus, ad rem alias perituram accessuamnam culpam praestat gestor.

y) L. 9. h. t. et L. 60. *de R. I.* *z)* L. 24. C. h. t. *a)* L. 14. §. 13. D. *de religiosis.* *b)* L. 6. §. 4. h. t. *c)* L. 6. §. 5. h. t. *d)* L. 19. §. 2. L. 3. §. 10. vlt. L. 11. et 17. C. h. t. *e)* §. 1. Inst. *de obligat. quae ex quasi contractu nascuntur.* C. L. MENCKEN disp. *leuem culpam a negotiorum gestore ordinarie praestari.* *f)* L. 8. §. 3. et L. 11. §. 1. h. t.

acceſſit, de culpa ſolum lata reſpondet *g)*. Inde quoque negotiorum geſtor damnum dolo vel culpa datum reſarcire, immo quoque de omiſſis, cum negotio geſto connexis, reſpondere debet *h)*, ita tamen, vt lucrum cum damno compenſare poſſit *i)*.

obligatio ex neg. geſt.

§. 1517. Negotiorum geſtor, quia aliena adminiſtrat, inuentarium, vel iuratam ſpecificationem edere *k)*, rationes reddere, expenſa vel accepta ſpecifice deſignare, et demonſtrare, imo et de fructibus et vſuris reſpondere, tandemque reſiduum reſtituere tenetur *l)* (§. 1510). Is vero, cuius negotia geſta ſunt, ne fiat locupletior cum damno alterius, geſtorem indemnem praeſtare tenetur *m)*.

ex neg. geſt. duplex competit actio.

§. 1518. Ex negotiorum geſtione duplex naſcitur obligatio (§. 1517.). Vbi duplex obligatio, ibi quoque duplex competit actio. E. ex negotiorum geſtione duplex oritur actio, directa nempe et contraria. DIRECTA competit *illi, cuius negotia geſta ſunt, aduerſus geſtorem ad id, vt obligationes* (§. 1517.) *expoſitas adimpleat.* CONTRARIA vero competit *geſtori, adverſus eum, cuius negotia geſſit, ad indemnitatem conſequendam.*

actio contraria.

§. 1519. Actio negot. geſt. contraria tendit ad indemnitatem (§. 1518.). Geſtor igitur per hanc actionem repetit impenſas *neceſſarias* aeque ac *vtiles n)*, imo et *vſuras* eius, quod impendit *o)*, et *liberationem* ab obligationibus pro altero ſuſceptis vrget *p)*.

§. 1520.

g) L. 3. §. 8. et 9. D. h. t. *h)* L. 19. §. 4. L. 38. L. 6. §. 12. h. t. L. 17. §. 3. D. *commodat.* *i)* L. 11. fin. h. t. *k)* CARPZOV. P. III. Conſt. 33. def. 7. *l)* L. 2. et 7. C. h. t. *m)* L. 45. h. t. *n)* L. 27. et 45. h. t. *o)* L. 19. §. 4. D. et L. 18. C. h. t. *p)* L. 28. fin. h. t.

§. 1520. Per actionem contrariam petit negotiorum gestor, vt restituantur impensae vtiliter factae. Si igitur vtilitas semel promota est, non impedit hanc actionem 1) *error* in *persona commissus q)*, 2) quod quis *improbe* ad aliena negotia accessit *r)*, 3) *si effectum non habuit* gestio, sed casu fortuito vtilitas semel promota fuerit intercepta *s)*. Bene vero illa cessat, si inutiliter ab initio gestum est, et domini non subsequuta sit ratihabitio *t)*, aut in gestione animus obligandi alterum ad restitutionem deficiat, vel saltim deficere praesumatur *u)*.

competit, si vtiliter gestum est.

LIB. XI. TIT. VII.
DE
RELIGIOSIS ET SVMTIBVS FVNERVM ET VT FVNVS DVCERE LICEAT.

§. 1521. Locum, in quem mortuus illatus, Romani credebant religiosum (§. 400.) et hominum commercio exemtum (§. 403). Qui igitur in alienum infert mortuum, locum efficit religiosum *x)*, sicque domino damnum facit. Ad quod auertendum, domino aeque ac illi, cui ex iure reali interest, datur actio in factum aduersus inferentem eiusue haeredem, ad id, vt cadauer tollat, aut loci aestumatio-

damnum per mortui illationem in locum alienum, et actio exinde competens.

q) L. 5. pr. et §. 1. L. 45. §. vlt. h. t. L. 29. D. *de com. diuid.* *r)* L. 6. §. 3. h. t. et L. 48 *de vsufructu.* *s)* L. 10. §. 1. h. t. *t)* L. 9. h. t. *u)* Qualis praesumtio locum habet, si ex capite *misericordiae* vel *pietatis* in alterius vtilitatem aliquid impensum est, L. 31. et 34. D. et L. 11. et 15. C. h. t. modo de contraria voluntate non constet, L. 34. h. t. Regulariter itaque vitricus sumtus in alimenta pupilli impensos recte repetit, L. 3. C. *de contr. tut. iud.* L. 1. *vbi pupill. educari.* *x)* L. 2. pr. L. 3. h. t. GVTHERIVS *de iure manium.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0145
DFG

mationem praestet *y)*, interdum quoque poena locum habet *z)*. In suo autem fundo mortuum sepelire, cuilibet erat permissum, modo extra vrbem sepeliret *a)*.

coemeterii defin. occasio et ius illa constituendi.

§. 1522. Hodie sepulchra non sunt religiosa (§. 402.), nec locus sepulturae cuiuslibet arbitrio relinquitur, sed ob vtilitatem publicam certa destinata sunt loca, vbi mortui sepeliuntur *b)*. Inde orta sunt COEMETERIA, quae sunt *loca publica auctoritate sepulturae destinata*, quibus religio primam dedit occasionem, vtilitas vero publica eorum vsum conseruauit. Erectio coemeteriorum ex catholicorum principiis ad iura spectat episcopalia *c)*. Apud protestantes consistoria ecclesiastica plerumque sibi ius circa coemeteria vindicant *d)*. Quae tamen sententia in casu, quo coemeterium tanquam templi accessorium considerari nequit, solido haud innititur fundamento, dum hoc casu eius constitutio ad vniuersitatis potius iura spectet.

est l. haereditarium l. familiare.

§. 1523. Coemeterium est locus sepulturae publice destinatus. Coemeterium igitur publicus est locus, nec ad priuatos pertinet *e)*. Quamuis interdum ex concessione consistorii, seu vniuersitatis priuatus locum quendam sibi suisque haeredibus vel familiae adquirere possit. Inde sepulchra *haereditaria* vel *familiaria* nascuntur. Illa in quoslibet haeredes transeunt, et liberi, quamuis exhaere-

y) L. 7. et 8. D. h. t. *z)* L. 2. §. 2. h. t. *a)* L. 3. §. 5. D. *de sepulchro violato*. L. 12. C. h. t. *b)* c. 3. *de sepultur.* STRYCK V. M. h. t. §. 13. *c)* c. 13. *de sepultur.* c. 2. *de immunitate eccles. in* 6. SPONDANI *coemeteria sacra.* *d)* BOEHMER *iur. eccles. protest.* lib. III. tit. 28. CARPZOV. *iurispr. eccles.* def. 385. G. L. BOEHMER *iur. can.* §. 683. *e)* c. 13. *de sepulturis.*

haeredati sint, aut ab haereditate abstinuerint, suum retinent ius. Haec extra familiam non transeunt *f*).

quilibet sepeliendus in coemeterio, vbi mortuus, et transportatio fuueris.

§. 1524. Ciues sibi pro arbitrio locum sepulturae constituere nequeunt, sed in coemeterio loci, vbi mortui, sunt sepeliendi. Si vero quis alibi sibi sepulturam eligit, transportatio quidem de loco ad alium locum permittitur, ast in loco, vbi quis mortuus est, funeralia sunt soluenda *g*), et magistratui, per cuius iurisdictionem funus ducitur, denuntiatio fieri debet *h*).

sepulturae diuisiones.

§. 1525. Actus sepulturae Christianorum ritibus peraguntur ecclesiasticis. Quamobrem ipsa sepultura ratione modi iuris ecclesiastici dicitur, et ad actus paroeciales refertur. Diuiditur in HONESTAM, *quae more Christiano actu ignominioso haud interueniente peragitur*, et INHONESTAM, *quae fit actu ignominioso interueniente.* Honesta sepultura regulariter solemnibus ecclesiasticis, lege seu obseruantia determinatis, peragitur, quibus omnibus obseruatis, sepultura *solemnis* dicitur. Si vero haec solemnia non adhibentur, *minus solemnis* est *sepultura.* Inhonesta rursus in SIMPLICEM, *quae ignominioso*, ast *humano more fit*, *et* ASININAM, *qua cadauer per carnificem infiar animalis in terram foditur i*).

sumtus sepulturae quisnam ferre debeat

§. 1526. Sepultura honesta varios exigit sumtus. Qui ex defuncti bonis sunt erogandi *k*). Si defunctus bona non reliquit, pater liberis, et maritus vxori, funus facere tenetur

f) L. 5. et 6. h. t. *g*) c. 3. 10. X. *de sepultur.* c. 3. *eodem in 6to.* *h*) PVFFENDORF T. I. obs. 281. CRELL *de translatione mortuorum per territor. alienum.* *i*) CARPZOV. *iurispr. eccles.* dec. 376. THOMASII *de iure principis euangelici circa sepult.* *k*) L. 1. et L. 14. §. 13. L. 45. h. t.

tur *l*). Imo non desunt, qui statuunt, in subsidium eos quoque teneri, qui defuncti morte onere alimentandi liberantur *m*). Si nemo ex his adsit, defunctus in forma pauperum sumtibus publicis sepeliendus est.

cura funeris et actio ad impensas recuperandas competens.

§. 1527. Personam, quae curam gerat funeris, vel ipse defunctus determinauit, vel non. Si ipse defunctus curam funeris alicui commisit, huic ex mandato ius competit, funus curandi, contradicente licet haerede. Si vero defunctus de sui funeris cura nil ordinauit, haeredi onus sepeliendi incumbit *n*). Hoc in officio cessante, ne in detrimentum reipublicae funus insepultum maneat, extranei quoque funeris curam suscipere possunt. Cum autem quilibet sepeliendus sit de suo (§. 1526.); is, qui funus curauit, merito sumtus ex defuncti bonis sumit, aut, quos de suo fecit, ab haerede repetit, eamque in rem haeres contra cohaeredem iudicio *familiae erciscundae o*), extraneus vero, qui ex defuncti, seu haeredis mandato sumtus fecit actione *mandati p*); qui vero absque mandato *funeraria* actione *q*), contra haeredes, seu contra eum, cui onus funerandi incumbit, recte vtitur, imo orto concursu sumtus funeris omne creditum praecedunt *r*).

casus, quibus impensae funeris repeti nequeunt.

§. 1528. Impensae funeris repeti queunt. Ius tamen repetendi cessat, 1) si quis pietatis causa donandi animo funus duxit *s*), 2) si plus impensum, quam habita dignitatis et facultatum ratione fieri debuisset. Nam hoc casu

l) L. 21. et 28. h.t. *m*) STRYCK *vsu mod.* h.t. §. 42. *n*) L. 12. §. 4. L. 14. §. 13. h.t. *o*) L. 14. §. 12. h.t. *p*) L. 14. §. 15. h.t. *q*) L. 14. §. 1. 2. h.t. *r*) L. 45. h.t. L. 17. D. *de rebus auctor. iud. possid.* *s*) L. 14. §. 7. h.t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0148
DFG

casu id solum, quod intra modum est impensum, repetitur, quamuis ex defuncti voluntate nimii facti sint sumtus *t*). 3) Si quis in contumeliam hominis locupletis nimis parcus fuerit *u*). Hinc consilii est, in erogandis sumtibus iudicis sequi arbitrium *x*).

quaenam impensae repeti queunt.

§. 1529. Caeterum ad funeris sumtus refertur omne id, sine quo funus honeste duci non potuit *y*). Repetens vero, quas fecerit impensas, probare, vel saltim, si verisimiles, nec vltra modum factae sint, exhibitam earum specificationem iuramento confirmare debet *z*).

ARTICVLVS IV.

OBLIGATIO EX DELICTO.

LIB. XLVII. TIT. I.

DE PRIVATIS DELICTIS.

delictum definitur.

§. 1530. DELICTVM *a*) est *factum contra legem humanam poenalem susceptum.* Omne igitur delictum requirit, 1) factum, 2) legem humanam, et quidem poenalem, et vt 3) factum *b*) contra legem poenalem sit susceptum.

factum externum, non vero cogitatio, delictum efficit.

§. 1531. Delictum est factum, et quidem, cum lex hominum externa solum spectet, externe se exserens. Sine facto externo non est delictum. Hinc cogitatio, aut solus

t) L. 12. §. 5. L. 14. §. 6. h. t. *u*) L. 14. §. 10. h. t. *x*) L. 12. §. 6. h. t. *y*) L. 14. §. 3. 4. 5. h. t. *z*) CARPZOV. P. I. const. 28. def. 42. n. 6. *a*) quod et *crimen* vocatur. Leges enim vocabula *delictum*, *crimen*, *maleficium* pro synonymis habent, licet alii contrarium statuant. ENGAV. *el. iur. crim.* lib. I. §. 14. *b*) quod tamen et non factum continet. L. 2. §. 5. de V. O. L. 45. §. 1. *ad L. Aquil.*

lus delinquendi animus, in delictum vocari nequit *c)*.

absque facto contra leg. poenalem non est delictum.

§. 1532. Quia factum contra legem humanam poenalem susceptum constituit delictum, sequitur, 1) vt sine lege poenali non detur delictum, et non delinquat, 2) qui in re licita, licito modo, loco et tempore versatur, 3) qui putat, se delinquere, aut reuera nil contra legem poenalem suscipit, 4) qui sine sua culpa ignorauit legem, 5) a delicto differt peccatum et vitium.

poenarum varia genera.

§. 1533. LEX POENALIS est, *quae poenam statuit in factum contra legem susceptum.* POENA, cuius definitionem dedimus (§. 5.), est malum. Huiusmodi mala, quae malam sequuntur actionem, vel in ipsa lege sunt determinata, vel iudicis arbitrio relicta; illa certam, haec arbitrariam efficiunt poenam. Porro, prout mala vel in *ademtione vitae* consistunt, vel non, poenae sunt vel *capitales*, vel non. Hic rursus, prout poenae vel *corpus*, *famam*, *bona* afficiunt, aut *libertatem* restringunt, sunt vel *corporales*, vel *famosae*, vel *pecuniariae*, vel *relegatio.*

quinam delictorum incapaces.

§. 1534. Cum delictum sit factum contra leges susceptum; sequitur, vt illi solum delictorum capaces sint, qui contra leges agere queunt. Iam vero leges ad eas solum spectant actiones, quae praelucente intellectu, et decernente voluntate fiunt (§. 9.). Ergo illi solum contra legem agere, sicque delinquere possunt, qui praelucente intellectu et decernente voluntate agunt. Hinc pro delictis haberi nequeunt facta, quae in furore, dementia, melancholia absoluta, legum iusta ignorantia, aut in eo statu, quo quis ratio-

c) L. 18. D. *de poenis.* L. 225. de V. S.

tionis vsu et voluntatis libertate fine sua culpa priuatus est, sunt commissa. Impuberes, nisi forsan malitia suppleat aetatem, haud delinquunt *d)*. Bene vero minores *e)*, vt et illi, qui, quo magis delinquerent, dolo vel culpa rationis vsu et voluntatis libertate se priuarunt, delicta committunt. Dantur quoque delicta vniuersitatum *f)*.

socii et complices delicti.

§. 1535. Saepe ad delictum concurrunt plures, qui complices, vt et socii criminis vocantur. Hi ad delictum concurrunt, vel voluntate solum, vel simul ipso facto. Voluntate concurrunt illi, ex quorum voluntate alter delictum ad existentiam perduxit. Sic mandans et consulens delictum ex mandato vel consilio peractum participant *g)*, quia facta ex nostra voluntate secuta, nostra fiunt (§. 1053.). Ipso autem facto ad delictum fit concursus vel antecedenter, vel subsequenter. Antecedenter concurrunt, qui factis suis efficiunt, vt delictum ad existentiam perueniat, quod fit per auxilium in ipso actu delicti, vel ante eius existentiam praestitum, vt et si quis delictum, quod impedire debuit, impedire noluit, cum tamen potuerit *h)*. Subsequenter delictum participatur per occultationem, receptationem, participationem lucri etc. *i)*.

ex delicto obligatio est ad poenam, et ad reparationem damni.

§. 1536. Delinquens, quia contra legem poenalem agit (§. 1530.), voluntatem imperan-

d) L. 23. D. *de furtis*. *e)* L. 37. §. 1. *de minoribus*. L. 7. C. *de poenis*. *Const. Car.* art. 164. *f)* GVNDLING *de vniuersitate delinquente*. LEYSER spec. 533. *g)* CARPZOV. *iurispr. crim.* P. I. quaest. 4. LYNCKER *de mandato rei turpis*. CRAMER Abhandlungen vom bösen Rath. STRYCK *de mandato delinquendi*. *h)* LEYSER spec. 534. *i)* FALCKNER *de iure complicum in delictis*.

rantis, cui suas actiones conformare perfecte obligatur, violat, sicque mala a lege in eius violatores statuta, hoc est poenam, subire tenetur. Insuper pleraque delicta laedunt *to* suum priuatorum. Qui laedit, ad reparationem damni laesione dati obligatur. Inde delictum duplicem producit obligationem, ad poenam nempe subeundam, et ad laesionis reparationem. Per poenam satisfit reipublicae, per reparationem laesionis, priuato, qui per delictum laesus est. Ius igitur puniendi proprie imperanti, et, qui eius loco sunt, magistratibus competit.

concursus plurium delictorum.

§. 1537. Si quis plurium delictorum reus est, nullius delicti impunitas datur, et delictum ob aliud delictum non minuit poenam *k)*. Modo plurium, quae concurrunt, delictorum poena non sit capitalis. In capitalibus enim valet regula: *delictum maius absorbet minus.* Reiteratio vnius eiusdemque delicti auget poenam, non vero continuatio vnius delicti *l)*.

delictum est l. attentatum l. consummatum.

§. 1538. Factum, quod ex dispositione legis delictum constituit, aut plene est absolutum, aut non. Ibi *consummatum*, hic vero *attentatum* dicitur delictum. ATTENTATVM delictum, *in conatu delinquendi externe se exserente consistit*, eiusque poena, prout conatus vel per se crimen constituit, vel ad consummationem criminis proxime accessit, vel aliquis sponte abstinuerit, aut non, mox durior, mox mitior, nunquam tamen ordinaria, quam lex in delictum statuit, esse solet, nisi forsan lex iubeat, vt attentatum pro consummato habeatur crimine *m)*.

§. 1539.

k) L. 2. h. t. *l)* SCHVLZE *de concursu delict.* *m)* quod fit

§. 1539. Delictorum variae sunt diuisiones. Prout enim contra leges poenales fit, vel *dolo*, vel *culpa*, delicta sunt vel *vera*, vel *quasi delicta n)*. Porro delicta, vel vestigia, quae in sensus incurrunt, relinquunt, vel non. Illa *facti permanentis*, haec *facti transeuntis* vocantur. Ratione poenae, in factum quoddam statutae, delicta sunt, vel *capitalia*, vel *non capitalia*. Iure Romano capitalia delicta sunt, quorum poena in ademtione vitae, vel naturalis, vel ciuilis consistit *o)*. Porro delicta, quorum poena in lege determinata est, *ordinaria*, quorum poena ab arbitrio iudicis pendet, *extraordinaria* dicuntur *p)*. genera delictorum.

§. 1540. Potissimum vero iure Rom. notanda est diuisio in delicta *publica* et *priuata*. PVBLICA DELICTA, quatenus priuatis opponuntur, sunt *illa*, *quorum poena est publica*, id est, ad rempublicam pertinet. PRIVATA sunt, *quorum poenam sibi vindicat priuatus q)*. Hodie ius puniendi soli competit magistratui, ideoque diuisio in delicta publica et priuata nullius fere momenti est *r)*. Iure vero Romano sunt delicta priuata, furtum, rapina, damnum iniuria datum, et iniuria. Priora duo hodie spectant ad forum criminale, inde de illis infra, hic vero de duobus posterioribus. delicta vel publica vel priuata.

fit in crimine laesae maiestatis, L. 8. pr. C. *ad L. Iul. Maiest.* vt et *parricidio et latrocinio*. L. 7. D. *ad L. Cornel. de sicariis*. ROSSMANN *de dolo pro facto punito*. HERTZOG *de crimine conatus*. *n*) tit. Inst. *de oblig. quae quasi ex delicto*. *o*) L. 2. D. *de publ. iudiciis*. *p*) exempla vide infra titulo *de extraord. crim*. *q*) L. 3. h. t. L. 2. *de fur. balnear*. *r*) GRAVN *de superuacua delictorum in publ. et priuata nostris moribus diuisione*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0153
DFG

LIB. IX. TIT. II.
AD LEGEM AQVILIAM.

iniuria quid? et damnum exinde datum.

§. 1541. *Damnum a libero homine sine iure i. e. dolo seu culpa datum* INIVRIA dicitur *s)*. Huiusmodi damnum, vt resarciatur, aequitas iubet. Et quidem dolo vel culpa lata datum indistincte (§.1084.1087.), culposum vero tunc demum resarciendum est, si quis diligentiam, ad cuius praestationem obligatus est, neglexit (§. 1085.). Si quis ad diligentiam plane non obligatur, aut eum adhibuit diligentiae gradum, ad quem obligatus est, et nihilominus euenit damnum, illud pro casuali habetur, eiusque resarcitio exigi nequit (§. 1090.).

L. Aquilia pertinet ad damnum extra casum contractus datum.

§. 1542. Obligatio ad damnum iniuria datum resarciendum praeponit obligationem ad diligentiam adhibendam. Iam vero obligatio ad diligentiam praestandam nascitur vel ex natura contractus, vel non. Priori casu leges gradum diligentiae in singulis conuentionum generibus praestandum determinant (§. 1088.), quo praestito, cessat omnis ad resarcitionem damni obligatio. Eo vero neglecto, actio ex ipso contractu locum habet. Posteriori casu is, qui sponte alienis se ingerit negotiis, summam diligentiam, sicque culpam leuissimam, praestare tenetur. Quia vero ob damnum extra contractum datum ordinaria deerat actio; lex Aquilia *t)* de damno iniuria dato actionem tribuit, quae non solum ad damni reparationem, sed insuper

s) L. 1. §. 5. h. t. *t)* Autor huius legis videtur *L. Aquilius Gallus* Trib. pl. qui eam rogauit A. V. C. DLXXII. PIGH. *Ann. Rom.* T. II. p. 330. et sic proprie haec lex ad plebiscita pertinet, L. 1. §. 1. h. t.

per quoque ad poenam tendit *u)*. Lex igitur Aquilia ad damna, quorum intuitu ex contractu adeſt obligatio, proprie haud pertinet Quamuis leges non obſint, quo minus damnum ex contractu reſarciendum electiue ex lege Aquilia vindicari queat *x)*.

L. Aqu. vindicat omne damnum quauis culpa datum, non vero quod caſu vel iure factum.

§. 1542. Lex Aquilia vindicat damnum ſine iure, dolo vel culpa datum, nihilque intereſt, ſiue leui, ſiue leuiſſima culpa *y)*, ſiue committendo, ſiue omittendo ſit datum *z)*, modo quis obligatus fuerit ad diligentiam adhibendam, imo et imperitia et infirmitas culpae adnumeratur, ſi quis ea adfectauerit, in quibus imperitia vel infirmitas alteri periculoſa ſit futura *a)*. Imo et is, qui occaſionem damni dedit, de eo tenetur, quatenus non ex accidenti, quod praeuideri haud potuit, damnum eſt factum *b)*. Minime vero haec lex ad eos pertinet, in quos non cadit culpa, veluti furioſos, dementes, infantes *c)*. Porro quoque lex Aquilia non vindicat damnum caſuale *d)*, aut quod alteri iure datum eſt *d)*, quo potiſſimum ſpectat damnum ab eo datum, qui in iuſta verſatur defenſione. Modo exceſſus abſit *f)*.

u) §. 9 Inſt. h. t. *x)* L. 7. §. 8. L. 18 h. t. L. 7. §. 1. et L. 18. § 1. *commodati*. Si vero in obligationibus ex contractu diligentiae gradus, quem leges pro diuerſitate contractus determinant, eſt obſeruatus, nec ex contractu, nec ex lege Aquilia actio competit, arg. L. 11. D. *de periculo et commodo rei vendit.* BERGER *oecon. iur.* lib. III. t. 9. §. 11 not. 3. *y)* L. 44 pr. h. t. *z)* L. 8. pr. h. t. L. 27. §. 9. L. 28. §. 1. h. t. *a)* §. 7 Inſt. L. 8. §. 1. L. 9 §. pen. L. 13. §. 5. L. 27 §. 29. h. t. L. 132. *de reg. iur.* *b)* L. 30. § 3. D. h. t. *c)* L. 5 §. 2. h. t. adde tamen L. 13. §. 1. et L. 14. D. *de officio proconſ.* *d)* §. 3. Inſt. h. t. *e)* §. 2. Inſt. L. 4. pr. L. 5. pr. L. 45. §. 4. h. t. L. 3. *de iuſtit. et iure.* *f)* L. 5. §. 3. h. t.

C.

actiones.

§. 1544. Equidem ex verbis legis Aquiliae actio tunc demum competit, si quis suo corpore rei seu hominis corpori damnum dedit; ast ex ratione legis haec actio extensa est ad eos casus, quibus quidem corpori, ast non corpore, damnum est datum. *Quae ex legis verbis* competit actio, DIRECTA, *quae ex paritate rationis introducta est*, VTILIS vocatur *g)*. Porro in eo casu, quo nec corpore, nec copori datum est damnum, actioni *in factum* locum concedunt iura *h)*.

damnum aestumabile praeponitur.

§. 1545. Tendit actio ex Lege Aquilia ad resarcitionem damni et inde praeponit damnum, quod aestumabile est. Hinc non habet locum ob damnum inaestumabile, quale est, si liber homo occisus *i)*. Agi tamen potest ob vulneratum liberum hominem ad sarciendum damnum ex operis cessantibus, et impendiis in curationem factis, non ob dolores, cicatrices et deformitatem *k)*. Quamuis hoc nomine actio iniuriarum locum habeat *l)*. Damnum vero in re aestumabili datum, ita resarciendum est, vt non solum ipsius corporis, sed eorum omnium, quae eius occasione nobis absunt, ratio habeatur *m)*.

poena L. Aquiliae.

§. 1546. Porro actio ex lege Aquilia ad poenam quoque tendit. Est enim iniuria factum illicitum, quod lex poena coercet. Diuersa autem poena locum habet, pro diuersitate trium capitum huius legis. *Primo* enim *capi-*

c. 11. X. *de restitut. spoliat.* WERNHER P. I. obs. 83. P. III. obs. 14. 143. *g)* §. vlt. Inst. h. t. *b)* L. 9. §. 3. L. 7. §. 6. h. t. L. 11. D. *de praescript. verb.* *i)* L. 3. *si quadrupes.* L. vlt. *de his, qui effuderint.* *k)* L. 13. pr. h. t. L. 3. *si quadrup.* et L. vlt. *de his, qui effud.* *l)* arg. §. 9. Inst. *de iniur.* *m)* L. 21. §. 2. L. 23. §. 3. L. 51. §. 2. h. t.

capite, quod de occisione seruorum quadrupedumque pecudum agebat, sancitum est, vt reus pro seruo quadrupedeue iniuria occiso solueret, quanti intra annum proximum plurimi fuerit *n)*. *Secundum caput* iam temporibus Iustiniani ab vsu recessit *o)*. *Tertio* vero capite damnum in seruo seu quadrupede, vt et aliis rebus per vulnerationem seu alio modo, veluti, si quid vsserit, fregerit, ruperit, iniuria datum ita coercetur, vt quanti ea res fuerit in diebus triginta proximis, tantum aes domino dare, reus condemnaretur *p)*.

§. 1547. Datur autem actio ex lege Aquilia cuilibet, cuius interest ob ius in re corrupta *q)*, vt et eius haeredibus et successoribus *r)*, contra eum, qui damnum dedit. Quia vero ex delicto est haec actio, illa aduersus plures in solidum datur *s)*, nec vno soluente reliqui liberantur, minime vero contra haeredes institui potest *t)*. Lis inficiando crescit in duplum *u)*. actio cuinam et contra quem competat.

§. 1548. Vsus huius legis apud nos adhuc hodie est amplissimus. Non tamen omnia, quae in hoc titulo traduntur, vsu seruantur. Cessant enim regulariter apud nos poenae priuatae. Inde actio ex lege Aquilia tendit ad damnum, quod re ipsa illatum, restituendum, minime vero ad id, quanti res intra annum, vsus hodiernus.

n) L. 2. pr. h. t. *o)* §. 12. Inst. et L. 27. §. 4. h. t. Frustranea igitur est disputatio ICtorum *de secundo legis Aquiliae capite*. De quo tamen vide BYNCKERSCHOECK lib. 1. obs. 13. GERARD. NOOD *ad L. Aquiliam* cap. 1. CHIFFLETIVS *de L. Aquiliae capite secundo*. *p)* L. 27. §. 5. h. t. §. 13. 14. 15. Inst. h. t. *q)* L. 11. §. 10. L. 12. L. 17. h. t. *r)* L. 23. §. 8. h. t. *s)* L. 11. §. 2. h. t. *t)* L. 23. §. 8. h. t. *u)* §. 26. Inst. *de actionibus*.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn86605720X/phys_0157 DFG

vel menſem, plurimi fuit *x)*, nec lis inficiando creſcit in duplum *y)*. Et quamuis aduerſus plures adhuc hodie in ſolidum agi poſſit, vno tamen ſoluente reliqui liberantur *z)*. Porro haec actio hodie contra haeredes, ita vt quilibet pro rata haereditaria ſoluat, poteſt inſtitui. Praeterea etiam doloris, ſi liber homo vulneratus, imo plane inutilis factus, alimentorum quoque ratio habetur *a)*. Poena vero a magiſtratu pro gradu doli ſeu culpae, vt et pro quantitate damni dati ex arbitrio determinari poteſt. Inſuper inſtrumentum, quo quis laeſus eſt, cedit magiſtratui; et iure Sax. pro homine occiſo exigi poteſt Wergeldum.

LIB. IX. TIT. III.

DE HIS, QVI EFFVDERINT VEL DEIECERINT.

ex deiectione et effuſione contra deiicientem aeque ac contra inhabitatorem actio competit.

§. 1549. Damnum quoque dari poteſt per deiectionem, et effuſionem in locum, vbi homines ire ſolent. Et quamuis propter hoc damnum contra verum auctorem ex lege Aquilia actio competat *b)* (§. 1542.), haec tamen ob defectum probationis de auctore damni *c)*, haud raro absque effectu eſſe poteſt. Inde, cum reipublicae interſit, vt ſecure

x) STRYCK *vſu mod.* h. t. §. 2. et 4. *y)* IDEM §. 20. *z)* IDEM §. 21. BERGER *oecon. iur.* lib. III. tit. 9. §. 12. n. 3. PVFENDORF T. IV. obſeru. 51. *a)* STRYCK *vſu mod.* h. t. §. 10. ſqq. BERGER l. c. n. 7. pro doloribus nil exigi poteſt, ſi laeſus auctor rixae fuit, LEYSER ſp. 112. m. 3. Bene vero auctor rixae damnorum reſarcitionem exigit, ſi laedens fines defenſionis exceſſit, PVFENDORF T. IV. obſ. 52. *b)* L. 3. *ad L. Aquiliam.* *c)* *quia fere impoſſibile eſt, ſcire, qui deiecisſet*, L. 2. h. t.

cure in loco publico, vel priuato, vbi vulgo iter fit, ire liceat *d)*, praetor contra inhabitatorem aedium seu coenaculi, ex quo deiectio vel effusio facta est, laeso actionem concedit, ad damni aestumationem in duplum, et si liber homo occisus, ad L. aureos, et si vulneratus, ad id, quod aequum iudici visum fuerit *e)*.

ratio, ob quam inhabitator tenetur,

§. 1550. Est enim deiectio et effusio in locum, vbi vulgo iter fit, factum ciuibus periculosum, et noxium, et inde illicitum. Quam ob rem praetor inhabitatorem coenaculi seu aedium ad hocce factum illicitum praecauendum voluit obligatum, ita, vt non solum ex suo suorumque, sed quoque ex eorum, quos recepit, facto deiectionis seu effusionis respondeat *f)*, quia pro culpa imputatur, homines parum prouidos recipere *f)*.

actio.

§. 1551. Datur actio de deiectis et effusis ei, cui damnum per deiectionem et effusionem factum est, eiusue haeredibus, aduersus inhabitatorem aedium vel coenaculi, vnde deiectio facta (§. 1550.). Non igitur cum domino aedium, sed cum habitatore, siue conduxerit, siue ex alia causa habitet, agi debet *h)*. Si plures inhabitant; aut singuli diuisas aedium partes, aut coniunctim inhabitant. Priori casu, cum eo agendum est, ex cuius parte effusum, vel deiectum est *i)*. Posteriori vero casu, quia ex facto illicito est haec actio (§. 1450.), contra singulos agi potest in solidum, ita, vt vno soluente reliqui liberentur *k)*. Contra haeredes,

d) L. 1. §. 1. h. t. *e)* verba edicti sistit L. 1. pr. h. t. *f)* L. 6. §. 2. L. 1. §. 9. h. t. *g)* §. 1. Inst. *de obligat. quae quasi ex delicto.* *h)* L. 1. §. 4. et 9. h. t. *i)* L. 5. pr. et §. 1. h. t. *k)* L. 1. §. 10. et L. 3. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0159
DFG

des, non quidem Romano *l*), aſt hodierno iure datur. Inhabitatori ſaluus manet regreſſus aduerſus verum autorem *m*).

ceſſat haec actio.

§. 1552. Semper vero praeponit haec actio deiectionem ſeu effuſionem in locum, vbi vulgo iter fit (§. 1550.). Ceſſat igitur 1) ſi deiectio facta in locum, vbi vulgo iter non non fit *n*), 2) ſi praemonitio anteceſſit *o*). Temporis vero ratio non habetur *p*).

de eo, quod poſitum vel ſuſpenſum eſt.

§. 1553. Damnum quoque a libero homine inferri poteſt, ſi *poſitum* vel *ſuſpenſum quid in loco periculoſo habet*. Illud vero aut iam cecidit, aut caſum minatur. Priori caſu, actio ex lege Aquilia, poſteriori vero, actio in factum competit cuiuis ex populo aduerſus habitatorem, qui ſuſpenſum vel poſitum habet, in loco, vbi iter fit, ad poenam decem ſolidorum *q*).

vſus hodiernus.

§. 1554. Hodie poenae priuatorum ceſſant. Inde actio de deiectis et effuſis nec in duplum, nec ad L. aureos, ſi liber homo occiſus vel vulneratus eſt, nec ob poſitum vel ſuſpenſum ad decem aureos competit. Sed magiſtratus pro arbitrio ſecundum circumſtantias damni vel dati, vel attentati poenam determinat, non laeſo, ſed magiſtratui praeſtandam, qui etiam periculoſe poſitum vel ſuſpenſum deſtrui curat.

LIB. XXXIX. TIT. II.
DE DAMNO INFECTO ET SVGGRVNDIIS ET PROTECTIONIBVS.

ad damnum ſine noſtro facto ex re noſtra alteri

§. 1555. Obligatio ad damnum reſarciendum non immediate ex lege, ſed interueniente facto

l) L. 5. §. 5. h. t. *m*) L. 5. §. 4. h. t. *n*) L. 1. §. 2. h. t. *o*) arg. L. 31. *ad L. Aquiliam.* *p*) L. 6. §. 1. L. 1. §. 2. h. t. *q*) L. 5. §. 6. ſqq. h. t.

facto constituitur. Ad resarciendum igitur damnum, quod sine nostro facto per rem nostram alteri infertur, non nisi ex conuentione obligamur, sed laesus ex re ipsa, per quam damnum datum est, satisfactionem exigere debet, salua domini electione, vel rem derelinquendi, vel satisfactionem praestandi *r*). Inde aedium seu alterius cuiusdam operis lapsu laesus, ipsum opus collapsum sibi quidem retinere, minime vero aduersus dominum ad damni resarcitionem agere potest *s*).

ortum resarciendum obligatio ex conuentione est.

§. 1556. DAMNVM INFECTVM est *damnum nondum factum, quod futurum veremur t*). Cum igitur dominus, si absque eius facto damnum ex aedibus seu opere factum fuerit, ad eius resarcitionem non obligetur, aequitatis tamen ratio postulet, vt quilibet re sua ita vtatur, ne alteri sine iure exinde damnum fiat *u*); Praetor illi, cui damnum ex alterius aedibus, seu opere imminet, permisit ab operis ruinosi domino vero vel quasi tali cautionem damni infecti exigere, quo magis sequuto damno ad eius resarcitionem actio locum habeat *x*).

cautio de damno infecto exigi potest.

§. 1557. Si damnum ex alterius aedibus seu opere imminet, exigi potest cautio damni infecti. Et quidem omnes, quorum periculo res est, modo de calumnia iurarint, eam petere possunt *y*), ab omnibus, qui in re, vnde damnum imminet, ius habent *z*). Quia vero obligatio ad hanc cautionem praestandam in aequitate nititur, ne quis re sua in alterius da-

quis illam exigere potest.

r) L. 7. §. 1. h. t. *s*) L. 6 L. 7. § 2. L. 9 pr. h. t. *t*) L. 2. h. t. *u*) L. 1. §. 11. *de aqua et aquae pluu.* *x*) L. 7. §. 1. et 2. L. 8. 9. h. t. *y*) Etiam superficiarius et fructuarius, L. 13. et 18. h. t. *z*) L. 13. §. 1. L. 19. pr. h. t.

damnum vtatur satis patet, illam exigi non posse, si quis iure suo vsus alteri aliquid subtrahat *a*), vel damnum ex vitio rei naturali immineat *b*).

quomodo praestatur, et qninam sint praestitae effectus.

§. 1558.[79] Praestatur vero cautio damni infecti, prout quis proprio aut alieno nomine cauet, vel per nudam promissionem, vel per satisdationem *c*). Praestitae effectus est, vt, si damnum ex operis vitio, minime vero, si casu fortuito intra certum tempus secutum, actio ex stipulatu contra cauentem eiusque fideiussores competat, ad id, quod interest, modice aestumandum *d*). Quia vero ob varias, quae rei accidere possunt, mutationes iniquum foret, cautionis effectum in tempus extendere infinitum; illa in certum diem, a praetore definiendum, concipi debet *e*), quamuis lapso tempore, durante adhuc periculo, sit renouanda *f*).

cautione non praestita fit immissio in rem ruinosam.

§. 1559.[80] Quod si vero cautio petita, et a iudice iniuncta non praestetur, actor in possessionem rei ruinosae immittitur. Quae missio nec dominium tribuit, nec dominium compossessione excludit. Si tamen reus in contumacia persistat, ex secundo decreto, cum expulsione domini, actor immittitur, et ratione tertii habetur dominus, ratione veri domini conditionem accipit usucapiendi *g*).

non praestita cautione laesa quomodo satisfiat.

§. 1560.[81] Si ante praestitam cautionem damnum factum, actio contra dominum rei ruinosae non competit (§. 1555.). Potest tamen laesus ex re ipsa, quae damnum fecit, satis-

a) L. 24. §. vlt. L. 25. 26. h. t. *b*) L. 24. §. 2. sqq. L. 43. et 26. h. t. *c*) L. 7. pr. L. 13. pr. §. 1. L. 15. §. 2. h. t. *d*) L. 15. §. 1. L. 28. L. 39. §. vlt. L. 40. h. t. *e*) L. 13. §. vlt. L. 14. h. t. *f*) L. 15. pr. h. t. *g*) L. 4. §. 1. L. 15. §. 11. sqq. L. 30. et 44. h. t.

satisfactionem exigere, tali modo, vt dominus aut damnum sarcire, aut re carere compellatur *b*). Idem quoque locum habet, si alterius res casu in fundum nostrum deiecta nocuit *i*) (§. 1555.).

§. 1561.[62] Vsum huius tituli in Germania plerique ex ea negant ratione, quod hodie iudex contra eos, qui rei reparatione damnum imminens non auertunt, mandatis procedat poenalibus, vel sine ambage opus destruat, vel sub conditione reficiendi vendat. Ast quamuis hoc verum sit, illud tamen in eo solum casu locum habet, si certum sit, ex mora damnum imminere irreparabile. In aliis casibus, vt et, si absque cautionis praestatione damnum factum, vsum huius tituli negare non ausim. vsus hod.

LIB. XXXIX. TIT. III.

DE AQVA ET AQVAE PLVVIAE ARCENDAE ACTIONE.

§. 1562.[63] Damnum quoque imminere potest ex *aqua*, potissimum *pluuia*. AQVA hic intelligitur, *quae ex fonte, riuo, seu flumine publico ducitur*, AQVA PLVVIA est, *quae de coelo cadit*. Quod ad aquam attinet, aequitas iubet, ne alteri per alterum iniqua inferatur conditio. Inde praetor cauit, ne quis aquam ducat 1) sine consensu eorum, quorum vel dominii vel seruitutis iure interest *k*), nec 2) ex flumine nauigabili, nec 3) per viam publicam *l*). aqua et aq. pluuia defin. et iura aquae propon.

§. 1563.[64] Damnum per aquam pluuiam fit vel naturaliter, vel per opus manu factum, cur- aqua pluuia si ex opere manu facto nocet, com-

b) L. 7. §. 2. L. 8. 9. h. t. *i*) L. 9. §. 1. 2. 3. h. t. *k*) L. 8. sqq. h. t. *l*) L. 10. §. vlt. L. 18. h. t.

petit aquae pluuiae arcendæ actio, quae in rem scripta.

cursum aquae naturalem in alterius detrimentum impediens *m)*. Illius intuitu nulla *n)*, bene vero huius intuitu competit actio domino fundi ob damnum, quod in agro metuit ex aqua pluuia, contra dominum loci, vbi opus manu factum, per quod damnum fit, exiſtit, ad id, vt opus in priſtinum ſtatum reſtituatur, et damnum poſt litem conteſtatam datum reſarciatur. Cum enim quilibet in re ſua ita verſari debeat, ne facto ſuo alteri noceat *o)*; ſequitur, vt dominus fundi cuiusdam non quidem obligetur, ad damnum, quod a natura eſt, auertendum, bene vero in ſuo nil facere debeat, quo alterius fundo nocetur. Si igitur tale opus manu fit, ex quo alteri nocetur, is, cui damnum imminet, exigit, vt opus manu factum in priſtinum reſtituatur ſtatum *p)*. Quam ob rem actio *aquae pluuiae* arcendae competit, quae *in rem ſcripta eſt.*

contra quem et ad quid.

§. 1564. Quia actio aquae pluuiae arcendae in rem ſcripta eſt, illa non ſolum contra dominum, qui opus ipſe fecit, ſed quoque ex facto tertii contra quemlibet poſſeſſorem competit; ea tamen ratione, vt contra poſſeſſorem, qui ipſe fecit opus, agi poſſit, vt deſtruat ſuis ſumtibus, ex facto vero tertii actio ſolum eo tendit, vt poſſeſſor deſtrui permittat *q)*. Contra eum, qui fraudulenter fundum, poſtquam opus manu fecerit, alienauit, intra annum interdicto, *quod vi aut clam*, poſt annum *de dolo* ad reſarciendum damnum expe-

m) Quod fit, ſi aquam immittendo fecerit maiorem, aut citatiorem, aut vehementiorem, aut comprimendo redundare facit, L. 1. §. 1. h.t. *n)* L. 1. §. 10. h.t. *o)* L. 1. §. 4. 11. h.t. *p)* L. 1. §. 7. L 3. §. 3. L. 4. §. 2. L. 9. §. 6. L. 11. §. 3. L. 12. h.t. *q)* L. 4. §. 2. L. 6. §. 7. L. 12. h.t.

experiri licet *r*). Possessor solum de damnis post litem contestatam ortis, non vero de praeteritis respondet *s*).

§. 1565. Locum habet haec actio, si aqua pluuia ex opere manufacto nocet alterius agro. Inde illa cessat, 1) si nec aqua pluuia, nec ex opere manufacto, sed natura vel vitio loci *t*), 2) aut non agro, sed aedificio nocet *u*), quia hoc casu ad damna auertenda actio negatoria datur. Porro, cum nemo, qui iure suo vtitur, alteri faciat iniuriam, sequitur, vt actio aquae pluuiae cesset; 3) si opus vltra hominum memoriam existit, sicque ex vetustate ius quaesitum est *x*), 4) si iure seruitutis vicinus aquam recipere debet *y*), 5) si consentiente vicino *z*) vel 6) auctoritate publica opus factum *a*), aut 7) illud tale sit, quod oeconomica agri cultura requirit *b*). cessat.

LIB. XLVII. TIT. X.

DE

INIVRIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

§. 1566. INIVRIA in genere est omne id, quod sine iure fit (§. 1541.). Hic vero INIVRIA denotat *dictum, vel factum, in alterius contumeliam dolo directum.* Est vel VERBALIS, *quae verbis*; vel REALIS, *quae re vel facto infertur c*). Verbalis rursus vel *scripta*, vel *nuncupata* est. Vtraque rursus vel *simplex*, vel *atrox* est. Atrox iniuria fit aut facto ipso, aut iniuria realis, verbalis, directa, obliqua.

r) L. 14. pr. h. t. *s*) L. 6. §. 6. L. 11. §. 3. L. 14. §. 2. h. t. *t*) L. 1. §. 10. 17. L. 14. §. 1. h. t. *u*) L. 1. §. 17. h. t. *x*) L. 2. pr. §. 2. L. 1. §. vlt. h. t. *y*) L. 2. §. vlt. h. t. *z*) L. 19. 20. h. t. *a*) L. 2. §. 3. L. 23. h. t. *b*) L. 1. §. 3. sqq. h. t. *c*) L. 1. §. 1. h. t.

aut persona, aut tempore aut loco *d*). Porro iniuria est vel *directa*, vel *obliqua*. Illa dicitur, *quae in nos ipsos est suscepta*. Haec vero est, *quae alteri seu rei cuidam illata in nos redundat*.

quomodo iniuria fiat.

§. 1567. Quia iniuria est dictum, vel factum in alterius contumeliam directum; sequitur, vt iniuria sit omne dictum vel factum, quod ad infamiam, contemtum, vel minuendam alterius dignitatem facit *e*), aut corpori dolorem, vulnus, aut mutilationem infert *f*). Nec cessat iniuria, quamuis vera se dixisse, iniurians probare velit *g*).

iniuria obliqua.

§. 1568. Porro, cum iniuria obliqua sit, quae alteri illata in nos redundat, sequitur, vt 1) iniuria liberis, vxori, sponsae illata, patrem, maritum, sponsum tangat *h*), 2) iniuria seruis et ancillis illata in dominum vergat *i*), 3) si res a nobis profectae, aut picturae nos referentes despicatui habitae, nobis ipsis iniuria infertur *k*). Modo iniurians non ignoret, rem vel seruum nos attingere *l*). E contrario vxor et liberi iniuriam marito, vel patri illatam vindicare nequeunt, nisi talis sit, quae reuera ipsam vxorem vel ipsos liberos tangit *m*), aut post mortem patris seu mariti sit illata *n*).

vera iniuria animum iniuriandi requirit, qui interdum praesumitur.

§. 1569. Iniuria non est sine dolo, qui in proposito seu animo iniuriandi consistit. Hinc

d) L. 7. §. 7. 8. L. 8. 9. h. t. §. 9. I. h. t. *e*) L. 1. §. 2. L. 15. §. 20. sqq. h. t. *f*) L. 1. §. 2. h. t. *g*) L. 5. C. h. t. *C. Car.* art. 110. *h*) L. 1. §. 3. L. 18. §. 5 h. t. *i*) L. 15. §. 35 et 48. h. t. *k*) ENGAV *elem. iur. crim.* lib. 1. §. 277. *l*) L. 18. §. 5. h. t. Secus ratione vxoris et liberorum. Nam hoc casu pater et maritus agere possunt, siue iniuriatus sciuerit, siue ignorauerit, vxorem liberosue ad me pertinere, L. 1. §. 8. h. t. *m*) L. 2. L. 11. §. 8. h. t. *n*) L. 1. §. 6. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0166
DFG

Hinc iniuriae non est reus, 1) qui doli incapax est *o)*, et delictum committere nequit (§. 1534.), 2) qui corrigendi emendandique animo quid dixit, fecitque *p)*, modo excessus absit, 3) qui per iocum, casum, vel errorem aliquid fecit in contumeliam *q)*. Est autem animus iniuriandi (qui non praesumitur, nisi verba vel facta per se sint iniuriosa), vel directus, vel indirectus. Indirectus adest, quando factum in alterius contemtum revera tendit, licet eo fine non sit susceptum *r)*.

actio aestumatoria eiusque indoles.

§. 1570. Per iniuriam laesus vel ad poenam publicam, vel ad poenam sibi applicandam, agere potest. Hic actio AESTVMATORIA *s)* competit. Quae est *poenalis praetoria, qua iniuriam passus eam in libello aestumat, sibique aestumatum quantum adiudicari petit t)*. Annalis est haec actio *u)*, ideoque tempus factae iniuriae in libello exprimi debet *x)*. Illa, quia meram vindictam spirat, non transit in haeredes *y)*, et iniuria, ad animum reuocata, nec expresse, vel tacite remissa esse debet *z)*, semper vero aestumatio fit saluo iudicis arbitrio minuendi quantum a laeso petitum *a)*.

actio iniuriar. criminalis.

§. 1517. Insuper quoque criminalis actio propter omnem iniuriam competit, ad poenam arbitrariam *b)*. Sicuti et in casu, quo quis pulsatus, verberatus, vel eius domus

o) L. 3. §. 1. sqq. L. 15. §. 13. L. 33. h. t. *p)* L. 15. §. 38. h. t. L. 5. f. *ad L. Aquil.* *q)* L. 3. §. 4. et L. 4. h. t. *r)* exempla occurrunt L. 9. f. L. 10. L. 15. §. 22. 23. h. t. *s)* de cuius origine GELLIVS N. A. lib. XX. cap. I. §. 7. Inst. h. t. *t)* §. 7. I. et L. 21. D. h. t. *u)* L. 5. C. *de iuiur.* *x)* GAIL. lib. I. obs. 64. LEYSER sp. 544. *y)* L. 13. h. t. *z)* L. 11. §. 1. et L. 17. §. 6. h. t. §. 12. Inst. h. t. *a)* §. 7. I. h. t. *b)* §. 10. I. h. t.

vi introita est, ex lege Cornelia ciuilis aeque ac criminalis persequutio competit. Ex hac lege poena itidem arbitraria est *c)*.

reuocatio, deprecatio et declaratio honorit.

§. 1571. Propter iniuriam condemnatus iure Romano fit infamis. Nostri vero maiores iniuriam passum contumeliae obiectae tamdiu suspectum credebant, donec alapa, vel armis, sibi satisfactionem procuraret, vel iniurians agnosceret, se iniuriose egisse *d)*. Orta inde sunt tria remedia vindicandi iniuriam, 1) actio ad *Palinodiam* seu recantatoria, *qua iniuria* verbali affectus ad eius reuocationem agit, 2) actio ad *deprecationem* et 3) ad *declarationem honoris*. Haec locum habet, si iniuria dubiae est interpretationis, vel superior in inferiorem fecerit iniurias. Illa iniungitur, si de iniuria, quae tamen non est atrocior, constat. Ista iniuriam atrociorem in superiorem ab inferiore commissam praeponit *e)*.

vsus hodiernus.

§. 1573. Actio aestumatoria apud nos rarioris vsus, et in quibusdam prouinciis penitus abrogata est *f)*. E contrario remedia (§. 1572.) proposita frequentantur, ac insuper iniurians poena arbitraria carceris, relegationis et mulcta coercetur. Inde cum his actionibus petitum ad poenam arbitrariam recte coniungitur. Aestumatoria tamen cum actione ad palinodiam, deprecatione et declaratione honoris minus recte cumulatur *g)*.

retorsio iniuriarum.

§. 1574. Toleratur quoque in plerisque Germ. prouinciis RETORSIO INIVRIARVM, *qua*

c) §. 8. I. L. 5. pr. L. 37. §. 1. h. t. *d)* Dreyers Samml. deutscher Abhandl. P. I. n. 1. *e)* LEYSER sp. 543. m. 1. sq. *f)* BERGER *el. pr. crim.* p. 84. *g)* GAIL. lib. obs. 65. STRVV *Synt. iur. ciuil. Exerc.* 48. th. 61.

qua quis iniuriam verbalem sibi illatam in eum, qui illam euomuit, remittit, modo eadem iniuria, non atrocior, remittatur. In realibus iniuriis retorsio est illicita *h)*.

§. 1575. LIBELLVS FAMOSVS est *scriptum sine nomine autoris publice diuulgatum, quo famosum crimen alicui obiicitur.* Vt igitur libellus sit famosus, requiritur 1) scriptum sine nomine *i)*, 2) publice diuulgatum *k)*, 3) vt crimen famosum, i. e. quod infert infamiam, alicui obiiciatur. libellus famosus.

§. 1576. Poena famosi libelli iure Rom. est capitalis *l)*, id est deportatio. Iure hodierno, talio, ita tamen, vt poena mortis nunquam locum habeat *m)*. eius poena.

LIB. XI. TIT. III.
DE SERVO CORRVPTO.

§. 1577. Seruus *corrumpitur, si alterius nequitia quoad animum fit deterior n)*. Tale fit, si quis seruo receptum inuito domino dedit, eum ad scelus pellexit, maloue consilio instruxit, quamuis successu caruerit *o)*. Ob hancce corruptionem domino aduersus corruptorem darur actio ad aestumationem eius, quanti minoris factus est seruus; et resarcitionem actio de seruo corrupto directa et vtilis.

h) PFANKVCH *de retorsione iniuriarum.* STRVV *de vindicta priuat.* c. 10. LEYSER sp. 542. m. 9. *i)* L. vn. C. *de famos. libell. Const. crim.* artic. 110. Equidem putant per REC. IMP. de anno 1577. tit. 35. constitutioni criminali esse derogatum, ast de typographis solum loquitur dictus recessus, minime de libellis famosis. *k)* diuulgatio requiritur C. *Car.* art. 110. verbis: die er ausbreitet. *l)* L. vn. C. *de libell. famos. m)* *Const. Car.* art. cit. *n)* L. 1. §. 3. h. t. *o)* L. 1. §. 2. et 3. L. 2. h. t. §. 8. *de obl. ex del.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0169
DFG

nem eius, quod seruus domino abstulit, regulariter in duplum *p)*. *Vtiliter* haec actio competit patri, ob corruptionem liberorum, non quidem in duplum, sed ad simplicem aestumationem arbitrio iudicis determinandam *p)*, et aliquando ad poenam arbitrariam.

vsus hodiernus.

§. 1578. Vsum huius tituli quoad actionem directam in locis, vbi homines proprii sunt, negare nolo, quamuis non in duplum, sed ad simplicem aestumationem detur haec actio, et iudex ex officio punire queat corruptorem. Vtilis quoque actio omnino vsum praestat, et non desunt, qui eam ad maritum extendunt. Poena quoque in corruptores liberorum, vt et seruorum conductitiorum, a magistratu potest statui *r)*.

LIB. XI. TIT. IV.

DE FVGITIVIS.

fugitiuus quis, et quomodo persequi potest.

§. 1579. FVGITIVVS SERVVS dicitur, *qui abit a domino animo nunquam redeundi*, et inde ab *errone* differt *s)*. Huiusmodi fugitiuum, quia in dominio erat (§. 122.), dominus non solum a quolibet vindicare possessore, sed quoque contra detentorem furti agere *t)*, et insuper poena, ad mortem tamen non extendenda, adficere poterat seruum.

vsus hodiernus.

§. 1580. Apud nos serui vel *conductitii* sunt, vel *homines proprii* (§. 123.). Hi in dominio sunt, ideoque aufugientes a quolibet auocari, et castigari; imo volente domino a magistratu puniri possunt. Sicuti et contra dolosos eorum detentores poena locum habet

p) L. 1. pr. h. t. *q)* L. 14. §. 1. h. t. *r)* STRYCK *Vs. Mod.* h. t. §. 4. sqq. *s)* L. 17. §. 1. *de aedilitio edicto*. *t)* L. 1. pr. h. t.

bet *u)*. Serui conductitii non quidem in dominio sunt, ex contratu tamen tenentur (§. 124.), ne ante lapsum temporis, ad quod sua promiserunt seruitia, ex famulitio recedant, nisi iusta adsit causa (§. 1080.). Qui intempestiue famulitium contra conuentionis legem deserit, id quod interest, in subsidium iuramento in litem aestumandum, praestare (§. 1095.) et ex quarundam prouinciarum legibus poenam luere debet, quae etiam iure communi locum habet, si vestes (die Livrée) domino abstulit *x)*.

LIB. XI. TIT. V.

DE ALEATORIBVS.

§. 1581. ALEATORES sunt, *qui ludis vetitis operam dant*. LVDI VETITI dicuntur, *quibus homines sua bona committunt fortunae*. Permissi erant ludi artis atque ingenii. Ludi fortunae, quamuis reuera nil aliud sint, quam conditionatae de donando conuentiones, ideoque iure naturali non aduersentur; Romanis tamen, quia otiosos reddunt ciues, rixas excitant, et optimos saepe suis priuant bonis, admodum erant inuisi, ideoque omnem obligationem, cui fortunae ludi causam dederunt, penitus inualidam declarant leges Romanae, ita, vt naturali quoque obligationi suos denegent effectus *y)*.

ludi artis permissi, ludi fortunae et mixti sunt prohibiti.

§. 1582. Quia obligatio ex ludo nulla est, sequitur, vt id, quod ex ludo debetur, exigi ne-

quod debetur ex ludo, exigi nequit potius solutum condici potest, et poenae lusorum.

u) MEVIVS von dem Zustand und Abforderung der Bauerleute. *x)* SCHILTER *exerc.* 21. th. 29. LEYSER sp. 124. *y)* L. 2. §. 2. D. et L. 3. C. h. t. Ludi quidam iure Romano permissi recensentur L. 3. C. h. t. horum naturam explicat STRYCK *VS. mod.* h. t. §. 14. sqq.

nequeat *z)*, et quod iam solutum est, repeti queat indebiti condictione, quae non solum ludenti, sed quoque cuilibet ex populo et fisco datur per L. annos *a)*. Porro leges collusori, qui pecuniam ad lusum credidit, vt et illi, qui receptum aleatoribus dedit, si quid damni iniuriaeue passus est, denegant actionem *b)*. Clerici, qui ludis interfunt, ab officio suspendi *c)*, et qui ad ludendum cogunt, carceris seu pecuniaria poena adfici debent *d)*.

quateuus lusoria pecunia debeatur iure Germ.

§. 1583. Germanicae gentes iam Taciti temporibus aleae fuerunt *e)*, et adhuc hodie sunt, studiosissimae. Inde est, quod dispositiones iuris Romani in Germaniae prouinciis non vbique vsu seruentur. Quia vero ius Roman. nisi leges seu consuetudines contrariae doceri possint, apud nos valorem habent; nullam video rationem, cur in defectu legum patriarum vsus iuris Romani negari queat. Hoc sane certum est, apud nos ad exigendum id, quod ex ludo fortunae debetur, nullam competere actionem *f)*, nisi forsan in nouam haud reprobatam causam v. gr. transactionis, mutatio sit facta *g)*. Quod vero

z) L. 2. §. 1. D. *quarum rerum actio non datur.* L. f. C. h. t. *a)* L. 4. D. et L. 3. C. h. t. *b)* L. 12. §. 11. *mandati.* L. 1. pr. h. t. *c)* AVTH. *interdicimus.* C. *de episcop. et cleric. d)* L. 1. §. f. h. t. in hac lege sub condemnatione in *lautumias* intelligi carcerem defendit NOODT *com.* ad h. t. *e)* TACITVS *de Mor. Ger.* c. 24. *f)* IVS PROV. SAX. lib. I. art 6. Weichbild art. 101. CARPZOV. lib. VI. resp. 96. n. 12. COLER P. I. decis. 173. n. 8. WERNHER P. IX. obs. 214. *g)* STRYCK *Vsu mod.* h. t. §. 9. Chirographum super pecunia lusoria datum reuocationem haud impedit. Quodsi vero in chirographo vel cambio non fuerit expressum, pecuniam ex lusu deberi, in processu executiuo vel cambiali exceptio

vero ſolutum condici poſſit, plerique negant *h)*. Interdum quoque leges prouinciales permittunt ludere ad certam ſummam. Hoc caſu, ſi ſumma debita non excedit quantum legibus determinatum, actio competit, et condictio ſoluti denegatur. Quae tamen locum habet, 1) ſi alter doloſe in ludo egerit (§. 1056. ſqq.), 2) is, qui ſoluit, liberam non habeat diſponendi facultatem, vel 3) legitima liberorum laeſa, aut 4) ſolutum ſummam D. ſolidorum excedat.

ſponſiones validae.

§. 1584. Species ludorum ſunt SPONSIONES, Wetten, quae ſunt *conuentiones de dando vel faciendo, ſi euentus, adhuc incertus, hac vel illa ratione exſtiterit.* Huiusmodi ſponſiones, ſi ex bono et licito fine ſuper re, de qua diſponendi facultas competit, fiunt, leges non reprobant *i)*.

inualidae.

§. 1585. Sponſiones ſunt conuentiones. Hinc 1) dolus ſponſionem, cui cauſam dedit, nullam reddit, et pro dolo quoque habetur, ſi quis incertitudinem euentus ſimulando, aut ſophiſticis et ambiguis locutionibus, alterum ad ſponſionem inducit (§. 1060.), 2) res per ſponſionem promiſſa in promittentis poteſtate (§. 1068.) et neque naturaliter neque moraliter impoſſibilis eſſe debet *k)* (§.

ceptio pecuniae ex ludo debitae fruſtra opponitur. Quamuis finito proceſſu ſolutum in reconuentione repeti queat. STRYCK *Vſu mod.* h.t. §. 7. et 8. *h)* prouocant ad ORDIN. IMP. die Fußknechts-Beſtallung de anno 1570. c. 111. condictionem tamen admittit LEYSER ſp. 126. m. 3. WERNHER l.c. *i)* L. 3. h.t. DE REIBNIZ *de ſponſionibus iure naturae et ciuili illicitis*, STRAVSS et SCHACHER diſp. *de ſponſionibus*. LVDOVICI *de natura et interpr. ſponſion.* *k)* L. 17. §. f. *de praeſc. verb.* L. 3. h.t. LEYSER ſp. 127. m. 2.

1080. 1081.). 3) Immodica sponsio ex arbitrio iudicis ad minorem reduci potest summam *l*).

Lotterien. §. 1586. Ad ludos quoque pertinent *vrnae fortunae* (Lotterien), quae accedente quidem imperantis auctoritate, minime vero ob fraudes, quae eas comitantur, a priuatis haberi possunt.

LIB. XI. TIT. VI.

SI MENSOR FALSVM MODVM DIXERIT.

mensor, et falsus modus defin. exinde oritur obligatio,

§. 1587. MENSOR est, *qui mathematice rem metitur eiusque mensuram significat.* FALSVM MODVM dicit mensor, *si rei, quam mensus est, falsam significat quantitatem m).* Si igitur falsus dictus modus, et inde eum exquirenti laesio orta est, laeso eiusque haeredibus aduersus eum, qui ad rem certo modo praestandam se obligauit, actio ex contractu competit ad praestandum modum conuentum, vel si hoc fieri nequeat, ad id, quod interest *n).* Si vero certus in contractu modus haud promissus, aut promissor non sit soluendo, in subsidium aduersus mensorem *actio* competit *in factum*, ad id, quod interest *o).*

ex dolo mensor solum obligatur.

§. 1588. Quia mensor mensuram rei ex regulis matheseos determinat, mathesis vero ars sit liberalis; Romani credebant, mensorem non ex locatione conductione teneri, sed metiendo suas operas beneficii loco praebere.

l) LEYSER sp. 127. m. 7. *m*) L. 1. pr. L. 5. §. 2. L. 6. 7. h. t. *n*) L. 3. §. 2. L. 5. §. 1. h. t. L. 40. *de contr. E. V.* *o*) L. 1. pr. h. t. L. 35. §. 5. 6. *de contr. E. V.* L. 13. §. 14. *de action. emt.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0174
DFG

bere. Sicuti vero iniquum esset, eum, qui beneficium praestat, magis obligare, quam ad dolum praestandum; ita quoque mensor, qui falsum modum dixit, de dolo tantum, et, quae dolo aequiparatur, culpa lata, potest conueniri *p*). Inde haec actio ex facto illicito nascitur, et iure Romano non contra haeredes *q*), bene vero aduersus plures mensores in solidum, competit *r*).

§. 1589. Hodie mensores haud raro sunt opifices, et mensurationem tanquam rem opificiariam pro certa mercede praestant. Hos ex contractu locationis conductionis ad leuem culpam obligari, et actione conducti conueniri posse, non est dubium. Cultores vero matheseos, qui mensoris operas praestant, non conducti, sed *actione in factum* tenentur *s*).

hodie mensores ex contr. locat. culpam leuem praestant.

LIB. III. TIT. II.

DE HIS, QVI NOTANTVR INFAMIA.

§. 1590. INFAMIA est *macula, qua quis ob turpia facta a lege notatur.* Infamia igitur 1) contrahitur per turpia facta, 2) lex eam infert, 3) illa consistit in macula, qua quis priuatur honore et bona existimatione.

infamia, quid?

§. 1591. Infamia est ex lege, eaque vel naturali, vel ciuili. Hinc infamiam in *naturalem* et *ciuilem* diuidere solent. Infamia *naturalis* nascitur *ex legum naturalium enormissima violatione.* Infamia vero *ciuilis* oritur *ex facto, quod lex ciuilis infamiae macula notauit.*

est l. naturalis l. ciuilis.

§. 1592. Non omnia facta, quae iure naturae infamia habentur, talia quoque reputan-

est l. iuris l. facti.

p) L. 1. pr. et §. 1. h. t. *q*) L. 3. §. 5. h. t. *r*) L. 3. pr. h. t. *s*) HVBER *praelect. ad Paud.* et THOMASIVS *in notis.*

putantur in ſtatu ciuili. Exemplo ſint fraudulenti decoctores. Nec omnia, quae iure ciuili infamia notantur, talia ſunt iure naturae, e. gr. *polygamia*, *concubinatus*, *vſuraria prauitas*. Inde naſcitur diſtinctio *in iuris* et *facti* infamiam. Infamia IVRIS eſt, *quae oritur ex facto, in quod lex ciuilis ſpeciatim infamiam ſtatuit.* Infamia vero FACTI dicitur, *quae naſcitur ex facto, quod lex quidem ciuilis ſpeciatim infamia haud notat, aſt ob naturalem facti turpitudinem non improbat contemtum, quo graues viri huiusmodi facta adſpiciunt.*

nec poena, nec vulgi opinio infamat,

§. 1593. Omnis infamia naſcitur ex facto a lege infamia notato. Minime vero ex inepta vulgi opinione. Haec enim varia facta infamia notat, quae talia non ſunt *t)*, imo nec poena in ſe infamat *u)*, ſed factum macula a lege notatum *x)*.

eſt l. mediata l. immediata.

§. 1594. Infamia praeponit legem. Iam vero ex legis diſpoſitone vel infamia ſtatim ex facto a lege notato naſcitur; aut demum interueniente ſententia ſe exſerit. Prior *immediata*, poſterior *mediata* dicitur infamia *y)*.

qui immediata.

§. 1595. Infamia inmediata ſine praeuia iudicis ſententia ex ipſo facto naſcitur. Immediatam igitur infamiam habent 1) qui artis ludicrae cauſa in ſcenam lucri quaerendi gratia prodeunt *z)*, 2) qui lenocinium fece-

re

t) LEYSER ſp. 52. m. 7. Sic carnificem infamem credunt, aſt erronee. BOEHMER (I. S. Fr.) *de executionis poenar. capit. honeſtate.* KAESTNER *de carnifice infamia non laborante.* *u)* L. 22. h. t. imo poena corporalis iuſto grauior famam alicui conſeruat, quaſi hac ratione de fama eſſet transactum, L. 13. §. 7. D. h. t. L. 10. §. vlt. D. *de poen.* L. 15. pr. *ad municip.* *x)* L. 22. h. t. *y)* L. 13. C. h. t. *z)* L. 2. §. vlt. h. t. ALB. GENTIL. *de actoribus et ſpectatoribus fabularum.* WERNHER P. VII. obſ. 184.

re *a*), 3) tutores, qui pupillam ante reddi-
tas rationes in matrimonium ducunt, vel iis,
quos in potestate habent, in matrimonio col-
locant *l*). Sicuti vero huius dispositionis ra-
tio, quae in diuortiorum licentia quaerenda
est, hodie cessat, ita quoque apud nos illa
extra vsum est. 4) Qui bina contrahunt spon-
salia *c*). 5) Mulier intra annum luctus nu-
bens et qui illam sponte ducit *d*). Ratio hu-
ius dispositionis est metus confundendi san-
guinis, hinc, quae post mortem mariti par-
tum edidit, se statim nuptiis potest colloca-
re *e*). Minime vero intra tempus luctus ma-
trimonium viri est prohibitum *f*). Imo ius
canonicum, quod in praxi sequimur, infa-
miam mulieri remisit *g*).

§. 1596. Infamia mediata ex lege quidem, qui mediata infamia laborant.
ast accedente iudicis sententia, nascitur (§.
1594.). Huiusmodi infamiam inferunt 1)
omnia delicta publica dolo perpetrata *h*), et
sic quoque stuprum *i*). Ex priuatis vero de-
lictis infamiam important furtum, vis bono-
rum raptorum, iniuria *k*). Damnum iniuria
datum non infamat, nec delicta extraordina-
ria, nisi de quibus hoc ipsum cautum est, vt
de sepulchrorum violatione *l*). Stellionatus,
si cum crimine vel actione infamante concur-
rit, infamiam producit *m*). Perfidia a tuto-
re, socio, depositario, mandante et manda-
tario commissa, modo in sententia mentio fa-
cta

a) L. 4. pr. et §. 1. h. t. *b*) L. 7. C. *interdict. matrim. inter pupill. et tutorem.* *c*) L. 13. §. 1. h. t. *d*) L. 1. 11. 12. D. h. t. L. 15. C. h. t. L. 1. 2. C. *de secundis nuptiis.* *e*) L. 11. §. 1. 2. D. h. t. *f*) L. 9. D. h. t. *g*) c. vlt. X. *de secund. nupt.* *h*) L. 7. D. *de publ. iudic.* *i*) §. 4. I. eodem. *k*) L. 7. D. *de publ. iudic.* *l*) L. 1. D. *de sepulchro violato.* *m*) L. 13. §. vlt. D. h. t.

cta sit perfidiae *n)*. Germani vero non vbique Romanorum de infamia probant principia *o)*.

mediata non est sine sententia.

§. 1597. Infamia mediata sententia iudicis interueniente nascitur. Hinc non fit infamis, qui transigit super perfidia in contractu commissa *p)*. Et licet iure Rom. transigens super delicto infamis habeatur, hoc tamen nostro iure non obtinet. Sicuti vero sententia lata ab eo, qui non est iudex, vel in rem iudicatam nondum transiit, nullum habet effectum, ita quoque nullam infert infamiam *q)*. Imo iudex in sententia famam potest reseruare iustis ex causis *r)*.

infamia facti et iuris quando cessent.

§. 1598. Infamia iuris nascitur ex facto a lege ciuili infamia speciatim notato. Infamia vero facti ex turpi vitae genere nascitur. Sicut vero vnicum factum non statim legum violationem enormissimam infert; ita quoque exinde patet, vtriusque infamiae in eo esse differentiam, quod infamia iuris ex vnico facto a lege infamia speciatim notato nascatur, minime vero infamia facti. Inde porro alia sequitur differentia, quod nempe infamia facti ob emendationem vitae cesset, infamia vero iuris perpetuo inhaereat, licet post infame factum aliquis honeste viuat *s)*. Cessat vero infamia, si princeps famam expresse vel

n) L. 9. §. 5. et 7. D. h. t. *o)* DE SELCHOW *sel. cap. doctrinae de infamia. p)* L. 7. D. h. t. CARPZOV *prax. crim.* quaest. 97. n. 89. *q)* L. 13. §. 5. h. t. L. 6. §. 1. h. t. *r)* Argumentum defumunt ex c. 23. X. *de re iudicata.* STRYCK V. M. h. t. §. vlt. nec refragatur ius Rom. L. 13. §. 7. h. t. HARPPRECHT *de expressa honoris in sententia iudicis reseruatione. s)* L. 43. §. 4. D. *de ritu nuptiarum.*

vel tacite restituat *k)*, vel elapsum sit tempus, ad quod infamia per exclusionem a dignitatibus temporariam est illata *u)*.

§. 1599. Infamis, quia honore et existimatione priuatus est, a dignitatibus excluditur, et quidem is, qui infamia iuris laborat, indistincte a dignitatibus, etiam obtentis *x)*, imo quoque a collegiis opificum, aliisque honestis societatibus remouetur. Illi vero, qui facti infamia laborant, ad dignitates non admittuntur, ab obtentis vero, si admonitionis gradus frustra adhibiti, remouentur. exclusionem dignit. operatur.

§. 1600. Infamia iuris aeque ac infamia facti maculam infert. Hinc infamis pro turpi habetur persona, quae, si testimonio dicendo adhibetur, suspecta est, eique plena haberi nequit fides *y)*. infamis est turpis persona.

§. 1601. Ab infamia differt LEVIS NOTAE MACVLA, quae est *contemtus nobis ortus ex sordido vitae genere.* Huiusmodi leuis notae macula eum effectum habet, vt ea laborans turpibus quidem personis connumeretur, minime vero a collegiis honestis arceri queat *z)*, si a carnifice, et iis, qui reprobatae sunt religionis, discesseris *a)*. leuis notae macula.

LIB.

t) L. 7. C. *de sentent. pass.* L. 1. §. 10. *de postulando.* LYNCKER *de iure restituendae famae.* GRIEBNER *exercit. qua ius restituendi famam princip. imperii asseritur.* *u)* L. 8. *de postulando.* *x)* L. 2. C. *de dignitatibus.* *y)* L. 3. D. *de testibus.* *z)* Olim quidem maioris momenti effectus producebat haec macula, de cuius origine conf. HEINECC. *de leuis notae macula.* *a)* Reichsschluß von Abschaffung der Handwerks-Misbräuche. *in corp. recess. imp.* P. IV p. 377 Reichsschluß im Jahr 1772. apud MOSER Staats-Handbuch P. I. p. 124. P. DE ICKSTADT *de irration. consuet. LL. et statut. quibus functiones in ciuitate necessariae leuis notae mac. adsperguntur.*

ARTICVLVS V.
OBLIGATIO EX QVASI DELICTO.

LIB. L. TIT. XIII.
DE
EXTRAORDIN. COGN. ET SI IVDEX LITEM SVAM FECISSE DICERETVR.

extraordinariae cognitiones quae? et in quibus causis locum habent.

§. 1602. Romani ordinariam vocabant iurisdictionem, si magistratus de iure solum cognoscit, facti vero cognitionem ad iudicem pedaneum, ex formula praescripta iudicaturum, ablegat. EXTRAORDINARIA vero COGNITIO dicitur, *si magistratus extra ordinem ipse, non per iudicem pedaneum de facto cognoscit, sententiamque pronunciat b).* Quod potissimum in causis moram haud ferentibus fiebat, et in municipiis quoque obtinebat, dum praeses prouinciae causae cognitionem, quam regulariter duumuiri habebant, sibi vindicaret, in causis munerum et honorum, existimationis hominum, capitalium criminum, salariorum et honorariorum *c).*

qui litem suam facit, et actio de syndicatu.

§. 1603. In hisce extraordinariis cognitionibus, aeque ac ordinariis, iudex LITEM SVAM FACIT, *qui dolo vel culpa male in causa agendo damnum infert.* Ad resarciendum hoc damnum contra eum, qui litem suam fecit, laeso competit actio, quam de *syndicatu* vocant. Et quidem iudex male agendo, vel sententiam fert iniustam, vel absque hac alio quodam facto damnum infert, e. gr. *mandando, de facto procedendo vel praescriptam legibus formam negligendo etc.* Hic ex dolo aeque, ac imperitia *d)*, ibi vero ex dolo tantum iudex tene-

b) L. 178. §. 2. *de verb. signif.* L. 2. et 5. C. *de iud. ped.*
c) L. 1. et 5. h. t. *d)* L. 6. h. t. pr. I. *de obligat. quae quasi*

tenetur *e*), dum per sententiam laesus sibi imputet, quod iusto tempore remediis suspensiuis non fuerit vsus. Dolo tamen aequiparatur culpa lata.

LIB. IX. TIT. I.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

pauperies, iniuria, noxa defin.

§. 1604. Damnum, cuius definitionem et diuisiones iam supra (§. 1082. 1084.) exposui mus, infertur vel *a libero homine*, vel *a seruo*, vel *ab animali irrationali*. Primum ICti vocant damnum INIVRIA DATVM, alterum NOXAM, postremum PAVPERIEM.

pauperies dolo l. culpa hominis concurrente facta ab hoc, quae vero absque concursu hominis facta a domino reparcienda, vel animal tradendum est.

§. 1605. Damnum ab animali irrationali fit aut dolo, vel culpa hominis concurrente, aut non. Priori casu, rursus damnum factum est, aut dolo vel culpa eius, qui illud sentit, aut alterius cuiusdam dolus vel culpa damno occasionem praebuit. Hoc casu is, cuius dolo aut culpa damnum est factum, ad eius resarcitionem indistincte, et interdum ad poenam tenetur *f*). Illo vero casu, laesus damnum sua sentit culpa, eiusque resarcitio-

quasi ex delicto. LEYSER spec. 680. m. 1. 2. DE CRAMER obs. 658. *e*) L. 15. §. 1. *de iudiciis*. L. 2. C. *de poena iudicis*. quod apud nos extra dubium est, ORD. CAM. P. III. tit. 53. §. vlt. SCHILTER *exerc.* 10. §. 60. THOMASIVS *de iudice imperite iudicante*. BOEHMER *de remedio syndicatus aduersus sententias camerae*. STRVBEN R. B. P. II. arg. 124. *f*) L. 1. §. 4. 5. 6. 8. h. t. Poena ex edicto aedilitio eos manet, qui animalia nociua non custodiunt, vel in loco habent, vbi vulgo iter fit, §. 1. Inst. h. t. L. 40. *de aedil. edicto*. adde C. CAR. CRIM. art. 136.

citionem nequit exigere *g)*. Si vero pauperies hominis dolo vel culpa haud concurrente est facta, animal nociuum aut in dominio existit, aut non. Hic per occupationem animalis satisfactio est quaerenda *h)*; illic vero dominus, aut animal laeso tradere, aut reparationem damni praestare tenetur *i)*.

dominus aut noxae dare, aut pauperiem resarcire tenetur.

§. 1606. Obligatio igitur domini, cuius animal fecit pauperiem, est alternatiua. Cum enim damnum datum sit resarciendum, animal vero irrationale praeter suum corpus ad resarciendam pauperiem nil habeat, illud noxae laeso est dandum, nisi forsan dominus animalis damnum velit reparare. Inde in electione est domini, an propter pauperiem animal noxae dare, an laesionem reparare malit *k)*.

actio de pauperie in rem scripta differt ab actione de pastu.

§. 1607. Laeso igitur eiusque haeredibus de pauperie actio competit *l)*, qua, salua domini electione, principaliter animal, quod pauperiem fecit, persequitur. Quamobrem haec actio, quamuis non sit ex iure reali, contra quemuis tamen animalis possessorem institui potest, ideoque in *rem scripta* est *m)*, ad id tendens, vt aut damnum datum resarciatur, aut animal noxae detur *n)*. Equidem Romani ex subtilitate quadam hanc actionem in eo solum casu concedebant, si pauperies a quadrupede, et quidem contra naturam sui gene-

g) L. 293. *de reg. iur.* L. 1. §. 11. h. t. *h)* L. 1. §. 10. h. t. quod tamen hodie cessat in bestiis nobilioribus, quas dominus ex venationis regali sibi tribuit. *i)* L. 1. §. 11. h. t. liberatur tamen dominus, si animal, quod in congressu cum alterius animali fuit prouocatum, occidit, L. 1. §. 11. h. t. *k)* L. 6. §. 1. D. *de re iudicata*. *l)* L. 1. §. vlt. h. t. *m)* L. 8. 11. 12. *de noxal. action.* pr. Inst. h. t. Inde ICti dicunt *quod noxa caput sequatur*. *n)* L. 4. h. t.

generis esset facta. Hinc illa propter damnum a bipede, vel a quadrupede secundum naturam generis datum, non habebat locum. Vtilis tamen de pauperie actio ob damnum a bipede datum competebat, et propter damnum secundum naturam generis datum *de pastu* agendum erat *o)*. Hae tamen actiones in effectu ab actione de pauperie non differunt. Caeterum actio de pauperie non est extendenda ad damnum a furioso datum, quamuis aduersus negligentes in custodiendo detur actio ex lege Aquilia *p)*.

electio cessat.

§. 1608. Possessor animalis de pauperie conuentus electione gaudet, an damnum resarcire, aut animal noxae dare velit. Haec tamen electio cessat, 1) *si possessor dolo negat*, animal ad se pertinere, hoc enim casu in solidum ad damni resarcitionem tenetur *q)*, 2) *si liber homo*, quippe qui aestumationem non recipit, fuerit occisus, dum hoc casu animal simpliciter noxae dandum *r)*, 3) iure Saxonico *dominus*, *qui animal non statim dereliquit*, simulac pauperiem commissam resciuit, ad resarcitionem damni simpliciter tenetur *s)*. Hoc quoque iure *Wergeldum* est praestandum, si culpa accedente homo ab animali est occisus *t)*.

ius pignorandi.

§. 1609. Iure Germanico propter damnum ab animali datum laeso IVS PIGNORAN-

o) L. 14. §. vlt. *de praesc. verb.* PAVLL. *recept. sent.* I. §. 15. *p)* L. 14. *de officio praesidis.* L. 5. §. 2. *ad L. Aquiliam. q)* L. 1. §. 15. h. t. *r)* SCHILTER *exerc.* XIX. th. 11. sqq. GROENEWEGEN *de LL. abrogatis.* ad pr. Inst. h. t. *s)* IVS PROV. SAX. lib. II. art. 40. WERNHER P. IX. obser. 46. *t)* CARPZOV. *pr. crim* qu. 131. n. 22. Quantitas Wergeldi est pro masculo XX. pro foemina X. loachimicorum.

RANDI Pfändungs-Recht, competit. Quod est *facultas animal nocens apprehendendi, idque tamdiu retinendi, donec dominus damnum resarciat, simulque impensas et poenam quamdam*, den Pfand-Schilling, *imo, si ex mora intra XXIV. horas rem pignoratam non liberat, certam emendam pro quouis die soluat u)*. Necesse tamen est, vt legitime facta sit pignoratio. Fieri enim debet 1) in re praesenti *x)*, 2) in continenti, non post temporis interuallum *y)*, 3) pignus iudici est offerendum, sub cuius iurisdictione damnum est datum *z)*, et 4) si culpa hominis, aut a grege animalium damnum est datum, vlterius pignoratio, quam ad reparationem videtur satis, non est extendenda.

LIB. IX. TIT. III.

DE HIS, QVI EFFVDERINT VEL DE IECERINT.

§. 1610. 1611. 1612. 1613. 1614. 1615. De hoc titulo iam supra a §. 1549. usque ad §. 1554. tractatum est. *

u) HARPPRECHT vom Pfändungsrecht. THOMAE *de noxia animalium.* GOLER *pr. ex.* P. I. c. 3. *x)* IVS PROV. SAX. lib. II. artic. 28. et 40. *y)* LEYSER spec. 111. m. 7. *z)* FRIDER. III. *Reform. de* 1442. §. 2. 3. BERGER *oecon. iur.* p. 269.

* Damnum enim hoc modo datum tam ex vero, quam ex quasi delicto oriri potest.

LIB. IX. TIT. IV.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

noxalis actio quae, et quando competat.

§. 1616. *Damnum a ſeruo datum*, NOXA dicitur (§. 1604.) Huiusmodi noxa, vt reſarciatur, aequitas iubet. Quia vero ſerui nihil habebant proprii, domini vero, ex eorum facto illicito, de quo ipſe non participauerat, nulla erat obligatio ad reſarcitionem damni; lex concedebat laeſo ius exigendi, vt ſeruus in ſatisfactionem ſibi tradatur, ita tamen, vt domino liberum eſſet, reſarciendo damnum, ſibi ſeruum retinere. *Actio in hunc finem laeſo competens* NOXALIS dicitur *a*). Hac inſtituta dominus tenebatur ſeruum in ea cauſa, in qua tunc eſſet, exhibere. Quam in rem cautio noxalis praeſtabatur *b*).

vſus hodiernus.

§. 1617. Harum actionum hodie nullus eſt vſus. Nam ſerui conductitii ſunt liberi homines, et ex ſuis factis illicitis ipſi conueniuntur (§. 124.) nec noxae dari queunt. Dominus vero ex eorum factis non obligatur, niſi illorum doli vel culpae particeps fuerit, veluti mandando, aut non impediendo, cum impedire potuiſſet, et debuiſſet, aut malos homines ſcienter recipiendo *c*). Itidem homines proprii ipſi ex ſuis factis conueniuntur, vt vel damni aeſtumationem praeſtent, vel corio ſoluant *d*).

a) L. 1. D. h. t. *b*) Inde titulus: *Si ex noxali cauſa agatur*, *c*) L. 11. *de peric. et commodo rei vendit.* WERNHER P. VII. obſ. 61. CARPZOV. P. IV. C. XXVII. def. 14. *d*) POTGIESER lib. III. c. VII. STRYCK V. M. h. t. §. 3.

LIB. IV. TIT. XI.

NAVTAE, CAVPONES, STABVLARII, VT RECEPTA RESTITVANT.

nauta, caupo, ſtabularius quis?

§. 1618. NAVTA eſt, *qui nauigationi praeeſt*, et nil intereſt, ſiue nauem exerceat, ſiue exercitor ratis, vel lintrarius ſit *e)*. CAVPONES vero et ſtabularios accipere debemus, *qui cauponam vel ſtabulum exercent, inſtitoresque eorum f)*.

recepta reſtituere tenetur ex pacto tacito.

§. 1619. Nautae, caupones, ſtabularii eiusmodi ſunt profeſſionis, vt hoſpites eorumque res et pecora recipiant. RECIPERE hic denotat, *in ſe id ſuſcipere negotii*, vt *alterius res ad nos delatae ſaluae ſint*. Hinc quoque nautae, caupones, ſtabularii in ſe id recipiunt negotii, vt res peregrinantium in nauem, cauponam vel ſtabulum receptae ſaluae ſint. Non igitur errant, qui ſtatuunt, facto receptionis tacitam ineſſe conuentionem. Nautae enim, caupones et ſtabularii, dum ſuam exercent profeſſionem, ſecuritatem ipſo facto promittunt, quam per illationem rerum ſuarum intendunt peregrinantes. Habes igitur vtriusque conſenſum facto declaratum, qui conuentionem tacitam conſtituit, cui praetor aſſiſtit *g)* (§. 1054.). Alii praeſumtum conſenſum ſeu quaſi contractum *h)* ſubſtituunt.

damnum niſi mere caſuale ferunt.

§. 1620. Nautae, caupones, ſtabularii, vt recepta reſtituant, tacita obligantur conuentione. Huic conuentioni in vtilitatem et ſecuritatem iter facientium aſſiſtit praetor, qui nautas, caupones, ſtabularios ex facto receptio-

e) L. 1. §. 2. et 4. h. t. *f)* L. 1. §. 5. h. t. *g)* L. 1. pr. h. t. *h)* RICHTER *de actione in factum ex quaſi contractu receptionis.*

ceptionis obligatos voluit, vt saluas restituant res receptas, et damnum in iis datum, indistincte ferant *i*). Casuale solum damnum est exceptum, quod tamen non praesumitur, sed ab allegante probandum est. Parum quoque interest, siue gratis, siue pro mercede receperint *k*).

obligantur quoque ex facto praepositi ipsi eorumque haeredes.

§. 1621. Obligatio de receptis nascitur ex conuentione. Iam vero obligationes ex conuentione transeunt in haeredes (§. 1078.). E. quoque ex facto receptionis nautae, cauponis et stabularii haeredes tenentur *l*). Porro cum obligatio nascatur non solum ex proprio, sed quoque ex alterius facto, qui illud ex nostra voluntate suscepit (§. 1078.); satis patet, nautam, cauponem et stabularium non solum ex proprio receptionis facto, sed quoque ex eorum facto teneri, quorum opera vtitur in recipiendo *ll*).

obligatio nec pactum expressum requirit, nec ab ea recedere potest nauta.

§. 1622. Cum obligatio nautae, cauponis et stabularii ex facto receptionis oritur (§. 1620.), sequitur, expressa promissione, rem saluam fore, opus non esse *m*). Porro, cum a pacto vnus inuito altero recedere nequeat (§. 1018.), sequitur, recipientem, facta semel receptione, per protestationem, se teneri nolle, inuito altero haud liberari *n*). Inde quoque sola clauium traditio obligationem non extinguit *o*).

i) In fauorem peregrinantium, quos litium causa morari est nefas, praetor hoc constituit, ad magis infringendas fraudes nautarum, cauponum, stabulariorum, L. 1. §. 1. h. t. de quibus vide PERIZON. *ad Aelianum* lib. IV. c. 1. n. 1. h. t. GVNDLINGIANA P. XXXI. *k*) L. 1. §. 1. L. 3. §. 1. et L. 6 pr. h. t. *l*) L. 3. §. 4. h. t. *ll*) L. 1. §. 2. sqq h. t. *m*) L. 1. §. fin. h. t. *n*) L. 7. pr. h. t. *o*) STRVV *exerc.* VIII. th. 117. STRYCK *Vsu mod.* h. t. §. 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0187
DFG

de damno tenetur indistincte.

§. 1623. Nautae, caupones, stabularii de omni damno, quod in rebus in nauem, cauponam, stabulum illatis factum est, indistincte tenentur (§. 1620.). Hinc nil interest, an damnum datum sit culpa nautae, vel cauponis an non, siue ab ipso caupone et nauta, siue ab aliis *p*). De damno vero mere casuali non tenetur *q*).

etiamsi specialis rerum designatio non sit facta

§. 1624. Nautae, caupones et stabularii tenentur de omnibus rebus, quae illatae (§. 1620.), quamuis earum specialis designatio non fit facta *r*). Sic etiam de rebus cistae seu inuolucro inclusis respondere tenentur, modo probabile sit, viatorem huiusmodi res intulisse. Hoc enim posito, viator vel vector, alia deficiente probatione, ad iuramentum, quo quantitatem et qualitatem rei amissae indicat, recte admittitur *s*).

quinam non tenentur.

§. 1625. Ex receptionis facto tenentur, qui professionem nautae, cauponis et stabularii exercent (§. 1619.). Hinc non tenentur, qui extra professionem hospites recipiunt, imo nec ipse caupo, si non tanquam caupo recepit *ss*).

de receptis tenentur magistri postarum et aurigae publici.

§. 1626. Obligatio de receptis consensu nititur tacito (§. 1619.). Idem quoque adest in receptione, quae fit ab exercitoribus ratium, a lintrariis, a magistris postarum, et ab aurigis publicis. Inde quoque eadem obligatio locum inuenit intuitu exercitorum ratium, et lintrariorum *t*), imo illam quoque ad magistros postarum et aurigas publicos, non

p) L. 1. §. 2. et 8 h. t. *q*) L. 3. §. 1. h. t. *r*) L. 1. § 5. h. t. WERNHER P. VIII. obs. 320. *s*) arg. L. 1. §. 44. *depositi*. MASCARD *de probat.* concl. 832. §. 10 sqq. WERNHER P. VIII. obser. 323. *ss*) L. 3. §. 2. h. t. *t*) L. 1. §. h. t.

non vero priuatos *u)* extendit praxis *x)*. Iure vero Saxonico et Brandenburgico, quoad res poſtis vel curribus publicis commiſſas, deſignatio ſpecialis rerum inuolucro incluſarum requiritur. Si res per plures ſtationes transferendae amiſſae ſint, quaelibet ſtatio, quae receptionem confitetur, vel de ea conuinci poteſt, tenetur, niſi doceri queat, ſequentem ſtationem recepiſſe *y)*.

actio.

§. 1627. Vbi obligatio adeſt perfecta, ibi quoque locum habet actio (§. 1076.). Inde praetor ex receptione dat actionem *in factum de receptis*, quae competit propter damnum in rebus inuectis vel illatis factum, aduerſus nautam, cauponem, ſtabularium, eiusque haeredes, ad damnum reſarciendum. In caſu vero, quo ab ipſo nauta, caupone, ſtabulario vel eius domeſticis in rebus illatis factum eſt damnum, cum actione de receptis electiue concurrit actio furti, vel ex lege Aquilia, ſeu quaſi delicto *z)*, quae tamen non tranſit in haeredes.

u) WERNHER P. II. obſ. 463. *x)* STRYCK *de act. inueſt.* ſect. I. membr. 9. § 43. RICHTER deciſ. 141. n. 15. ſqq. LEYSER ſp. 66. m. 7. HARPRECHT *de officio magiſtri poſtarum in ſpecie quoad reſtitutionem pecuniae aliusque rei ſibi concreditae, ſed amiſſae.* *y)* LEYSER ſp. 66. m. 6. *z)* §. 3. Inſt. *de obligat. quae ex quaſi delicto naſcuntur.*

SECTIO III.
ACTIONES SEV IVDICIVM.
SVBSECTIO I.
IVDICIVM CIVILE.
LIB. V. TIT. I.
DE IVDICIIS ET VBI QVISQVE AGERE VEL CONVENIRI DEBEAT.

iudicii significatio.

§. 1628. Multiplicis significatus est vocabulum IVDICIVM. Nam praeter varios significatus philosophicos qui huius non sunt loci denotat 1) *processum*, 2) *locum, vbi* a personis, ad ius dicendum constitutis, *ius dicitur*, 3) *actionem*.

processus defin. eiusque essentialia.

§. 1629. PROCESSVS est *complexus actuum in cognitione et decisione causae controuersae se inuicem excipientium*. Processus igitur requirit 1) causam controuersam, 2) eius cognitionem, et 3) decisionem. Causa controuersa non est, nisi existat actor. Cognitio vero causae fieri nequit, nisi reus in ius vocatus audiatur, et quae in facto dubia sunt, probentur. Probationem absolutam sequitur sententia. Exinde quatuor se sistunt processus essentialia, 1) *actio*, 2) *responsio*, 3) *probatio*, 4) *sententia a)*. Ex hisce essentialibus in processu pleno nullum abesse potest (§. 1069.).

formalia sunt naturalia.

§. 1630. Essentialia processus ipsa recta suppeditat ratio, lex vero ciuilis determinat formam et modum expediendi actus processus essentiales. Et haecce forma ac modus

a

a) Citationem quoque alii ad essentialia referunt.

a lege ciuili determinatus regulariter quidem obseruari debet, sub poena nullitatis *b)*, ast ex speciali lege vel pacto interdum potest abesse, sicque ad naturalia pertinet (§. 1069.).

processus quotuplex.

§§ §. 1631. Modus et forma actus processus essentiales expediendi ad naturalia pertinet processus, ideoque vel ex partium conuentione, vel ex legis ciuilis dispositione potest abesse. Exinde variae nascuntur processus diuisiones. Nam modus et forma processus determinatur, vel *partium conuentione*, vel *lege*. Priori casu *conuentionalis*, posteriori *legalis* dicitur *processus*. Deinde lex modum et formam procedendi vel *mero iudicis arbitrio relinquit*, vel *non*. Illo casu *arbitrarius* seu *irregularis*, hoc vero *regularis* nascitur processus. In regulari processu vel *modus et forma a lege ciuili determinata exacte seruari debet*, vel *eius remissio in totum aut ex parte est facta*. Hoc casu *summarium*, illo *ordinarium* habemus processum. Ordinarius processus constituit regulam, ideoque regulariter in omnibus causis obtinet. Summarius vero per modum exceptionis in quibusdam solum casibus permittente lege locum habet *c)*. In ordinario processu omnia processus solennia requiruntur. In summario essentialia sufficiunt.

litis contestatio quid?

§§ §. 1632. Ad essentialia processus pertinet responsio (§. 1629). Quae, si *ad libellum a reo categorice fit*, dicitur *litis contestatio d)*.

Cum

b) L. 4. C. *de sentent. et interlot.* L. 6. C. *vnde vi.* c. 22. X. *de accusat.* c. 19. X. *de iudiciis.* *c)* Regulariter summarius processus locum habet in causis moram non ferentibus, vel vbi ex singulari personae vel causae fauore lex exceptionem a regula permittit. *d)* Apud Romanos litis contestatio fiebat, dum partes

Cum igitur litis cont. sit responsio ad libellum: sequitur, vt is, qui non respondet ad libellum, sed solum exceptiones peremtorias opponit, litem haud contestetur *e)*.

diuisiones.

§. 1633. Diuiditur litis contestatio I) in *explicitam* et *implicitam*. Illa fit *per responsionem distinctis verbis declaratam*. In hac vero *intentio rei per coniecturas elicitur f)*. II) *In generalem, quae generali contradictione absoluitur, et specialem, quando responsio fit distincte ad singula libelli capita*. III) *Solemnem, quae fit secundum praescriptam a legibus formam, et minus solemnem, quae fit neglecta forma a legibus praescripta*. Generalem et minus solemnem litis contestationem tolerat ius canonicum *g)*. Ast hodie *h)* specialis, et quidem in processu ordinario solemnis, in summario minus solemnis requiritur litis contestatio *i)*. IV) In *veram* et *fictam*. Haec in contumaciam pro facta habetur.

quomodo rite fiat.

§. 1634. Litis contestatio est responsio ad libellum. Ergo exceptiones non sunt immiscendae litis contestationi. Specialem vero L. C. leges eo exigunt fine, vt certo constet, quaenam libelli capita reus vel affirmet, vel neget, quaeque indigeant probatione vel non. Hinc 1) responsio ad ea solum libelli capita, quae facti, non ad iura allegata vel peti-

tes a praetore ad iudicem pedaneum ablegatæ præsentibus testibus sibi mediante stipulatione promitterent, se iudicium apud iudicem pedaneum cœptum continuare velle vsque ad finem, L. vn. C. *de litis cont.* et tali modo actor aeque ac reus litem contestatur. *e)* c. 2. *de litis contestatione in 6to*. *f)* c. 6. X. *de iudic.* c. vn. X. *de litis contest.* g) c. 6. X. *de iurament. calumniae*. *h) Rec. imp. nouiss.* §. 37. *i) Clem.* 2. de V. S.

petitum fieri debet *k)*, et quidem ita, vt 2) reus, quae in libello continentur, facta ad ſpeciales reducat propoſitiones, integrum habentes ſenſum, et 3) ad ſingulas propoſitiones reſpondeat, nec dubie nec ambigue, nec 4) captioſis vtatur coniunctionibus *l)*.

euentualis, affirmatiua, negatiua, et huius poena

§. 1635. Porro diuidunt litis conteſtationem in *puram* et *euentualem*. EVENTVALIS dicitur; *quae fit ea ſub conditione, ſi exceptiones dilatoriae vel litis ingreſſum impedientes fuerint remotae.* Porro, prout vel omnia libelli capita affirmantur aut negantur, vel non, L. C. *affirmatiua*, *negatiua*, et *mixta* dicitur. Pendet autem ab arbitrio rei, an affirmare, an negare velit. In quibusdam tamen caſibus temere negans iure Rom. incidit in poenas infitiationis *ll)*. Quae, quatenus in dupli praeſtatione conſiſtunt, hodie, niſi lege prouinciali ſint approbatae, non obtinent.

eſt quaſi contractus, eiusque effectus.

§. 1636. Facta litis conteſtatione, fingitur litigantium conſenſus de lite eo modo, quo cepta eſt, continuando, et iudicato ſoluendo (§. 1632.). Ex ficto conſenſu naſcitur quaſi contractus (§. 1072.), et inde quoque litis conteſtatio ad quaſi contractus refertur, et nouam inducit obligationem *m)*, ob quam per conſequentiam ipſius actionis indoles mutatur *n)*.

§. 1637.

k) CARPZOV. P. I. C X. def. 21. BRVNNEMANN *proc. c.* n. 11. *l)* MENCKEN *ad proceſſ.* diſp. 8. tit. 16 §. 2. *ll)* Exempla ſunt in §. 26. I. *de action.* L. fin. D. de R. V. L. 2. §. 1. *ap* L. *Aquiliam.* L. 1. §. 1. et 4. *depoſit.* AVTH. *contr.* C. *de non numerata pecun.* NOV. 18. c. 8. WERNHER diſſ. *de poena infitiationis.* *m)* L. 3. §. 11. *de peculio.* L. 29. D. *de nouat. et delegat.* *n)* L. 164. et 139. *de reg. iur.* iure Sax. poſt litem pure conteſtatam iuramenti delatio ſuper libello fieri nequit.

mutatio, declaratio, emendatio et renuntiatio libelli.

§. 1637. Quia per litis conteſtationem partes ſe obligant, ad litem eo modo, quo cepta eſt, continuandam; ſequitur, vt litis conteſtatione libelli impediatur MVTATIO, *quae eſt ſubſtitutio noui cuiusdam facti, libelli fundamentum concernentis.* Differt mutatio 1) *a declaratione libelli*, quippe quae *nil noui ſubſtituit, ſed ſolum, quod obſcurum eſt, explicat*, 2) *emendatione, quae in facto nil noui, quod libelli fundamentum concernit, ſubſtituit*, ſed *ſolum, quod minus recte expreſſum eſt in libello, indicat.* Emendatio et declaratio poſt litem conteſtatam fieri poteſt, minime vero mutatio. Cum enim nouum libelli factum nouam deſideret litis conteſtationem, ſemel vero rite facta litis conteſtatione, noua in eodem proceſſu exigi, ſicque mutatio fieri nequit *o)*. Locum tamen habet libelli *renuntiatio* poſt litem conteſtatam. Qua facta, et reſtitutis expenſis, nouus exhiberi poteſt libellus.

proceſſus requirit actorem, reum, iudicem, et huius requiſita

§. 1638. In omni autem proceſſu et iudex et perſonae litigantes principaliter tales ſunt *actor* et *reus*. ACTOR dicitur *is, qui poſtulat a iudice, vt alterum cogat, quo magis ſibi ius tribuat competens.* REVS vocatur, *quem iudex ex actoris intentione cogere debet p)*. IVDEX eſt *perſona publica auctoritate conſtituta, vt ius dicat cum effectu.* Quo magis vero aliquis ius dicere queat, gaudere debet 1) *habilitate*, quae in eo conſiſtit, vt de facto cognoſcere, illudque ſecundum iura diiudicare queat, 2) *voluntate* ius recte dicendi. Is igitur, de quo con-

o) L. 25. *de R. I.* L. 3. C. *de edendo.* STRYCK *Vſu mod.* tit. *de edendo.* §. 20. WERNHER P. I. obſ. 141. Caeterum cum mutatione libelli non confundenda eſt mutatio in modo probandi. p) c. 5. X. *de exceptionibus.*

constat, vel saltim praesumitur, quod ius recte dicendi voluntatem non habeat, iudicare nequit *q)*.

qui iudicare nequeunt.

§. 1639. Qui de facto cognoscere illudque secundum iura decidere nequit, iudicis quoque officium gerere haud potest. Hinc furiosi, impuberes, surdi, muti, coeci, iurium et processus imperiti, *naturaliter*, foeminae vero, minores XVIII. annis et infames *ciuiliter* inhabiles sunt *r)*, quod tamen aliter se habet in iurisdictione patrimoniali.

iudex in propria causa.

§. 1640. Iudex esse nequit, de quo praesumitur, quod voluntatem ius recte dicendi non habeat (§. 1638.). Haec vero voluntas praesumi nequit in eo, qui ex affectu agere praesumitur. Et inde regulariter nemo iudex esse potest 1) in propria causa *s)*, ex qua directo commodum sperat, incommodum metuit, 2) nec is, qui erga litigantem eiusque causam singularem affectionem vel singulare odium gerere praesumi potest *ff)*.

iudex suspectus, qui recusatur,

§. 1641. *Iudex de quo praesumitur, quod voluntatem ius recte dicendi non habeat*, dicitur SVSPECTVS, et potest recusari *t)*, quamuis sit integrum collegium, modo suspicionis causa

q) L. 12. §. 2. h. t. L. 137. *de V. O.* L. 18. *iudic. solui. r)* L. 12. §. 2. h. t. L. 57. pr. *de re iudicata.* Nov. 82. pr. *s)* L. 10. D. *de iurisd.* L. 17 h. t. L. vn. C. *ne quis in sua caussa*, adde DE KETTELHOT disp. *de iudice in propria causa. ff)* c. 36. X. *de appellat.* Inde, qui patrocinium in causa praestitit, iudex esse nequit, L. 6. C. *de postulando.* alia exempla exhibet ZIEGLER dicast. concl. 13. Minime vero prohibetur pater in causa, cui filius patrocinatur, iudex esse, LEYSER sp. 67. m. 1. *t)* c. 10. X. *de foro competente*, c. 5. X. *de exception.* L. 16. et 18. C. h. t. SCHVLTING *de recusatione iudicis* in opusc. ab VHLIO editis T. I.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0195
DFG

causa in omnia cadat membra. Si quaedam membra sunt suspecta, haec solum recusari, reliqui vero ius adhuc dicere possunt *u)*. Exceptio suspecti iudicis, quia in facto nititur, indiget probatione *x)*. Quae tamen difficilis aeque ac odiosa est, ideoque in eius locum ius canonicum substituit iuramentum *perhorrescentiae y)*, *quo quis iurat, se valde timere, quod a iudice aequam et incorruptam iustitiae administrationem impetrare queat.* Admittitur ad hoc iuramentum actor aeque ac reus, eiusque praestatio surrogatum potius deficientis, quam supplementum insufficientis probationis est, minime vero liberat ab allegatione causae suspicionis *z)*. Caeterum super exceptione iudicis suspecti vel ipse superior, vel datus ab eo commissarius iudicat. Et oppositio huius exceptionis, modo suspicionis causa probari vel iuramento perhorrescentiae confirmari possit, iniuriam haud infert.

competens quis?

§. 1642. Potissimum vero in iudice requiritur, vt sit competens. COMPETENS dicitur, *cui reus in causa, de qua agitur, subest.* Hinc competentia aestumatur ex persona rei aeque ac causae qualitate. Cum enim actor reum per iudicem cogere vult (§. 1637.); ille talem adire debet iudicem, qui reum in causa, de qua agitur, cogere potest, id est, eum, cui res subest. Inde regula: actor sequi tenetur forum rei *a)*, recte se habet.

u) MEVIVS P. I. dec. 194. CARPZOV. lib. 2. resp. 11. n. 21. LEYSER sp. 67. m. 5. *sq.* diss. SVNDERMAHLER *de formato principis dicasterio non recusabili.* *x)* L. 9. pr. D. *de liber. causa.* *y)* Sedes huius iuram. est in c. 11. §. 1. *de rescriptis* in 6to. De eius vsu in praxi vide Io. Pet. CARRACH *opuscula de non vsu iuramenti perhorrescentiae.* *z)* LYNCKER dec. 1160. *a)* L. 2. C. *de iurisd. omn. iud.*

L.

§. 1643. Actor sequitur forum rei. FORVM est *locus ad exercendas et dirimendas lites destinatus b).* Illud *vel ex dispositione iuris communis, vel per modum exemtionis a foro communi reo est concessum.* HOC PRIVILEGIATVM, illud COMMVNE vocatur. Forum commune rursus duplicis est generis, *generale* nempe et *speciale.* GENERALE est, *quod ad omnes causas cuiuscunque generis se extendit.* Speciale vero dicitur, *in quo reus ex speciali solum causa potest conueniri.* forum quid et quotuplex?

§. 1644. Forum commune generale est vel *originis*, vel *domicilii.* Illud est, quod *quis a natiuitate habet.* Natus aliquis censetur in eo loco, vbi tempore natiuitatis pater forum agnouit *b).* Iam vero omnes imperii Rom. subditi ex eo tempore, quo iura ciuitatis per Antoninum sunt communicata (§. 125.), duplex habebant originis forum, Romae nempe, tanquam ciues Romani, et in loco natiuitatis. Ibi *generale, quod omnes sub imperio romano viuentes Romae habebant d),* hic *speciale, quod quis in loco, vbi pater tempore natiuitatis ciuium numero erat adscriptus*, locum habebat. Hodie forum originis generale, quia communis ciuitas, Roma nempe, deficit, plane cessat. Speciale vero forum originis, constituto alibi domicilio, cessat *e).* forum generale originis.

§. 1645. Alterum forum generale est forum DOMICILII, quod quis in eo loco habet, domicilium quomodo constituatur.

L. vlt. C. *vbi in rem actio.* Exceptiones ab hac regula vide in disp. G. I. SALZMANNI *de actore forum rei haud semper sequente.* *b)* c. 10. X. *de V. S.* *c)* L. pen. et vlt. C. *de municipibus.* *d)* L. 33. *ad municipalem.* *e)* STRYCK *V. M.* h. t. §. 19. SCHILTER *exerc.* 13. §. 22. WERNHER P. VIII. obs. 285.

bet, vbi animo ſedem fixam ibi habendi habitat *f)*. Vt igitur aliquis forum domicilii in loco quodam ſortiatur, requiritur, 1) vt quis actu loco quodam habitet, et 2) animus adſit, ibi ſedem fixam habendi. Inde, nec ſola habitatio, nec domus poſſeſſio, nec ſolus animus in loco ſedem habendi fixam, domicilium conſtituit, ſed animus et habitatio coniunctim adeſſe debent *ff)*. Et cum impoſſibile haud ſit, aliquem duobus in locis, animo ſedem fixam habendi habitare, ſatis patet, fieri poſſe, vt quis duobus in locis forum habeat domicilii *g)*. *Qui vero nullibi habet domicilium* VAGABVNDVS dicitur *h)*, et conueniri poteſt, vbi deprehenditur.

expreſſe vel tacite.

§. 1646. Ad domicilii conſtitutionem requiritur animus in loco quodam ſedem fixam habendi. Declaratur hicce animus vel *expreſſe*, vel *tacite*. Expreſſa declaratio fit, ſi quis numero ciuium ſe adſcribi curat. Tacita vero declaratio fit facto, quale eſt, ſi quis in loco quodam habitare, et res ſuas ibi habere incipit, nec conſtat de particulari quodam, quod in loco curandum habet, negotio *i)*. Qui enim particulare monſtrare poteſt negotium, cuius expediendi cauſa acceſſit, domicilium haud conſtituit. Ex ſola igitur diuturnitate temporis, ſeu translatione maximae partis bonorum non ſtatim colligi poteſt domicilii conſtitutio *k)*. Qui tamen in loco quodam per aliquod tempus com-

f) L. 7. C. *de incolis.* STRVV *de iure domicilii.* LAVTERBACH *de domicilio.* *ff)* L. 17. §. 13. *ad municip.* L. 7. C. *de incolis.* *g)* L. 17. *de ſenator.* L. 6. §. 2. L. 27. §. 2. *ad municip.* *h)* L. 27. §. 2. *ad municip.* L. 2. C. *vbi quisque de curiali.* *i)* L. 2. C. *vbi ſenat.* L. 17. §. 13. et L. 27. §. 1. *ad municipalem.* *l)* STRVV *exerc.* IX. th. 25. MEVIVS P. V. dec. 162.

commoratus est, et causam praesentiae docere nequit, compelli potest ad migrandum, aut ius ciuitatis adquirendum *l)*.

domicilii mutatio quibusdam prohibita, et obligatio ad censum emigrationis.

§. 1647. Constitutio domicilii pendet a libera cuiuslibet voluntate. Qui vero voluntaiem vel naturaliter non habent, vel moraliter habere non possunt, nec domicilium constituere, nec constitutum mutare queunt. Hinc 1) furiosi, infantes, sibi constituere nequeunt domicilium, 2) vxor mariti sequitur domicilium, illudque etiam post mariti mortem, donec illud mutauerit, retinet *ll)*, 3) prohiberi quoque potest mutatio domicilii, quae fit ex causa seditionis, nec 4) homines proprii domicilium sibi pro arbitrio constituunt. Ex religionis tamen causa dominus compelli potest, vt eos manumittat *m)*. Qui vero domicilium mutant, ex consuetudine plerumque locorum soluere tenentur censum emigrationis, Abzugs-Geld *n)*. Qui census ex statu seruili originem traxit, et deinde consuetudine, quae tamen probanda est, vlterius extensus est.

in illo omnes actiones institui queunt, et quatenus haeredes illud agnoscere tenentur.

§. 1648. Quia forum domicilii est generale, sequitur, vt in eo institui possint omnes actiones personales ac reales *o)*, nisi quod quaedam, quae in hoc foro commode expediri

l) GAIL. lib. II. obs. 35. n. 8. STRVV *exerc.* 50. th. 52. HORN *classe* 1. resp. 9. *ll)* L. 5. D. *de ritu nuptiar.* L. 38. §. 3. *ad munic.* L. 65. h. t. Maritus tamen vxoris forum non sequitur, etsi in domum eius transeat, sich einfreyet. STRVV *exerc.* 9. th. 28. LAVTERBACH *de domicilio* th. 34. *m)* *Instr. pacis Osnabr.* art. V. §. 37. *n)* de quo vide *Repertor. iuris Germ. priuati* v. Abzugs-Geld. SCHWANMANN *de iure detractionis et emigrationis.* RICHTER *ius detractionis.* SCHROETER *de gabella detractionis et emigrationis.* *o)* L. 2. C. *de iurisd.* L. 3. C. *vbi in rem.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0199
DFG

nequeunt, speciatim sint exceptae *p*). Imo et haeredes in foro defuncti respondere tenentur, si a defuncto iam acceptum sit iudicium, aut haereditas in foro domicilii adhuc indiuisa existat *q*). Alias haeres in foro defuncti stare haud tenetur. Sicuti enim ipse defunctus domicilium pro arbitrio mutare potuit; ita multo magis haeres alibi habens domicilium ibi conueniendus est.

forum speciale 1) continentiae causarum. 2) contractus.

§. 1649.[10] Transimus ad forum speciale commune. Tale est 1) *forum continentiae causarum*, de quo inferius. 2) *Forum contractus, quod reus in illo loco, vbi ad contractus implementum obligatus est, fortitur.* Sicuti enim reus contractum in loco, quo eius implementum praestare se obligauit, adimplere perfecte est obligatus; ita quoque dubitari nequit, quin actor implementum in loco, quo vi contractus illud fieri debet, exigere, sicque coram eiusdem loci iudice ex contractu reum conuenire queat. Et quidem locus, vbi implementum fieri debet, in contractu determinatus est, vel non. Priori casu contractus forum est in loco, vbi implementum facere est conuentum *r*). Posteriori vero casu, contrahentes in illum consensisse praesumuntur locum, vbi contractus perfectionem est consequutus *s*), nisi forsan peregrinanti, vel praeternauiganti, fuerit credi-

p) Sic 1) administrator in loco, vbi administrauit, rationes reddere debet, L. 1. C. *vbi de ration.* 2) possessorium summariissimum, praesertim si de haereditate agitur, in foro rei sitae tractandum, L. vn. C. *vbi de haereditate.* *q*) L. 19. pr. et L. 34. D. h. t. *r*) L. 3. C. *de reb. auct. iud. poss.* L. 19. §. 2. h. t. L. 21. D. *de obligat. et action.* Inde quoque in foro contractus ad eius rescissionem agi, et restitutio peti nequit in integrum. *s*) BRVNNEMANN ad L. 20. D. *de oblig. et act.* CARPZOV. P. III. decis. 216.

creditum. Hoc enim casu ob fidem habitam, locus domicilii solutioni destinatus praesumitur *ss*). Secus se res habet, si creditor aduenae, vel nauigantis fidem non fuerit secutus, sed solutionem statim fieri voluerit, quo casu aduena in loco contractus detineri, et ad solutionem compelli potest *t*). Iure canonico vero, vt forum contractus effectum habeat, requiritur, vt reus in foro contractus inueniatur, vel ibi bona possideat *u*).

3) delicti commissi.

§. 1650.[7] Tertium forum speciale est forum *delicti*, quod quis ex delicto agnoscere tenetur. Et quidem in foro delicti non solum ad poenam, sed quoque ad satisfactionem priuatam delinquens conueniri potest *x*). Duplex autem est hoc forum, *delicti* nempe *commissi*, et *deprehensionis*. Forum delicti commissi penes eum iudicem est, in cuius districtu iurisdictionis delictum est commissum. Sicuti vero delictum adest, non solum si illud consumatum, sed quoque si attentatum est, ita quoque forum delicti est, tum in loco, vbi delictum inchoatum, tum in eo, quo consumatum est *y*). Si igitur in alio loco delictum inchoatum, in alio consummatum est, vterque iudex, salua praeuentione, concurrit *z*). Idem obtinet, si delictum in confinio est commissum, nisi forsan circumstantiae exigant, vt, quae ad eruendum delicti corpus faciunt, communi nomine expediantur *tz*).

ss) L. 19. §. 2. h. t. Nov. 69. c. 1. STRVBEN R. B. P. II. 27. MEVIVS *de arrestis* c. 12. *t*) BARDILI *de foro contr.* cap. IV. n. 29. *u*) c. 1. §. 3. *de foro competente* in 6to. Reus vero in foro contractus inuenitur, si ibi ad tempus commoratur. *x*) Nou. 69. c. 1. *y*) L. 1. C. *ubi de criminibus.* L. 28. §. 15. *de poenis.* WERNHER P. VIII. obs. 380. *z*) DE CRANER *obseru. iur. vniuersi* T. I. obs. 311. *tz*) CARPZOV. *prax. rerum crim.* qu. 110. n. 37.

deprehensionis.

§. 1651. *Forum deprehensionis* est *in eo loco, vbi delinquens praesens est.* Iure Romano deprehensus ad forum delicti commissi remittendus est *a)*. Hodie vero distinguendum videtur, an iudex delicti commissi et deprehensionis vnius territorii domino subsint, an non. Priori casu, nisi consuetudine aliter sit receptum, principia iuris Rom. valent, sicque delinquens remittendus ad forum delicti commissi. Posteriori vero casu, quia iudici delicti commissi in alterius territorio nullum ius competit, remissio humanitatis, non necessitatis est, nisi forsan mutua adsint pacta, vel inquisitione a iudice delicti formata, delinquens aufugerit *b)*.

4) rei sitae.

§. 1652. Quartum forum speciale est *rei sitae*, quod est *in eo loco, vbi res, in quam agimus, sita est.* Dantur enim actiones, quibus non in personam agimus, sed ipsam rem persequimur. Tales sunt actiones reales, actiones in rem scriptae et remedia possessoria. Huiusmodi actiones institui possunt in foro, vbi res, quam persequimur, sita est *c)*, nihilque interest siue res sit mobilis *d)*, siue immobilis, siue singularis, siue vniuersitas *e)*. Et quilibet rei possessor, quia rei inhaeret actio, in hoc foro respondere tenetur, licet alibi domicilium, aut forum priuilegiatum habeat *f)*. Minime vero in foro rei sitae institui queunt actiones mere personales, nisi forsan in territorio quodam plenus obtineat Land-

a) L. 7. §. 4. et L. vlt. *de accusat.* Nov. 69. c. 1. Nov. 134. c. 5. *b)* Leyser sp. 74. m. 7. Carpzov *pr. crim.* qu. 110. n. 54. et 64. Wernher P. II. obs. 373. *c)* L. fin. C. *vbi in rem actio.* L. 38. D. h. t. *d)* L. 66. f. *ad SCt. Trebell.* L. vn. C. *vbi de haered. e)* L. 3. C. *vbi in rem actio. f)* Berger *El. D. for.* tit. IV. obs. 8. Mevius P. IV. obs. 74.

Landsassiatus, quippe qui in eo consistit, *vt quilibet praediorum possessor pro subdito habeatur* g).

§. 1653. *Quintum* forum speciale est fo- 5) arresti.
rum ARRESTI, quod est in eo loco, vbi *persona, vel eius bona, iudiciali auctoritate eo detinentur fine, vt firmetur iurisdictio.* Fieri enim potest, vt iudicis cuiusdam iurisdictio quidem fundata, ast metuendum sit, iudicium fuga rei, seu alio modo fore eluforium. Quod ne fiat iudex reum, vel eius bona arresto detinere, sicque eum cogere potest, vt in iudicio se sistat, et iudicatum soluat. Vt vero arrestum sit legitimum, adesse debet periculum. Hoc cessante, illud non habet locum *h*). Recte igitur arrestum decernitur, 1) si reus, in foro contractus, conuentus, absens, vel de fuga suspectus est, 2) si reus vagabundus est, 3) si actori ius in re arresto detinenda competit, reus vero eam extra iurisdictionem iudicis transferre velit, 4) si subditi coram iudice rei iustitiae administrationem obtinere haud potuerunt *i*). Ab arresto communi differt SAXONICVM, *quod iudex creditori in bonis obaerati debitoris ad effectum ius pignoris consequendi tribuit.*

§. 1654. *Sexto* forum speciale aliquis for- 6) gestae administrationis.
titur ob *gestam administrationem.* Hic vero distinguendum est, an alicui administratio a magistratu quodam fuerit commissa, an non. Priori casu administrator, qua vicarius magistratus coram magistratu, qui commisit admi-

g) MAIER *de foro rei sitae.* HOMBERGK *de foro rei sitae eiusque amplitudine* b) Spectat huc *Constitutio imperii de arrestis in Rec. imp.* de anno 1594. §. 81. sqq. i) *Repertor. iuris priuati* rubr. *Arrest.* MEVIVS P. I. dec. 6. STRYCK *Vsu mod.* h. t. §. 32. WERNHER P. III. obs. 199. HOLLAND *de arrestis.* MEVIVS *de arrestis.* c. 6.

niſtrationem, reſpondere tenetur *k*). Poſteriori vero caſu, ſub eo iudice, vbi quis adminiſtrauit, forum eſt adminiſtrationis *l*). Probant leges hocce forum, quia in loco adminiſtrationis inſtructio ſufficiens, et nota teſtimonia, et veriſſima poſſunt documenta praeſtari. Inde ne quidem reus ex geſta adminiſtratione in alio foro reſpondere inuitus obligatur *m*).

foro priuilegiato gaudent 1) miſerabiles perſonae.

§. 1655.[22] A foro communi tranſimus ad priuilegiatum (§. 1643.). Tale competit *miſerabilibus perſonis*, quae ſiue actoris, ſiue rei perſonam ſuſtineant, omiſſa prima inſtantia, ſtatim ad ipſum imperantem, vel ſuprema eius tribunalia, ſuas deferre queunt cauſas, licet nulla adſit iudicem inferiorem recuſandi cauſa *n*). Sicuti vero priuilegia extenſiuam interpretationem haud admittunt; ita quoque priuilegium fori miſerabilibus conceſſum perſonis, iis ſolum competit, qui in lege ſunt nominati, quales ſunt diuturno morbo fatigati, debiles, pupilli, viduae, aliique fortunae iniuria miſerabiles. Ad virgines nequit extendi hoc priuilegium *o*). Porro, cum illud in fauorem ſit introductum, illi quoque poteſt renuntiari, expreſſe aeque, ac tacite, per litis conteſtationem absque proteſtatione coram inferiore iudice factam *p*) (§. 1636.).

2) clerici.

§. 1656.[23] Foro priuilegiato gaudent *clerici*, quiue his annumerantur, cum ſua familia. Hi enim in perſonalibus, non realibus, iudi-

k) *Ord. pol.* de 1577. tit. 32. *l*) L. 1. C. *vbi de ratiocin.* *m*) L. 2. C. eod. L. 19. §. 1. et L. 36. §. 1. h.t. L. 54. §. 1. *de procurator.* LEYSER ſpec. 73. m. 9. CARPZOV. lib. II. reſp. 33. *n*) Fundamentum huius priuilegii eſt L. vn. C. *quando imper. inter pupillos.* *o*) SCHWEDER *de priuilegio miſerab. perſon.* STRYCK *vſu mod.* h. t. §. 31. *p*) BERGER *E. D. F.* P. II. p. 1750. BEYER *delin.* D. h. t. poſ. 126. e.

iudici subsunt ecclesiastico; nisi forsan delicto quodam grauiore indignos se reddiderint priuilegio; quo casu clericus plerumque praeuia degradatione iudici traditur saeculari. Quoad delicta leuiora vel in officio commissa, consistorium cognoscit *q)*. Clericorum serui mercenarii regulariter forum priuilegiatum dominorum non habent *r)*.

§. 1657. Forum priuilegiatum habent *professores et ciues academici*. Qui in causis ciuilibus et delictis leuioribus magistratui subsunt academico *s)*. Huic quoque in causis criminalibus prima cognitio, minime vero ipsa iurisdictio superior competit, nisi singulari priuilegio illa sit concessa. 3) academici.

§. 1658. Forum priuilegiatum quoque competit *militibus*, qui proprium habent iudicem militarem, in ciuilibus causis *t)*. Est autem iurisdictio in legione penes tribunum dem Obristen. *Auditor* vero iudicii militaris actuarius est, et in quibusdam causis mandatam exercet iurisdictionem *u)*. Communia militum delicta iure communi a iudice quoque ordinario puniri queunt *x)*. In plerisque tamen prouinciis forum militare valde est extensum, ita, vt omnes militum causae, etiam ecclesiasticae, coram iudice militari sint tractandae. 4) milites.

q) Auth. *Clericus quoque in lite*. C. *de episcopis et cler.* Auth. *statuimus*. C. eodem. c. 6. X. *de foro competente*. c. 4. 8. 10. X. *de iudiciis*. BOEHMER *iur. eccles. prot.* lib. V. tit. 27. §. 115. CARPZOV. *iurispr. eccl.* lib. III. def 5. SCHRADER *de causis fori eccles.* *r)* WERNHER P. IV. obs. 12. LVDOVICI *proc. consist.* cap. 5. §. 4. *s)* Auth. *habita*. C. *ne filius pro patre*. LEYSER sp. 77. m. 1. WERNHER P. I. obs. 206. *t)* L. pen. C. *de iurisdict.* *u)* LEYSER sp. 75. m. 1. 2. 3. 4. *x)* L. 2. pr. *de re milit.* LEYSER sp. 75. m. 8. 9. 10.

y) ministri principis.

§ 1659. Fori priuilegium habent *ministri principum*. Hi enim aut personae principis famulitium, aut reipublicae sua praestant ministeria. Hi summorum principis tribunalium iurisdictioni subsunt *y)*. Illi vero iudicem habent Mareschallum. Cuius tamen iurisdictio non vbique iisdem circumscripta est limitibus, et plerumque solum spectat causas ministerium concernentes, causas summarie tractandas, et delicta leuiora *z)*.

assessores iudicis.

§. 1660. Porro iurisdictio vel soli iudici est commissa, vel integro collegio. Hoc casu ille, qui praeest collegio, simul cum suis assessoribus, exercet iurisdictionem, omniaque secundum votorum pluralitatem expedire debet, et plerumque, si paria sunt, decisiuo gaudet voto. Si vero vni iurisdictio est commissa, illi ad fidem iudicio conciliandam, vel tantum solemnitatis causa scabini adsunt, qui iurisdictionem haud participant *a)*.

actuarius.

§. 1661. Ad conscribenda acta iudex adhibet actuarium, qui est persona fide digna, et iuramenti vinculo adstricta, vt, quae in iudicio dicta et peracta sunt, consignet, et consignata adseruet. Quae ab actuario in officio conscripta sunt, plenam habent fidem, donec contrarium probetur.

quinam stare queant in iudicio.

§. 1662. Litigantes ius suum iudicis decisioni submittunt, sicque de obiecto litis quodammodo disponunt. Qui igitur de obiecto, super quo lis est, vel plane non, vel non solus disponere potest, in iudicio quoque vel plane non, vel non solus stare potest. Hinc personam in iudicio standi plane non habent

ser-

y) STRYCK *de foro ministrorum principis. Rep. iur. priu.* v. Hofbediente. *z)* KÜHN *de iurisdictione mareschallorum. a)* c. 11. X. *de probation.*

ſerui, proſcripti, infantes, furioſi, mente capti b). Soli vero agere nequeunt *pupilli, minores, prodigi c)*, et ex ſpeciali lege, e. gr. in Saxonia, *mulieres*, qui quaeue tutoris auctoritate, vel curatoris conſenſu indigent. Porro quoque *filiifamilias* intuitu peculii profectitii ſeu aduentitii ſine conſenſu patris agere non poſſunt *d)*. Minime vero prohibentur filiifam. ſoli in iudicio agere, ſi de peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi diſceptatur *e)* (§. 157.).

quatenus de iure tertii liceat agere

§. 1663.[20] Qui de obiecto, ſuper quo lis eſt, diſponere non poſſunt, ſtare nequeunt in iudicio. Iam vero de re aliena ſine domini voluntate diſponere non licet (§. 1068.). E. quoque de re tertii in iudicio agere non licet; niſi vel ex voluntate principalis hoc fiat, vel a lege ſeu iudice alicui hoc demandatum ſit, vt tertii negotia defendat. Porro quoque tertius ex tertii facto conueniri nequit, niſi forſan cum tertio vna ſit perſona, aut pro tertio ſe obligauerit, aut negotium ex eius voluntate vera vel praeſumta a tertio ſit geſtum (§. 1029.).

interuentio.

§. 1664.[21] Praeter actorem et reum tertia interdum perſona alienae ſe immiſcet liti, et quidem vel ſponte, vel praeuia denuntiatione litis. *Qui ſponte ſe immiſcet liti alienae*, INTERVENIENS, et *actus, quo quis alienae liti ſponte ſe immiſcet*, INTERVENTIO, dicitur. Quia vero alienis negotiis, ſicque liti alienae, inuitis principalibus, nemo ſe immiſcere poteſt, niſi demonſtret, ſibi ob proprium intereſſe ius eſſe; ſatis patet, interuentionem

b) L. 5. *de R. I.* *c)* L. 1. 2. C. *qui legitim. perſonam ſtandi.* Exceptum videtur poſſeſſorium momentaneum, L. 3. C. eodem. *d)* L. 13. §. 1. h. t. L. vlt. C. *de bonis, quae liberis.* *e)* L. 4. h. t.

nem requirere demonstrationem praeuiam, interuenientis interesse, et quidem vel principaliter, vel accessorie. Hoc respectu interuentio diuiditur in PRINCIPALEM, *qua quis propter interesse proprium a litigantium interesse separatum interuenit f)*, et ACCESSORIAM, *qua quis alienae accedit liti ea intentione, vt vni ex litigantibus assistat, cum sibi ob ius quoddam commune interfit, eum in lite obtinere g)*. Principaliter interueniens nec cum actore, nec cum reo causam facit communem, sed suum interesse separatum persequitur, et inde, quousque processus plene nondum est finitus, interuenire potest *e)*. Accessoria vero interuentio, quia interueniens vni ex litigantibus solum assistit, tamdiu locum habet, quamdiu assistentia adhuc potest prodesse *i)*.

nemo ad agendum potest cogi, et exceptiones ab hac regula.

§. 1665. Agere est ius suum persequi in iudicio. Hinc nemo ad agendum potest compelli *k)*, nisi forsan 1) ex contractu *l)*, vel vi officii *m)* sit obligatus ad iura tertii persequenda, aut 2) ad agendum prouocatus, ius suum amittere nolit. Spectant huc 1) citationes edictales, quibus omnes sub poena amittendi iuris prouocantur ad iura sua deducenda, 2) prouocationes ex *lege diffamari* et ex *lege si contendat*.

§. 1666.

f) L. 31. §. 1. *depositi*. L. 34. *soluto matrimonio*. *g)* NOV. 112. c. 1. c. 38. X. *de testibus*. *h)* BERGER P. I. resp. 145. WERNHER P. III. obs. 179. P. VII. obs. 176. *i)* BRVNNEMANNI, STRAVCHII, HAHNII dissertationes *de interuentione*. *k)* L. vn. C. *vt nemo inuitus agere*. *l)* exemplo sit L. 2. pr. §. 2. *ad L. Rhod. de iactu*. L. 9. D. *ad SCtum Silan*. *m)* Sic e.gr. tutores, curatores, procuratores fisci agere obligantur.

§. 1666. PROVOCATIO EX LEGE DIFFAMARI est *remedium iuris, vi cuius ad agendum prouocatur is, qui sibi aduersus prouocantem, vel in eius re ius esse iactauit, ad id, vt, sub poena perpetui silentii ius, de quo iactauit, probet.* PROVOCATIO EX LEGE SI CONTENDAT *n)* est *remedium iuris, quo quis aduersarium in agendo cunctantem prouocat, vt replicam contra exceptionem peremtoriam sibi a prouocante opponendam proponat.* Vtraque prouocatio in eo differt, 1) quod in prouocatione ex lege diffamari prouocans neget, prouocato ius vel actionem competere; ast in prouocatione ex lege si contendat, prouocans concedit, prouocato competere actionem, quam tamen per exceptionem vult destruere, 2) in prouocatione ex lege *diffamari* prouocatus ad agendum, in prouocatione ex *L. si contendat* ad replicandum debet compelli. 3) Illa prouocatio, summariam diffamationis demonstrationem; haec nullam antecedentem probationem requirit. 4) Illa contumaci prouocato perpetuum silentium; haec perpetuitatem et firmitatem exceptionis minatur. In eo vero vtraque prouocatio conuenit, quod prouocans intuitu causae principalis sit reus, cuius forum actor sequi tenetur, et inde vtraque prouocatio institui potest in foro prouocantis. Deinde cum finis vtriusque prouocationis sit, vt aduersarius ad agendum compellatur; sequi-

prouocatio ex L. diffamari et ex L. si contendat.

n) Prouocationis ex lege *diffamari* fundamentum quaerunt in L. 5. C. *de ingen. manumiss.* Prouocationem ex lege *si contendat* ex L. 28. D. *de fideiussoribus* deducunt. Ast frustra. ANT. MATTHEI coll. Cod. disp. XIV. NOODT ad h. t. p. 127. Fori potius vsu introductae sunt hae prouocationes, quarum vsum restringit Ordin. Camer. P. II. tit. 25.

sequitur, vt processus prouocatorius sit praeparatorius, et finem habeat, simulac prouocatus actionem, intuitu cuius prouocatio est facta, instituit. Inde quoque prouocatio ex lege diffamari contra eum locum non habet, qui iudici contra alterum aliquid denuntiauit, vel ius, quod habere credit, iam apud iudicem proposuit *o)*.

ordo causarum tractandarum.

§. 1667. Caeterum fieri potest, vt interdum plures causae simul in iudicio proponantur. Hae, si eius sunt naturae, vt simul cognosci nequeant, vna post alteram est tractanda. Et quidem 1) causa praeiudicialis, a cuius decisione altera pendet, prius est finienda *p)*, 2) causa praeparatoria ante principalem est cognoscenda *q)*, 3) si vtraque causa ita comparata, vt perinde sit, quamnam prius expedias, causa criminalis, ceu praestantior, prior est excutienda, quam ciuilis *r)*.

LIB. I. TIT. IX.

DE SENATORIBVS.

origo magistratuum eorumque varia genera.

§. 1668. Securitas, cuius obtinendae causa homines statum ingressi sunt ciuilem, vix obtineri posset, si ciues ius in manibus armisque quaerere possent *s)*. Hinc constituti sunt magistratus et iudices. Apud hos quilibet ius, quod sibi asserit, persequi tenetur. Vni-

p) Omnia haec vberius illustrat BERGER *electis proceff. prouocat.* SCHAVMBVRG *princip. prax. iurid. iudic.* L. II. cap. 6. p) L. 1. C. *de ord. iud.* L. 10. C. *de iniur.* L. 14. C. *de testibus.* q) L. 25. *de acquir. vel amitt. possess.* L. 13. C. *de R. V.* r) L. 5. §. 1. *ad L. Iul. de vi publica.* L. 33. C. *ad L. Iul. de adult.* HERTIVS *de ordine cauf. in iudicio tractand.* s) L. 13. *quod metus causa.* L. 7. C. *vnde vi.*

Vnice in illo casu, quo magistratus auxilium haberi nequit, vi se defendere licet auertendo periculo proportionata *t)*. Sic e. gr. possessor contra turbationes suam vi tueri potest possessionem *u)*. Inde hic in quibusdam titulis materia de magistratibus Romanorum proponitur*).

* §. 1669. Senatores Romani in summo ordine fuerunt constituti, publici consilii, non iurisdictionis explicanda causa; successu tamen temporis ius dicendi potestatem consecuti sunt *x)*. Triplex eorum ordo erat: primi patricii vocati. Secundi patres conscripti. Tertii pedanei nominati *y)*. Extendebatur etiam haec dignitas ad vxores, viduas *z)* vt et liberos *a)*, etiam ante dignitatem Senatoriam natos *b)*, quam patre remoto retinent *c)*.

LIB. I. TIT. X.

DE OFFICIO CONSVLIS.

* §. 1670. Consulum potestas et officium varium fuit pro diuerso reipublicae statu. Exactis regibus, summam obtinuere potestatem, regibus substituti *d)*. Lege Valeria deinde cautum est, vt liceret ab iis prouocare, neque possent in caput ciuis Romani iniussu populi quid statuere *e)*. Sub Caesaribus valde exinanita est eorum potestas.

LIB.

t) L. 3. *de iust. et iur.* tit. C. *quando liceat vn. sine iudic. se vindic.* *u)* §. 27. et L. 3. §. 9. *de vi et vi armata.* L. 52. §. 1. *de adquir. vel amitt poss.* *) Cum HELFELDIVS sequentes Titulos tantum per rubricas indigitarit, illos ex BOEHMERO hic suppleo. *x)* TACIT. XII. *annal.* c. 60. *y)* STRVV h. t. §. 4. *z)* L. 8. et vlt. h. t. *a)* L. 5. et 6. h. t. *b)* cit. L. 5. L. 11. C. *de dign.* *c)* L. 9. h. t. *d)* L. 2. §. 16. de O. I. *e)* HVBER h. t. §. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0211
DFG

LIB. I. TIT. XI.
DE
OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO.

*§. 1671. Praefecti praetorio initio a principibus constituti. Praetorium ipsum in aula Principis erat, cui praefectus praeerat. Fusius ex antiquitate Romana hoc declarat Huber h. Summa horum fuit potestas, vt nequidem appellatio ab iis concederetur *f)*. Ceterum comparatio Electorum cum his satis inepta est.

LIB. I. TIT. XII.
DE OFFICIO PRAEFECTI VRBI.

*§. 1672. Hi magistratus vices regum et consulum absentium gerebant, salutem vrbis obseruantes *g)*. Potestatem obtinuere amplam, vt etiam vniuersam criminalem iurisdictionem intra Italiam exercerent *h)*.

LIB. I. TIT. XIII.
DE OFFICIO QVAESTORIS.

*§. 1673. Hic aerario publico praeerat, et ad eum spectabat, prouincias sortiri, rem militarem sequi, et manubias in rationes publicas referre. Alius praeterea erat, qui orationibus et epistolis principis in Senatu legendis praeerat, honoris causa quaestor dictus. Hic titulus ingressus erat gerendorum honorum *i)*.

LIB.

f) L. VII. §. 1. h. t. *g)* L. 1. §. 12. h. t. *h)* L. 6. §. 1. *de interdict et releg.* L. 8. §. 5. *de poenis.* L. 1. pr. h. t. *i)* L. 1. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0212
DFG

LIB. I. TIT. XIV.

DE OFFICIO PRAETORVM.

*§. 1674. De horum origine pluribus agit THOMAS. *de naeu. iurisprudentiae* lib. I. c. 7. Ab initio pauci fuerunt, post numerus eorum mirum in modum creuit, vt singulis quandoque causis destinati fuerint; nam noti sunt in iure Praetores fideicommissarii, tutelares, etc. *k)*.

*§. 1675. Ius dicebant in causis ciuilibus, aliquando etiam ex speciali commissione de causis criminalibus *l)*. Edicta constituebant, proposita in albo *ll)*, et sub praetextu interpretationis ex aequitate ius varie immutabant, dando exceptiones, fingendo, mutando nomina, concedendo restitutionem *m)*. Ordinarie in causis facti dabant iudicem pedaneum: in quaestionibus iuris ipsi extra ordinem cognoscebant: inde ortae cognitiones extraordinariae *n)*.

*§. 1676. Omnis Praetorum potestas tribus verbis notabatur: Do, Dico, Addico *o)*, vt indicat versus Ovidii:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:
Fastus erit, per quem iure licebat agi.

*§. 1677. Infinitae conclusiones et tota processus Romani ratio ex officio Praetorum dependent, quod ad intellectum iurium Romanorum multum facit. Illustranda inde est distinctio inter actiones vtiles et directas, con-

k) vid. I. S. STRYCK *de proceſſ. Rom. antiq.* c. 1. n. 8. sqq. *l)* L. 2. §. 32. *de orig. iur.* *ll)* RAEVARD *in protrib.* c. 4. *m)* L. 7. §. 1. *de I. et I.* *n)* L. 2. C. *de iudic. pedan.* *o)* Haec tria verba explicat STRVV. h. t. §. 23. BRISSON *de form.* L. 5. p. 416.

contractus nominatos et innominatos, ſtipulationes praetorias et iudiciales, inter modos tollendi obligationem ipſo iure et ope exceptionis, quod litis conteſtatio ſit quaſi contractus etc.

LIB. I. TIT. XV.

DE OFFICIO PRAEFECTI VIGILVM.

*§. 1678. Horum officium conſiſtebat in conſeruanda ſecuritate vrbis, qui propterea cohortibus erant inſtructi, incendia et tumultus praecauebant, et inter minores magiſtratus referebantur etc. *p)*.

LIB. I. TIT. XVI.

DE OFFICIO PROCONSVLIS ET LEGATI.

*§. 1679. Proconſules in prouincias populi mittebantur, omnia gubernaturi *q)*. Pleniſſimam exercebant iurisdictionem *r)*, imo maius imperium in prouincia poſt principem habebant *s)*, vbi, quod muneribus abſtinere debeant, Legatus vices Proconſulis abſentis gerebat, habebatque iurisdictionem vicariam *t)*.

LIB. I. TIT. XVII.

DE OFFICIO PRAEFECTI AVGVSTALIS.

*§. 1680. Praepoſuit hunc Auguſtus Aegypto, deuictis Antonio et Cleopatra, quam prouinciam ſibi reſeruauit. Eandem vero habebat poteſtatem, quam Proconſul.

LIB.

p) L. 5. §. 4. h. t. *q)* L. 8. h. t. *r)* L. 7. §. 2. h. t. *s)* L. 8. C. h. t. conf. L. 6. § 3 h. t. *t)* L. 13. h. t. L. 1, §. 1. *de offic. eius, cui mand. eſt iurisd.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0214
DFG

LIB. I. TIT. XVIII.
DE OFFICIO PRAESIDIS.

*§. 1681. Praeſes erat, qui vice Caeſaris prouincias Caeſari aſſignatas gubernabat. Habebat in ſua prouincia imperium maius omnibus poſt principem, curamque tranquillitatis prouinciae *u)*. Ius reddebat *x)*, de omnibus praeterea cauſis, quae Romae diuerſos habebant iudices, cognoſcebat *y)*. Regulam officium magiſtratus accurate determinantem vide in L. 19. h. t.

LIB. I. TIT. XIX.
DE
OFFICIO PROCVRATORIS CAESARIS ET RATIONALIS.

*§. 1682. Conſtitutus eſt ab Auguſto, vt praeeſſet cauſis fiſcalibus in prouinciis. Poſt ſub Claudio iurisdictio quaedam ipſi fuit tributa in cauſis fiſci ciuilibus *z)*. Aliquando ſimul vices Praeſidis gerebat, et tunc omnia poterat, quae Praeſes *a)*.

LIB. I. TIT. XX.
DE
OFFICIO IVRIDICI ALEXANDRIAE.

*§. 1683. Hunc Auguſtus Alexandriae, imo toti Aegypto praeficiebat, liberam habentem poteſtatem iuris dicendi in quibuscunque negotiis, et praecauentem, ne praefectus

u) L. 3. [et 13. pr. h. t. *x)* L. 19. C. h. t. *y)* L. 10. 11. 12. h. t. *z)* L. 2. C. *ſi aduerſ fiſc.* *a)* L. 4. C. *ad L. Fab. de plag.* L. 2. C. *de poenis.* Talem fuiſſe Pontium Pilatum Iudaeae Procuratorem, arbitratur HVBER.

Augustalis aliquid tentaret in detrimentum reipublicae, qui supremo imperio gaudebat *b)*.

LIB. I. TIT. XXI.

DE OFFICIO EIVS, CVI MANDATA EST IVRISDICTIO.

De hac materia commodius dicetur infra §. 1709.

LIB. I. TIT. XXII.

DE OFFICIO ASSESSORVM.

*§. 1684. Hi adhibebantur a magistratibus in consilium in causae cognitionibus, quia magistratus saepe erant legum imperiti *c)*. Accipiebant pro hoc officio salarium olim a magistratibus *d)*: post ex publico *e)*, et quidem integri anni, licet magistratus intra annum esset mortuus *f)*. Hoc ad Professores aliosque defunctos, qui ex publico salarium accipiunt, incongrue applicant *g)*.

LIB. II. TIT. I.

DE IVRISDICTIONE.

iurisdictio stricte talis.

§. 1685. Iurisdictio in sensu etymologico est *dictio eius, quod iuris est*. Sicuti vero magistratus solum cum effectu ius dicere potest, ita quoque de magistratibus proprie dicimus, quod ius dicant. Hinc IVRISDICTIO, in proprio et stricto significatu iuris Romani, est *potestas magistratui competens causas controuer-*

b) conf. VANECK *in princip. iur.* h.t. in f. *c)* N. 82 pr. *d)* L. 4. h.t. *e)* L. 32 *ex quibus causis maiores*. *f)* L. 4. h.t. *g)* vid. CARPZOV. P.II. Const. 5. def. 10.

uersas cognoscendi et decidendi. Ex hac definitione patet, quod iurisdictio stricte talis duplici absoluatur capite, 1) causae controversae cognitione, 2) eius decisione.

§. 1686. In generali vero significatu IVRISDICTIO est *potestas magistratui ab imperante concessa de causis cuiuscunque generis legi conuenienter statuendi cum effectu h).* Iurisdictio igitur generatim sumta 1) est ab imperante concessa *i)* et quidem 2) magistratui, consistit 3) in potestate statuendi, 4) de causis cuiuscunque generis, et quidem 5) cum effectu. in genere.

§. 1687. Iurisdictio stricte talis absoluitur causae controuersae cognitione et decisione. Omnis igitur potestas, quae praeter causae controuersae cognitionem et decisionem magistratui competit, ad iurisdictionem stricte et proprie talem haud pertinet, sed extra ordinem cum iurisdictione coniuncta est. Hinc vbi nulla est controuersia, ibi iurisdictio proprie talis non habet locum. Qui vero causam controuersam cognoscere quidem, aut non ex proprio iudicio decidere potest, ille NOTIONEM solum habere dicitur *k).* iurisdictio stricte talis quid comprehendat.

§. 1688. A iurisdictione stricte tali Romani distinguebant IMPERIVM, quod est *potestas coercendi immorigeros.* Coercet vero magistratus, vel puniendo crimina, vel cogendo eos, qui iuri a se dicto non praestant imperium eiusque diuisio.

b) Apud Romanos quoque iurisdictio in hocce significatu generali occurrit, prout docet L. 7. et 8. D. *de officio proconsul.* imo et ad criminales causas iurisdictionem pertinuisse, patet ex L. 2. C. *de priuilegiis scholarum.* *i)* L. 3 C. *de iurisdict.* *k)* L. 5. D. *de re iudicata.* Cui iurisdictio competit, is notionem habet, minime vero omnes, qui notionem habent, iurisdictione gaudent, L. 99. D. *de V. S.*

obedientiam. Priori casu *merum*, posteriori *mixtum* habemus imperium. MERVM IMPERIVM est *potestas magistratui concessa ad persequenda et punienda crimina.* MIXTVM IMPERIVM est *potestas cogendi eos, qui id non faciunt, quod iussit magistratus l).* Merum imperium ad causas criminales spectat, et idem est, quod hodie iurisdictionem criminalem vocamus.

mixtum imperium est potestas exequendi, et sub iurisd. plena.

§. 1689. Mixtum imperium consistit in potestate cogendi eos, qui non faciunt, quod iussit magistratus (§. 1688.). *Qui ad faciendum id, quod magistratus iussit, cogit*, dicitur EXEQVI. Hinc mixtum imperium tribuit potestatem exequendi iussum, seu ius a magistratu dictum, et ad tuendam facit iurisdictionem. Frustraneum enim foret ius dicere, si mediante executione coerceri non possent, qui iuri dicto haud obediunt. Regulariter igitur ille, cui iurisdictio est concessa, ad illam tuendam mixto vtitur imperio *ll).* Iurisdictio cum mixto coniuncta imperio dicitur PLENA, quae proinde absoluitur 1) *causae cognitione*, 2) *eius decisione* et 3) *executione.*

iurisd. vltra concessionem non extendenda et titulum requirit.

§. 1690. Iurisdictio ex concessione imperantis est (§. 1686). Ab imperantis igitur arbitrio pendet, an et quomodo alicui iurisdictionem concedere velit, et concessa semper intelligitur dependens, et imperanti subordinata *m)*, nec extra fines aut territorium magistratus exercetur *n).* Immo haec con-

l) L. 3. D. h. t. *ll)* L. 2. et 4. D. h. t. mixto imperio *inesse* dicitur iurisdictio, L. 3. D. h. t. *m)* LYNCKER Vol. I. resp. 47. n. 1. BERLICH P. I. concl. 2. CARPZOV. lib. I. resp. 2. *n)* L. f. h. t. L. 2. *de offic. praef. vrb.* L. 1. 3. 4. *de officio proconf.* L. 1. *de offic. praef.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0218
DFG

conceſſio non extenſiue interpretanda eſt, ſed indefinite facta, inferior ſaltim conceſſa praeſumitur iurisdictio. Hinc, qui iurisdictionem ſibi competere aſſerit, ſi de ſuperioris conceſſione non conſtat, titulum docere debet, nec ſola illi prodeſt poſſeſſio, niſi forſan ſit immemorialis *o)*.

magiſtratus quis? apud eum in iure agitur.

§. 1691. *Qui publica auctoritate conſtitutus eſt, vt ius dicat cum effectu*, MAGISTRATVS dicitur, quem Romani a iudice haud raro diſtinguunt *p)*, dum iudicem appellant eum, *qui cauſam cognoſcit controuerſam, et ſententiam dicit ex formula a magiſtratu praeſcripta.* Magiſtratus enim, poſtquam facti ſpecie ab vtraque parte expoſita, quod actio competat, cognouit, facti dubii disquiſitionem committebat iudici, qui *pedaneus* vocatur, ſententiam ex formula laturo praeſcripta, ſi de veritate facti ab actore propoſiti conſtaret *q)*. Inde, quae apud magiſtratum agebantur, in *iure*, quae vero apud iudicem pedaneum, in *iudicio* fieri dicebantur *r)*. Si magiſtratus nullo iudice dato ipſe de cauſa ſtatuebat, dicebatur *extraordinaria cognitio.*

iurisd. patrimonialis.

§. 1692. Ab imperantis arbitrio pendet, quomodo iurisdictionem concedere velit (§. 1690.). Illam vero imperans vel certae ſolum perſonae, vt eam adminiſtret, vel vniuerſitati, ſeu fundo ita concedit, vt quilibet fundi poſſeſſor illam exercere poſſit. Illa *adminiſtratoria*, haec *patrimonialis* vocatur. Iv-

o) STRYCK *V. M.* h.t. §. 27. ſq. MEVIVS P. I. deciſ. 44. n. 6. TEXTOR *de poſſeſſorio iurisdictionali.* 14
p) L. 1. L. 13 pr. h t. L. 2. *de R. I.* *q)* GVNDLING prota h t. §. 12. PVFENDORF T. III. obſ. 215. §. 10. AVERANIVS *interpr. iur.* lib. I. c. 14. N°. 27. ſqq.
r) L. 1. §. 2. D. *de poſtulando.* L. 3. §. 1. D. *ne quis eum, qui in ius vocatus.*

RISDICTIO PATRIMONIALIS est, *quae fundo seu vniuersitati cuidam ita concessa est, vt vniuersitas seu possessor fundi illam proprietatis iure habeat.* Iurisdictio igitur patrimonialis in patrimonio est, vel vniuersitatis vel possessoris fundi, cui illa inhaeret, sicque simul cum fundo in quemlibet eius transit possessorem, ideoque nec qualitates iudicis personales requirit, potius foeminae, minores aliique iurium imperiti eam habere possunt. Singularis haecce iurisdictionis species originem ducit ex dominica, quam maiores nostri in hom. proprios ~~seruos~~ exercebant, potestate *s)*, quae, postea quam rustici ad libertatem adspirarunt personalem, per modum iurisdictionis erat exercenda.

in propria causa exercetur.

§. 1693. Quia ex dominica potestate iurisdictio patrimonialis trahit originem (§. 1692.), dominus vero suos seruos propria auctoritate ad officia praestanda potest compellere (§. 123.); satis patet, quod iudex patrimonialis subditos in proprio iudicio, vbi actoris vices gerit, conuenire possit *t)*. Nec cognoscendi solum, sed quoque decidendi facultate recte vtitur. Prudentiae tamen est, acta ad extraneos transmittere, si de propria litiget causa *u)*.

iurisd. voluntaria, contentiosa, mixta.

§. 1694. Iurisdictio stricte talis ad causas solum controuersas (§. 1687.), aut generaliter sumta, ad causas cuiuscumque generis

s) HEINECCIVS *de origine atque indole iurisdictionis patrim.* *t)* HEINECCIVS *de domino subditos suos in iudicio suo conueniente.* MENCKE *de iure conueniendi subditos in proprio iudicio.* Minime vero subditi patrimoniales dominum suum in suo iudicio conuenire tenentur, LEYSER sp. 68. m. 4. *u)* BERGER *El. Dif. For.* P. II. p. 42. LEYSER sp. 68. m. 4. CARPZOV. lib. II. resp. 14. n. 12.

ris et sic quoque ad causas non controuersas pertinet (§. 1686.). Inde nascitur distinctio in iurisdictionem VOLVNTARIAM, *quae exercetur in causis, in quibus partes inter se consentiunt, et* CONTENTIOSAM, *quae exercetur in causis litigiosis x)*. Actus, in quibus partes consentiunt, auctoritatis conciliandae causa ad iudicem deferuntur, et prout vel cum vel sine causae cognitione confirmantur, sunt vel *mere*, vel *mixtim voluntariae iurisdictionis*.

differentia.

§. 1695. Actus mixtae iurisdictionis voluntariae [illegible] causae cognitionem requirunt. Hinc a magistratu competente *y)*, in loco iudicii *z)*, die causarum cognitioni vacuo *a)*, fieri debent, nec in propria causa exerceri potest iurisdictio mixta *b)*. E contrario actus iurisdictionis voluntariae mere talis a quocunque iudice *c)*, quocunque tempore *d)* et loco *e)*, imo in propria causa *f)* expediri queunt.

iurisd. ciuilis, criminalis.

§. 1696. Iurisdictio in genere ad causas cuiuscunque generis se extendit (§. 1686.), et sic quoque imperium merum seu iurisdictionem criminalem complectitur. Inde iurisdictio est vel ciuilis, vel criminalis. CIVILIS, quae et *inferior*, Nieder-Gerichte, Voigtey dicitur, est *potestas statuendi de causis*

x) SCHROETER *de diuisione iurisd. in voluntariam et contentiosam. y)* Causae enim cognitio est iurisdictionis proprie talis. Hanc nemo sibi vindicare potest, nisi illam ab imperante intuitu causae cognoscendae habeat concessam, sicque competens sit iudex, L. 20. D. h. t. *z)* L. 3. §. 8. D. *de bonorum possess. a)* L. 7. C. *de feriis. b)* L. 10. D. h. t. *c)* L. 2. pr. *de officio procons.* L. 36. §. 1. D. *de adopt. d)* L. 8. C. *de feriis. e)* arg. L. 2. D. *de offic. praetorum.* Adde SCHROETER *de actibus voluntariae iurisdictionis.* et LAVTERBACH *de voluntaria iurisdictione. f)* L. 20. D. h. t.

intereſſe priuatum concernentibus, et de delictis leuioribus. CRIMINALES, *quae etiam ſuperior, alta, merum imperium, Cent*, Freiſch, peinliche Gerichtbarkeit, Obergerichtbarkeit, maleſiziſche Obrigkeit vocatur, eſt *poteſtas de delictis atrocioribus ſtatuendi et ſtatutam exequendi poenam.* Quaenam vero delicta ad ſuperiorem vel inferiorem referantur iurisdictionem, plerumque leges vel conſuetudines prouinciales, ſeu pacta determinant. His deficientibus, ſuperior iurisdictio coercet, Mord, Brand, großen oder gewaltſamen Diebſtahl, Oberhurerey *g)*. Vtraque vero iurisdictio, prout cum poteſtate exequendi coniuncta eſt, vel non, dicitur *plena*, vel *minus plena*. Iurisdictioni criminali plenae inhaeret quoque der Blut-Bann *h)*.

limitata et non limitata

ecclesiastica, saecularis.

§. 1697. Porro quoque iurisdictio ad cauſas eccleſiaſticas ſe extendit, ideoque in ſaecularem et eccleſiaſticam diuiditur. ECCLESIASTICA dicitur, *quae in perſonas, res et cauſas eccleſiaſticas exercetur.* Sicuti enim omnis iurisdictio, ita quoque eccleſiaſtica ab imperante pendet. Et quamuis iam Iuſtiniani temporibus epiſcopi iurisdictionem quandam eccleſiaſticam ex *audientia epiſcopali* ortam et priuilegiis imperatorum confirmatam ſibi vindicarent *i)*, illa tamen ſubordinata erat ciuili imperio. Ex pontificiorum vero doctrina epiſcopi, excluſo imperante, ſibi arrogant iurisdictionem eccleſiaſticam *k)*, quam proteſtan-

g) KRESS *de iurisdictione omnimoda.* PRAEBES *de iniuſta centenae extenſione.* CARPZOV. *pr. crim.* quaeſt. 109 n. 31. Nürnbergiſche Frais-Akten. *h)* Ill. BVDER *de conceſſ. ſignorum et ſymb. iurisd. et executionis feud.* *i)* L. 7. 8. 13. C. *de epiſcopali audientia.* NOV. 83. et 123. *k)* c. 1. 2. 12. 16. *de foro competent.*

testantium religioni addicti principes sibi rursus vindicarunt, eamque per consistoria, quae tamen imperio subsunt principis, exercere solent *l)*.

ordinaria, extraordinaria.

§. 1698. Deinde iurisdictio quoque in ordinariam et extraordinariam diuiditur. ORDINARIA est, *quae alicui in regula intuitu personae seu causae cuiusdam competit.* EXTRAORDINARIA est, *quae alicui extra ordinem est concessa intuitu certae personae seu causae, quae alias ordinarium iudicem habet.* Quamuis enim in qualibet ciuitate cuilibet personae seu causae certus assignatus sit iudex, cuius iurisdictio, quia in regula locum habet, ordinaria dicitur, fieri tamen potest, vt imperans singularem quamdam causam, quae ordinarium iam habet iudicem, alicui extra ordinem committat, qui iudex *extraordinarius*, *delegatus seu commissarius* vocari solet.

quis, et in quibus casibus constitui potest commissarius.

§. 1699. Sicuti omnis iurisdictio est a principe, (§. 1686.) ita quoque a solo principe seu collegiis, quae principem repraesentant, alicui extra ordinem iurisdictio conferri, seu commissarius constitui potest (§. 1698.), et quidem vel proprio motu, vel ad instantiam. Proprio motu regulariter commissarius constitui non debet, nisi vtilitas publica hoc exigat, vel causa aliter commode expediri nequeat *m)*. Saepius vero ad instantiam causa vel tota, vel eius pars, tractanda commissario demandatur. Quod vtraque parte consentiente semper, altera vero parte dissentiente, non nisi ex iusta et graui causa, ne ius primae instantiae quaesitum auferatur.

l) BOEHMER *iur. eccles. protest.* lib. I. tit. 28. §. 18. sq.
m) BOEHMER *iure eccles. protest.* lib. I. tit. 29. §. 16.

feratur, fieri potest *n)*, praesertim, si iudex ordinarius est patrimonialis (§. 1692.), aut coram iudice non suspecto lis iam pendens est *o)*.

commissoriale.

§. 1700. Commissario iurisdictio non in regula, sed per modum exceptionis competit (§. 1698.); exceptiones non praesumuntur, et inde, qui se commissarium gerit, probare debet, sibi datam esse commissionem. Quod fit per *commissoriale*, id est, testimonium scriptum de iurisdictione extra ordinem in singulari quadam causa alicui concessa *p)*. Hocce commissoriale cum partibus statim ab initio in copia est communicandum, et, quia irregularia non sunt extendenda, stricte est interpretandum *q)*, et commissarius limites commissorii excedens nulliter agit *r)*; nihilominus tamen commissoriali, nisi certi limites sint positi, omnia ea tacite insunt, quae ex natura rei commissae fluunt *s)*. A commissario grauatus ad committentem potest prouocare *t)*.

datur l. vni l. pluribus.

§. 1701. Commissio dari potest vel vni vel pluribus. Hoc casu omnes coniunctim habent iurisdictionem, et vno absente, reliqui

n) MEVIVS P I. decis. 151. n. 4. BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 3. §. 1. n. 14. *o)* *Ordin. iud. cam.* P. I. tit. 35. *Ordin. iud. aul.* tit. 2. §. 4. LEYSER sp. 27. m. 5. RVLAND *de commissariis et commissionibus.* *p)* c. 22. X. *de rescriptis.* c. 33. X. *de officio et potestate iudicis delegati.* *q)* Quod etiam exinde patet, quia commissiones sunt instar mandati, mandatum vero stricte est interpretandum, L. 5. pr. D. et L. 12. C. *mandati.* *r)* c. 22. *de rescriptis.* L. 5. pr. D. et L. 12. C. *mandati.* *s)* L. 2. h. t. c. 5. X. *de off. et potest. iud. deleg.* *t)* CARPZ lib. III. resp. 124. cfr. tamen LVDOLF. P. I. obs. 100. qui, a commissario grauante non ad committentem, sed ad proxime superiorem, appellandum esse docet.

qui valide procedere nequeunt, nisi forsan commissoriali clausula: sammt und sonders, seu sammt oder sonders, fuerit adiecta. Priori enim casu, vno impedito reliqui nihilosecius procedunt *u)*, posteriori vero casu, alter alterum praeueniendo excludit *x)*.

vniuersalis, particularis eiusque species.

§. 1702. Diuiditur quoque iurisdictio in vniuersalem et particularem. VNIVERSALIS est, *quando pro eo, qui iurisdictionem habet, praesumtio est, illi in certo districtu competere iurisdictionem intuitu omnium personarum et rerum in districtu existentium.* PARTICVLARIS vero dicitur, *quando in districtu alterius iurisdictioni subiecto alicui iurisdictio in certas solum causas vel personas competit.* Particularis iurisdictionis species sunt *feudalis, forestalis, metallica, salinaria, colonaria y).* Huc quoque pertinet iurisdictio *circumsepta*, die Zaun- und Pfahl-Gerichte, *quae alicui in certo aedificio intra alterius iurisdictionis limites sito competit z)*, vt et iurisdictio in *viis publicis*, Straßen-Gerichte.

competens prorogata.

§. 1703. Porro quoque iurisdictio est vel *competens*, vel *prorogata.* Illa dicitur, *quae exercetur a iudice, cui reus in causa, de qua agitur, subest.* PROROGATA vero est, *quam iudex incompetens exercet in eos, qui suae se submiserunt iurisdictioni.*

prorogata l. necessaria l. voluntaria

§. 1704. Prorogata iurisdictio exercetur a iudice incompetente in eos, qui se submiserunt eius iurisdictioni. Iam vero iudici incompetenti aliquis subiicitur vel voluntario, vel

u) c. 13. X *de rescript.* c. 21. X. *de offic. et potest. iud. deleg.* *x)* c. 7. 26. 28. X. eod. c. 8. eodem. in 6. STRYCK *de clauf. commissor.* *y)* De quibus lege PVFENDORF *ae iurisd. Germanica.* *z)* STRYCK *de iurisdictione circumsepta.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0225
DFG

vel necessario, et inde prorogatio iurisdictionis est vel *voluntaria*, vel *necessaria*. Illa fit per conuentionem *expressam* aeque ac *tacitam a)*. Haec vero oritur, si quis ex facto antecedente obligatur, vt iudicem agnoscat incompetentem.

necessaria fit in reconuentione.

§. 1705. Tale autem factum, ex quo quis obligatur, vt iudicem agnoscat incompetentem, extat, si quis aduersarium coram iudice quodam conuenit. Ex hac enim conuentione actor eundem iudicem, licet incompetentem, quem pro se elegit, contra se agnoscere, sicque a reo coram eodem iudice reconuentus prorogare iurisdictionem tenetur *b)*. In hoc principio nititur RECONVENTIO (Wiederklage), quae est *actio contra eum, qui prior actionem mouit, coram eodem iudice instituta*. Et quidem iure communi reconuentio indistincte admittitur, licet causae reconuentionis cum conuentione nullus plane sit nexus *c)*. In Saxonia vero *d)*, et iure Lubecensi *e)*, vtriusque causae requiritur connexitas.

reconuentio quando simultan. proceff. operatur.

§. 1706. Reconuentio vero cum conuentione pari passu ambulat, et simultaneo tractatur processu *f)*, modo ante litis contestationem fit instituta *g)*. Aliquando tamen finita

a) Tacite prorogatio fit, si reus non opposita fori exceptione litem coram incompetente iudice contestatur, L. 52. D. *de iudic.* L. vlt. C. *de exception.* modo iudex incompetens non per errorem aditus, L. 15. h. t. *b)* L. 14. C. *de sententiis et interlocutionibus.* L. 11. §. 1. D. h. t. *c)* Modo actor suo nomine agat. CARPZOV. P. I. C. 7. def. 6. BRVNNEMANN *proc. ciuil.* c. X. n. 14. *d)* WERNHER P. I. obs. 237. CARPZOV. *proc.* tit. 6. art. 3. *e)* MEVIVS P. IV. dec. 166. *f)* Nou. 96. c. 2. X. *de ord. cognit.* c. 3. *de rescript.* 6to. *g)* BRVNNEMANN *proc.*

nita demum conuentione reconuentio instituti potest. Nempe 1) si leges prouinciales illam non admittunt, nisi plene finita conuentione *h)*, 2) si demum ex conuentione finita constare potest, an reconuentioni locus sit *i)*, 3) si vtraque causa diuersum requirit processum *k)*.

§. 1707. Quod vero ad voluntariam attinet prorogationem (§. 1704.), illa apud Romanos cuilibet erat permissa *a)*. Ast hodie quidam ICti magni nominis negant, prorogationem iurisdictionis, inuito iudice, cui prorogantes sunt subiecti, fieri posse. Aliis vero contraria placet sententia *m)*. Nobis distinguendum videtur, an ordinarius iudex cum eo, in quem prorogatur iurisdictio, communi domino territoriali subsit, an non? Hoc casu ob ius de non euocando imperii statibus competens prorogationem locum non habere putarem. Illo vero casu, quia subditi non euocantur, sicque vsum iuris Romani nil impedit, prorogatio omnino fieri potest, nisi lege prouinciali aliter sit constitutum.

an hodie prorogatio voluntaria locum habet.

§. 1708. Quamuis vero iurisdictionis prorogatio, quae non fit extra territorium, locum habeat (§. 1707.); illa tamen ad eum iudicem fieri nequit, qui ea iurisdictionis specie, ad quam causa decidenda spectat, destitu-

in quibus casibus.

proc. ciuil. c. X. n. 11. MEVIVS P. IV. decis. 166. P. VI. decis. 85. sq. *b)* Quod in Saxonia communi, iure Lübecensi, et Hamburgensi obtinet. *i)* L. 10. C. *de iniur.* MEVIVS P. V. dec. 191. *k)* BERGER *oecon. iur.* p. 1032. LVDOVICI *ciuil. proc.* c. 38. §. 4. *l)* L. 14. D. h. t. L. 1 et 2. D. *de iudic.* *m)* Argumenta vtriusque partis vide apud LEYSER sp. 29. m. 5. adde CRAMER *de iurisdictione prorogata.*

ſtitutus eſt *n)*. Si igitur cauſa ab ordinaria iurisdictione exemta per priuilegium ſingulari cuidam iudici eſt aſſignata, prorogari nequit iurisdictio, etiamſi de neceſſaria prorogatione ſit ſermo *o)*. Incidenter tamen, ſi talis cauſa cum alia principali concurrat, vel lis ſuper ſolo poſſeſſionis facto mota ſit, iudex etiam ordinarius recte cognoſcit *p)*. E contrario, ſi perſonae ſolum exemtionis priuilegium eſt conceſſum, prorogatio admittitur iurisdictionis. Inde quoque clerici quoad perſonas ſuas eam prorogare poſſunt *q)*, licet ius canonicum hoc non admittat *r)*.

de iurisdict. mandata.

§. 1709. Alia quoque eſt diuiſio iurisdictionis in *propriam et mandatam*. PROPRIA dicitur, *quam quis immediate ab eo habet, qui ſummo praeeſt imperio*. MANDATA eſt, *quam quis exercet ex mandato magiſtratus ordinarii*. Apud Romanos mandari poterat iurisdictio ſtricte talis *s)*. Idem apud nos quoad iurisdictionem patrimonialem, quippe quam haud raro inhabiles tenent (§. 1692), locum habet *t)*. Adminiſtratoria vero iurisdictio non quidem tota, aſt quoad ſingulares quosdam actus poteſt mandari, modo iis mandetur, qui

n) L. 61. §. 1. D. *de iudiciis*. non vero impedit prorogationem, ſi obiectum litis ſummam, ad quam iudicare poteſt iudex, excedit, L. 74. §. 1. eodem. *o)* BRVNNEMANN ad L. 11. h. t. n. 4. *p)* BOEHMER *de iur. paroch.* ſect. III. c. 1. §. 42. *q)* L. 51. C. *de epiſc. et cleric.* SCHILTER *inſt. iur. can.* lib. I. tit. 18. §. 9. LVDOVICI *proc. conſiſt.* c. 5. §. 11. ſq. Flörcke Erörterung der Rechtsfrage: Ob jemand, beſonders ein Geiſtlicher, wie auch *Academicus*, ſich ſeines befreyten Gerichtsſtandes begeben möge. *r)* c. 12. et 18. X. *de foro competente*. *s)* L. 5. et 16 D. h. t. *t)* Nobiles aliique, qui iurisdictione patrimoniali gaudent, ſuos conſtituere ſolent iuſtitiarios.

qui iudicio mandantis iuramento sunt obstricti *u)*, veluti actuario, Scabinis. Commissario subdelegandi facultas iure quidem Rom. minime vero hodierno, competit *x)*, nisi vtraque pars consentiat, vel committens eam permiserit, quod etiam tacite factum intelligitur, 1) si commissarius in illustri dignitate est constitutus *y)*, 2) si integro collegio causa commissa, quae coram collegio commode tractari nequit, 3) si iudici patrimoniali causa est delegata. Tandem, qui mandatam habet iurisdictionem, plus quam sibi mandatum est, expedire nequit, et eius iurisdictio iisdem modis, quibus mandatum, finitur.

de albo corrupto.

§. 1710. Ad tuendam iurisdictionem spectant tria edicta. Quorum primum est, de ALBO CORRVPTO *z)* verbis: *si quis id, quod iurisdictionis perpetuae causa in albo, vel in charta, vel in alia materia, propositum fuerit, dolo malo corruperit, in eum datur quingentorum aureorum iudicium, quod populare est.* Hodie huius editti nullus est vsus, sed extra ordinem puniuntur, qui principum seu magistratuum edicta corrumpunt.

60

LIB.

u) BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 3. §. 1. n. 9. *x)* L. 5. C. *de iudiciis.* L. VN. C. *qui pro sua iurisd.* c. 27. pr. et §. 1. X. *de offic. et potest. iud. deleg.* LEYSER sp. 28. m. 2. *y)* c. 11. *de rescriptis* in 6to. *z)* L. 7. pr. D. h. t.

LIB. II. TIT. II.

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVERIT, VT IPSE EODEM IVRE VTATVR.

ratio edicti.

§. 1711. Praetores sua edicta aliquoties per annum mutandi facultate gaudebant, qua, propositis in gratiam odiumque ciuium nouis iuribus, abutebantur. Ad coercendum hunc abusum edicto cautum est, *vt magistratus, qui quid noui iuris in aliquem statuerit, vel is, qui apud magistratum aliquid noui iuris obtinuerit, quandoque postea, aduersariis eorum postulantibus, eodem iure vterentur, et eodem iure aduersus eos decerneretur a).* Vi huius edicti non solum magistratus, qui dolo ius nouum in aliquem statuit, sed quoque partes litigantes, qui tale ius nouum impetrarunt, obligantur, vt in similibus causis, exigente aduersario, eodem iure vtantur, modo magistratus actu ius nouum statuerit *b)*, et litigans illud reuera impetrauerit, licet eo vsus non fuerit *c)*.

eius vsus hodiernus.

§. 1712. Vsum huius edicti plerique negant, quia iam apud Romanos magistratus ex edictis perpetuis iudicare iussi, noua haud proponebant edicta, et nostri magistratus ius nouum concedere nequeunt. Quia vero edicti verba de iis concepta sunt, qui ius nouum in aliquem statuerunt, aut tale aduersus alterum impetrarunt, quod apud nos quoque fieri potest, omnem huius edicti vsum haud negarim *d)*.

in eius ratione nititur retorsio, quae defin.

§. 1713. Ratio huius edicti est, vt, quod ipse quis in alterius persona aequum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patia-

a) L. 1. §. 1. et L. vlt. D. h. t. *b)* L. 1. § 2. h. t. *c)* L. 3. pr. h. t. *d)* Exempla exhibet LEYSER sp. 30.

patiatur *e)*. In eadem ratione nititur RETORSIO, quae est *actus, quo exteri iudicantur secundum sua propria iura, quibus adversus alios vtuntur.* Exemplo sit *ius detractus, geradae, successionis, praelationis in concursu, aliaque iura f).* Nam si in ciuitate quadam eo vtuntur iure, vt nostris ciuibus quaedam denegentur commoda, illius quoque ciues pati debent, vt iis denegentur eadem commoda, quae in eorum ciuitate nostris non concedi solent ciuibus.

retorsio requirit imper. consensum,

§. 1714. In retorsione exteri iudicantur secundum sua propria iura, minime vero secundum iura, quae alias in ciuitate, in qua causa iudicatur, locum habent. Iam vero iudici non est permissum secundum alia iura, quam quae in sua obtinent ciuitate, iudicare, sine imperantis voluntate. E. vt retorsio locum habeat, requiritur imperantis consensus *q)*; qui tamen saepe antecedenter adest, dum magistratui in certis casibus generali lege permittitur retorsio *h)*.

cessat in iuribus singularibus.

§. 1715. Sine imperantis consensu retorsio non habet locum (§. 1714.). Hinc cessat retorsio, si constat, principem alicui prae aliis ius singulare concedere voluisse *i)*. Inde a debitore contra suum creditorem retorqueri nequit *moratorium*. Est enim MORATORIVM *constitutio specialis, qua obaerato debitori conceditur, vt eius creditores per certum*

e) L. 1. §. 1. D. h. t. *f)* STRYCK *vsu mod.* h. t. §. 4. sqq. STRVV *de vindicta priuata* cap. 2. HANAC. *de retorsione Saxonica speciatim quoad tacitas hypothecas. g)* I. G. BAVER *de vero fundamento, quo inter ciuitates nititur retorsio iuris.* §. 18. *h)* Exempla vide in *Repertorio iur. Germ.* v. *Retorsio. i)* LAVTERBACH *colleg pract.* h. t. §. 8. BOEHMER *consult. et decis.* T. II. P. I. resp. 46. n. 15.

temporis ſpatium eum conuenire non poſſint k). Deficiente vero iure ſpeciali ab imperante conceſſo, retorſio etiam inter ciues vnius territorii locum habere poteſt, prout in iure detractus praxis confirmat.

ceſſat in delictis. §. 1716. Retorſio exercetur aduerſus exteros. Tales non habentur, qui in territorio delinquunt. E. contra delinquentes retorſio ceſſat.

ad illam ſufficit exiſtentia iuris diuerſi. §. 1717. In retorſione exteri iudicantur ſecundum propria ſua iura, quibus commoda quaedam aliis denegant (§. 1713.). Sufficit autem exiſtentia horum iurium, nec opus eſt, vt contra nos iam in actum ſint deducta. Quare, qui retorquere vult; diuerſum ius iam vſu veniſſe, probare non tenetur *l)*.

LIB. II. TIT. III.

SI QVIS IVS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT.

poena non obtemperantis. §. 1718. Ad tuendam iurisdictionem praetor tertium propoſuit edictum, quo contra eum, *qui ius dicenti non obtemperauit*, minime vero aduerſus haeredes, *intra annum in id, quanti ea res eſt*, id eſt, quanti iudex contumaciam aeſtumauerit, actionem concedit *m)*, quae tamen hodie nullum praeſtat vſum, ſed magiſtratus contra immorigeros ex officio procedit, pignoris capione, mandatis poenalibus, imo manu armata ſuas exequitur ſententias. In eos vero, qui vi executioni reſiſtunt, poena arbitraria decernitur.

LIB.

k) I. P. SLEVOGT *de retorſione in moratorio non competente.* *l)* STRYCK *vſu mod.* h. t. §. 4. WERNHER P. III. obſ. 32. *m)* L. vn. h. t.

LIB. II. TIT. IV.

DE IN IVS VOCANDO.

vetus vocatio.

§. 1719. Vocatio in ius, id est, ad magistratum (§. 1691.) erat vel publica vel privata. Haec ab ipso actore, illa per magistratum fiebat. In causis ciuilibus Romani vtebantur vocatione priuata, qua ipse actor aduersarium, in publico obuium, iuris experiundi causa ad magistratum vocabat, et recusantem, nisi de in iudicio sisti idoneis caueret fideiussoribus, aduocatis quibusdam, vt recusationis testes essent, obtorto collo in ius rapere poterat *n)*. Cum vero haece in ius vocatio quodammodo ignominosa esset, quaedam personae plane non *o)*, quaedam impetrata demum a magistratu venia *p)*, quaedam non nisi volentes, vocari poterant *q)*.

vocatio publica.

§. 1720. In subsidium quoque apud Rom. publica citatio adhibebatur. A vocatione vero omnium actionum principium esse credebant *r)*, quod apud nos a libelli oblatione est.

vocatio fit per citationem.

§. 1721. Apud nos omnis vocatio in ius fit auctoritate magistratus per citationem praeuia imploratione pro citatione obtinenda et libelli oblatione. Quare hodie vocatio in

n) HORATIVS lib. I. *satyr.* 9. f. L. 1. et 6. D. *ne quis eum, qui in ius vocabitur.* *o)* Vocari plane non poterant magistratus imperium habentes, L. 2. h. t. publica solemnitate occupati, vtpote sacra facientes, nuptias celebrantes, funus ducentes, in officio publico occupati, L. 2. 3. 4. D. h. t. *p)* Tales erant omnes, quibus reuerentia debebatur, L. 13. h. t. veluti parentes, patroni, et horum parentes ac liberi, L. 4. D h. t. L. 3. C. h. t. *q)* Tales erant honestae matronae, VALER. MAX. lib. II. cap. 1. §. 5. *r)* §. vlt. I. *de poena temere litigant.*

ius nec ignominiosa, nec venia vocandi, quoad certas personas (§. 1719.) impetranda.

definitio citationis.

§. 1722. CITATIO est *vocatio ad actum in iudicio expediendum legitime a iudice competente facta.* Omnis igitur citatio 1) est vocatio ad actum in iudicio expediendum, 2) fieri debet a iudice competente, et quidem 3) legitime.

citationis genera.

§. 1723. Citatio est vocatio ad iudicium (§. 1722.), et ratione modi in *ordinariam* et *extraordinariam* diuiditur. Haec in subsidium tantum locum habet, et est vel *realis*, vel *verbalis*. REALIS citatio fit *per citandi apprehensionem*, et adhibetur, si singulares circumstantiae, vel causae qualitas, reum de fuga suspectum reddant *s)*, vel eius contumacia sit magna *t)*.

citatio publica.

§. 2724. Extraordinaria *verbalis* citatio *fit ex loco publico*, et inde quoque *publica* vocari solet. Huius species *u)* est edictalis citatio, quae fit per edictum tribus diuersis locis et iurisdictionibus loco publico affigendum, imo aliquando ex suggestu publicandum *x)*. Et haec citatio quodammodo ignominiosa est, ideoque in subsidium, vbi priuata effectum habere nequit, adhibetur. Sic publica citatio locum habet, si citandus lateat, vel ignotus sit, vel citatio alia ratione ad

s) Quod potissimum fit in causis, vbi de crimine agitur atrociore, aut de causa cambiali, vel debitor non possessionatus fugam meditatur. *t)* FR. POSNER *decisiones de citatione reali.* *u)* Non solum per edictum, sed quoque per vocem praeconis, fit publica citatio, L. 7. D. *de in integr. restit.* L. 10. *de publ. iudic.* NOV. 112. c. 3. *x)* GAIL. lib. I. obs. 57. I. P. SLEVOGT *de citatione extraordinaria.* PETR. SCHYLZ *de citatione edictali.*

ad citandi notitiam peruenire nequeat *y)*. Minime vero is, qui extra territorium, in certo tamen loco, viuit, publice citari debet, nisi forsan magistratus loci, vbi reus commoratur, insinuationem absque iusta causa deneget *z)*.

ordinaria quomodo fiat.

§. 1725. Ordinaria citatio, quae in regula locum habet, fit quando citandus per verba priuatim ad eum delata ad actum in iudicio expediendum vocatur. Quod rursus fit vel *viua voce*, vt in causis summariis *a)*, nisi personae dignitas aliud postulet *b)*, vel *interueniente scriptura*.

eius necessitas.

§. 1726. Quia aequitas iubet, ne quis indefensus condemnetur *c)*, citatio in omni processu necessaria quidem, ast non de processus essentia est; quia fieri potest, vt reus absque citatione praeuia sponte compareat, seque defendat *d)*. Minime vero inuito reo omitti potest citatio, nequidem in notoriis *e)*.

citatio exprimat nomen iudicis.

§. 1727. Citatio, vt effectum habeat, fieri debet a iudice competente (§. 1722.). Vt igitur constet, an citans iudex sit competens, an non, eius nomen vel proprium, vel officii contineat citatio, necesse est *f)*.

y) Clem. 1. *de iudiciis* verbis: *Praefatum modum citandi* (per edicta) *restringimus ad illos tantum, et in illis locum volumus vindicare, qui faciunt, impediunt per se vel alios quoquo modo, ne ad eos possit citatio peruenire, vel quorum domicilia non possunt tuto libereue adiri.* adde Clem. vn. *de foro competente* et c. 10. *de dolo et contumacia.* *z)* GAIL. lib. I. obs. 56. n. 7. BERGER in not. ad MYNSINGER cent. 2. obs. 69. adde LEYSER spec. 32. n. 5. *a)* Clem. 2. *de V.S.* *b)* BRVNNEMANN *proc. ciuil.* c. 3. n. 26. sqq. *c)* c. 8 X. *de maior. et obedientia.* *d)* WILDVOGEL *de citatione ad processum non necessaria.* *e)* c. 14. X. *de appellat.* *f)* Nam iudi-

cis

actum expediendum.

§. 1728. Citatio vocat reum ad actum in iudicio expediendum (§. 1722.). Hunc vt reus expedire queat, non ſolum in citatione actus expediendus exprimi, ſed quoque reo ſufficiens ſpatium concedi debet, quo magis in termino adeſſe poſſit inſtructus et praeparatus *g)*. Hinc citatus ad vnam cauſſam, in altera reſpondere non tenetur, quia non ſufficit, quod aliquis adſit in iudicio, ſed requiritur, vt adſit, vel ſaltim adeſſe queat inſtructus *h)*.

reliqua citationis requiſita.

§. 1729. Porro citatio fieri debet legitime (§. 1722.). Vt autem illa legitima ſit, requiritur, vt legitime ſit concepta et inſinuata. Ad conceptionem legitimam praeter ea, quae (§. 1727. et 1728.) ſunt expoſita, requiritur, vt citatio contineat I) *nomen citandi*, et ſi plures ſint litis conſortes, ſingulorum nomina ſunt exprimenda *i)*, II) *nomen eius, qui impetrauit* citationem, quo magis reus certus fiat, quisnam ſit ille, contra quem ſe defendere debet *k)*, III) *cauſam*, ob quam reus ſe ſiſtere debet, quam vt ſufficienter cognoſcat, ipſa libelli vel implorationis copia cum ſuis adiunctis eſt transmittenda *l)*, IV) *locum*, qui, ſi citat iudex extraordinarius, ſpeciatim eſt exprimendus, vt conſtet, an tutus et honeſtus ſit *m)*. V) Citatio quoque determinare debet *diem*, quo actus expediendus eſt. Duplici autem ratione determinatur dies, vel tan-

eis incompetentis citationi impune non paretur, L. fin. D. *de iurisdictione*. *g)* L. 1. pr. D. *de edendo*. *h)* CARPZOV. deciſ. 214. n. 6. *i)* CARPZOV. P. I. conſt. 2. def. 25. n. 1. ſqq. *k)* GAIL. lib. I. obſ. 50. *l)* *Rec. imp.* de anno 1654. §. 34. CARPZOV. P. I. C. 2. def. 21. n. 2. *m)* WERNHER P. VI. obſ. 298. GAIL. lib. I. obſ. 52. CARPZOV. proc. tit. 7. art. 2. n. 38.

tanquam *fixus*, vel tanquam *terminus intra quem*. FIXVS dies est, *si praecise hoc die actus expediendus est, ita vt non anticipari queat*. DIES INTRA QVEM est *spatium, intra cuius lapsum actus expediri debet*. Caeterum terminus in citatione praefixvs non sit nimis angustus, nec, si fixus est, in diem incidat feriatum *n)*.

§. 1730. Insinuatio legitime fit, si citatio ad rei notitiam legali modo perducitur. Quod vt legitime fiat, requiritur, 1) vt illa auctoritate iudicis competentis insinuetur, et quia insinuatio citationis est actus iurisdictionis (§. 1722.) ideo intra, non vero extra limites iurisdictionis sibi commissae insinuari potest (§. 1690.). Iam vero fieri potest, vt iudex citans ratione causae quidem sit competens, ast citandi persona alterius subsit iurisdictioni. Quo casu insinuatio fieri debet mediante eius iudicis auctoritate, cui citandi persona subest. Hunc in finem iudex citans per litteras requisitoriales, quibus vel *citationem addit non signatam*, vel causam tantum et finem vocationis *a iudice* requisito expediendae notum facit, iudicem citandi in subsidium iuris cum oblatione, se in pari causa paria relaturum, rogat, vt citationem insinuari curet, et rite factae insinuationis testimonium ad acta exhibeat *o)*. Inde nascitur diuisio citationis in *immediatam* et *mediatam*. MEDIATA vocatur, *quae auctoritate iudicis a citante requisiti insinuatur*. IMMEDIATA vero est, *si auctoritate ipsius iudicis, coram quo*

Insinuatio fit immediate i. mediate.

n) GAIL. lib. I. obs. 51. WERNHER P. I. obs. 235. Si dies tanquam terminus intra quem praefixus non sit fatalis, dies vltimus feriatus non connumeratur, sed sequens dies adhuc prodest, STRYCK *V. M.* h. t. §. 10. *o)* P. MVLLER *de citatione subsidiali*, Nou. 134. c. 5.

causa pendet, fit insinuatio. Et quidem immediate iudex insinuat citationem, si intra eius iurisdictionis limites reus siue mediate, siue immediate existat. Recte igitur immediate citant, 1) iudicia imperii subditos mediatos in principum territoriis *p)*, 2) omnia collegia, quae principem repraesentant *q)*, et 3) Commissarii in territorio committenti subiecto *r)*.

eui insinuatio fiat.

§. 1731. Fit autem insinuatio 2) *citando*, et quidem, si plures sunt, singulis litis consortibus indiuidualiter *s)*, alias illi solum, qui eius notitiam acceperunt, obligantur *t)*. Si vero procuratorem habent communem, ad quem constituendum plures litis consortes possunt compelli *u)*, huic, et ad vniuersitatem directa iis, qui illi praesunt, recte insinuatur citatio.

fit in faciem vel ad domum.

§. 1732. 3) Insinuatio citationis fieri debet *in faciem*, id est, ipsi citando praesenti. In subsidium, si ipsi citando tradi nequeat, fieri potest *ad domum*, id est, domesticis, qui in conuictu citati sunt, et sub eo, tanquam capite familiae, viuunt. Si vero nemo horum citationem recipiat, illa aedibus citati adfigitur *x)*. Insinuatio tamen, quae ad faciem

p) GAIL. lib. I. obs. 98. STRYCK *V. M.* h. t. §. 12. *q)* SCHILTER *exercit.* 7. §. 10. In Saxonia Electorali et Ducatu Altenburgico Consistoria mediate citationem insinuare solent. WERNHER P. VI. obs. 451. *r)* WERNHER P. I. obs. 233. *s)* MEVIVS P. VI. decis. 302. si tamen plures haeredes haereditatem habent indiuisam, valet insinuatio in aedes haereditarias facta, BERGER *El. Disc. For.* P. I. tit. 4. obs. 3. *t)* WERNHER P. VIII. obs. 302. LEYSER sp. 32. m. 1. *u)* MEVIVS P. IV. dec. 337. *x)* L. 4. §. 5. D. *de damno infecto.* ORDIN. CAMER. P. I. tit. 38. WERNHER P. I. obs. 285.

LEY-

ciem non est facta, vim suam amittit, si citatus probat, aut iuramento confirmat, ad manus suas eam haud venisse.

de loco et tempore insin.

§. 1733. 4) Insinuatio fieri debet legitimo loco et tempore. Hinc is, qui in expeditione muneris publici, seu actus cuiusdam solennis occupatus est extra domum suam, impune citationem recusat *y)*. Minime tamen inualida est insinuatio in die feriato facta *z)*.

per quem et cuius sumtibus.

§. 1734. Ne vero insinuationis legitime factae deficiat probatio, illa per nuncium iuratum est peragenda, cuius depositioni de facta insinuatione plena habetur fides *a)*. Interim tamen valida quoque est insinuatio per aliam fide dignam personam facta, modo negata a citato probetur *b)*. Si probatio plane deficiat, citatio suo destituitur effectu, licet citatus haud neget, citationem, non insinuatam, sibi ad manus per accidens venisse. Caeterum impetrans sumtus in conceptionem et insinuationem faciendos erogare, eorumque restitutionem expectare tenetur.

notificatio fit impetranti.

§. 1735. Citatio insinuanda est citando (§. 1733.), minime vero impetranti. Huic vero vsu fori vel copia citationis, vel notificatio citationis factae transmitti solet, cuius tamen omissio, modo impetrans de termino praefixo notitiam acceperit, processum non vitiat *c)*.

§. 1736.

LEYSER spec. 31. m. 6. Minime vero conductori valide insinuatur citatio in locatorem concepta, BERGER *El. disc. for.* P. I. tit. IV. n. 3. *y)* LEYSER sp. 32. m. 3. *z)* GAIL. lib. I. obs. 53. n. 7. WERNHER P. I. obs. 234. *a)* CARPZOV *proc.* tit. 7. art. 1. n. 69. *b)* LEYSER sp. 31. m. 4. et 5. *c)* BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 16. §. 2. n. 3.

effectus citat. arctatoriae et monitoriae.

§. 1736. Citatio legitime concepta et insinuata obligat citatum ad actum in citatione iniunctum in termino praefixo expediendum *d)*, ita vt in poenam incidat, qui morem non gerit *e)*, quae tamen alia est in *arctatoria*, alia in monitoria citatione. ARCTATORIA est, *quae alicui actus expeditionem ita iniungit, vt sine praeiudicio omitti nequeat.* MONITORIA vero est, *quae citato solum iniungit, vt ea, quae circa actum a iudice vel aduersario expediendum monere velit, proponat.* Haec non tam necessitatem comparendi, quam permissionem, monenda circa actum expediendum proponendi, operatur, et absentia citati pro tacito habetur consensu in actum expediendum. Arctatoria vero citatio rursus in *dilatoriam* et *peremtoriam* diuiditur. PEREMTORIA est, *quae alicui actus expeditionem ita iniungit, vt in casu omissionis actus in citatione iniunctus pro deserto habeatur.* Dilatoria citatio vocatur, *quae actus expeditionem ita iniungit, vt in casu omissionis intuitu actus ipsius non procedatur.* Iure communi tertia demum citatio, vel quae trinum continet terminum, peremtoria esse solet *f)*.

alii effectus.

§. 1737. Praeter effectus in antec. §. expositos citatio alios adhuc producit. Interrumpit nempe praescriptionem *g)*, obiectum litis efficit litigiosum *h)*, inducit ex parte magistratus praeuentionem *i)*, et litis pendentiam *k)*, ac perpetuat iurisdictionem *l)*.

+ si concurrens adest Iurisdictio

d) c. 7. *de appellat.* L. 2. §. 1. D. *si quis in ius vocatus.* *e)* c. 15. X *de accusat.* *f)* MEVIVS P. I. dec. 258. STRVV *exerc.* 5. §. 12. *g)* L. 2. et 3 C. *de ann. exce.* L. 3. et 7. C. *de praesc.* 30. *vel* 40. *annor.* *h)* *Auth. litigiosa.* C. *de litigios. Nou.* 112. c. 1. *i)* c. pen. X. *de foro compet.* *k)* c. 20. *de offic. et potest. iud. deleg.* Cl. 2. *vt lite pendente.* *l)* L. 19. D. *de iurisd.* L. 7. D. *de iudic.* L. 4. C. h. t.

§. 1738. Ceſſant tamen effectus citationis expoſiti, 1) ſi terminus circumducitur, quod fit, ſi vtraque pars litem deſerat *m)*. 2) Si is, qui impetrauit citationem, terminum neglexit, eamque ob cauſam ipſe iudex ab effectibus citationis reum abſoluit *n)*. Quae *abſolutio ab inſtantia* dicitur. 3) Si citationis conceptioni vel inſinuationi legitimae aliquid deeſt. Quodſi vero citatus actum in vitioſa citatione ſibi iniunctum absque proteſtatione expediuerit, vitium amplius vrgeri nequit *o)*. citatio vim ſuam amittit.

LIB. II. TIT. V.

SI QVIS IN IVS VOCATVS NON IERIT, SIVE QVIS EVM VOCAVERIT, QVEM EX EDICTO NON DEBVERIT.

§. 1739. In ius vocatus aut ſequi, aut ſatisdare tenebatur (§. 1730.). Vtrumque recuſans, mulctam incurrebat, ex magiſtratus arbitrio ſtatuendam *p)*. Modo is vocaretur, qui vocari poterat, et vocatio fieret ad magiſtratum competentem. Ad notorie incompetentem vocatus impune non parebat *q)*.

§. 1740. Hodie priuata in ius vocatio et poena, in antecedenti paragrapho propoſita, ceſſat. Qui vero a magiſtratu competente citatus non comparet, in poenam contumaciae incidit *r)*. Citatio a magiſtratu notorie vſus hodiernus.

m) L. 73. *de iudic.* WILDVOGEL *de termino circumducto.* *n)* MENCKE *proc.* diſſ. 6. tit. 10 §. 6. *o)* BERGER *El. diſc. for.* tit. X obſ. 10. n. 3. *p)* L. 2. h. t. *q)* L. vlt. D. *de iurisd.* L. 53. §. vlt. D. *de re iudicata.* *r)* Imo ſi ſtatus imperii a ſubditis ſuis conueniuntur, iudicia imperii citationem decernere

torie incompetente emissa nulla est. Si dubia est competentia, citatus venire debet, salua exceptione iudicis incompetentis, super qua ipse iudex, cui est opposita, recte cognoscit *s*).

LIB. II. TIT. VI.

IN IVS VOCATI VT EANT, AVT SATIS VEL CAVTVM DENT.

§. 1741. Contenta huius tituli iam supra (§. 1720.) exposuimus, res ipsa vero hodie nullius est vsus.

LIB. II. TIT. VII.

NE QVIS EVM, QVI IN IVS VOCABITVR, VI EXIMAT.

§. 1742. Qui in ius vocatum vi eximebat, aut, quo magis eximeretur, dolo efficiebat, in poenam incidebat, saluo interesse priuato, actori applicandam *t*). Quae tamen hodie cessat, et arbitrarie a magistratu punitur, qui vocatum vi impedit, quo minus ad magistratum venire possit *u*).

LIB. III. TIT. VIII.

QVI SATISDARE COGANTVR, VEL IVRATO PROMITTANT, VEL SVAE PROMISSIONI COMMITTANTVR.

generale. §. 1743. In ius vocatus e vestigio vocatum sequi, aut satis vel cautum dare erat obli-

nere non debent, nisi exactis prius litteris informatoriis. *Rec. imp. nouiss.* §. 105. Idem in plerisque tribunalibus obseruatur, si a subditis contra magistratus inferiores querelae mouentur. *s*) L. 5 D. *de iudiciis*. *t*) L. 4. §. 2. et L. 5. D. h. t. *u*) STRYCK *vsu mod.* h. t.

obligatus. Hodie vero ceſſante priuata in ius vocatione, illae cautionum ſpecies, quae hoc titulo in pandectis tractantur, vſum non amplius praeſtant. Alio tamen fine frequens apud nos cautionum vſus occurrit, quarum indoles hic erit exponenda.

§. 1744. CAVTIO eſt *ſecuritas de adimplenda obligatione praeſtita.* Haec ſecuritas vel verbis ſolum, vel re praeſtatur, et inde in *realem* et *verbalem* diuiditur. Verbalis rurſus vel nudis verbis, vel iuramento fit, ſicque vel *iuratoria* vel *nude promiſſoria* eſt. Realis vero cautio fit, vel per oppignorationem rerum ſuarum, vel per fideiuſſorum dationem. Illa *pignoratitia*, haec vero *ſatisdatio* x) dicitur. Quae proinde eſt *cautio datis fideiuſſoribus praeſtita* y). Ipſa vero cautio praeponit ſuſpicionem, fore, vt alter ſuam non adimpleat obligationem. caution. def. et ſpecies.

§. 1745. Iure Anteiuſtinianeo reus potiſſimum de iudicio ſiſti (§. 1720.), et actione reali conuentus, iudicatum ſolui, actor vero non cauebat z). Iure vero Iuſtinianeo etiam actor de lite debito tempore conteſtanda et vsque ad exitum continuanda, et is, qui alterius nomine absque mandato in iudicio agebat, de rato, et interdum, *iudicatum ſolui* cauebat a). cautiones iur. Rom.

§. 1746. Hodie in cauſis ciuilibus *actor* potius cauet 1) de expenſis et 2) de reconuen- cautiones hodiernae.

x) Aliquando ſatisdatio in iure noſtro alias quoque cautionis ſpecies comprehendit, L. 61 *de V. S.* L. 21. §. 2. D. *de conſtituta pecunia.* y) Quatuor ſpeciebus hic notatis addunt alii quintam, cautionem nempe per arreſtum. de qua L. 17. C. *de accuſation. Conſt. Cr. Car.* art. 12. et 14. LEYSER ſp. 34 m. 1. z) pr. Inſt. *de ſatisdationibus.* a) §. 2. 3. 4. I. eod. AVTH. *libellum.* C. *de litis conteſt.*

uentione finita conuentione ſuſcipienda *b)*, vt et 3) de proſequenda lite, ſi contumax fuit. *Reus* vero tunc demum, ſi de fuga ſuſpectus, vel bona diſſipare incipiat, de *iudicio ſiſti* et *iudicatum ſolui* cautionem praeſtat *c)*, imo priori caſu arreſtum, et in poſteriori caſu ſequeſtratio locum habet *d)*. CAVTIO RATI, *qua quis ſecuritatem praeſtat, fore, vt alter rem ratihabeat*, adhuc hodie locum inuenit. Quantum harum cautionum ex arbitrio determinatur a iudice, qui in determinatione non tam ad obiectum litis reconuentionalis reſpicit, quam ad id, quod reo intereſſe poſſit, ſi actorem in ſuo iudicio conuenire deberet *e)*.

cautio iudicialis realiter praeſtanda.

§. 1747. Cautiones verbales plerumque exiguam praeſtant vtilitatem. Inde in regula cautiones, praeſertim iudiciales, realiter, i. e. electiue, per fideiuſſores, vel pignora, ſunt praeſtandae *f)*, modo cauſa, cuius intuitu exiguntur, certam habeat aeſtumationem. In cauſis aeſtumationis incertae regulariter per ſatisdationem eſt cauendum *g)*, niſi forſan iudex, vt pignoratitia locum habeat, certum quantum determinauerit *h)*. Fiſcus tamen et respublica ſola promiſſione cauet *i)*.

§. 1748.

b) LEYSER ſp. 34. m. 6. et hae cautiones praeſtandae quoque ſunt in proceſſu executiuo, LEYSER l.c. m. 7. et matrimoniali, ſecundum ius commune, ſecus, ac iure Saxonico, BERGER *el. proc. matrim.* §. 21. LVDOVICI *conſiſtor. proc.* c. XII. §. 5. *c)* WERNHER P. IX. obſ. 90. *d)* MEVIVS P. I. deciſ. 177. et P. III. dec. 75. *e)* WERNHER P. III. obſ. 102. *f)* Quia plus cautionis in re, quam in perſona, L. 25. *de reg. iur.* et verba exiguam praeſtant ſecuritatem. *g)* L. 7. D. *de ſtipulat. praetor. h)* MEVIVS P. II. deciſ. 256. n. 5. P. III. dec. 253. *i)* L. 16. 18. et L. 6. §. 1. D. *vt legator. vel fideicom. cauſa.*

§. 1748. Quamuis vero cautiones iudiciales realiter sint praestandae (§. 1747.), in subsidium tamen, si cauens paupertatem doceat, vel saltem iureiurando confirmet, se fideiussores vel pignora inuenire non posse *k)*, in causa ciuili *l)* iuratoria admittitur, eaque vel sola, vel simul cum cautione reali, si haec sufficienter praestari non possit. Sic quoque apud Romanos viri illustres iuramento solum cauebant *m)*, et apud nos omnes, qui in splendidiori munere constituti salaria fixa habent, regulariter immunes sunt a cautionibus (§. 1746.) expositis *n)*. quando verbalis sufficiat.

§. 1749. Minime vero ad cautiones (§. 1746.) notatas obligantur, qui sub iudice, vbi lis agitur, tanquam domini, bona immobilia vel naturaliter vel ciuiliter talia possident, *o)*, licet illa sint obaerata *p)*, vel de illis ab alio lis sit mota *q)*. Imo actio realis ex dominio vel haereditario iure ad rem immobilem consequendam competens *r)*, et extra litem, in qua satisdandum est, constituta, immunitatem a cautione praestat *s)*, nec specialis rerum immobilium oppignoratio requiritur possessio immobil. liberat a cautione.

k) Nou. 112. c. 2. Auth. *generaliter*. C. *de episcop. et clericis*. *l)* Minime vero in causa vere criminali, i. e. tali, in qua poena capitalis seu corporis afflictiua locum habere potest. *m)* L. 17. C. *de dignitat*. *n)* LEYSER sp. 34. m. 5. *o)* L. 15. pr. D. h. t. et quidem sufficit dominium quodcunque, siue naturale siue ciuile, plenum vel minus plenum. Minime vero possessio rerum mobilium, quamuis pretiosarum, a cautione liberat, WERNHER P. IX. obs. 113. *p)* CARPZOV. P. I. const. 5. def. 14. WERNHER P. VII. obs. 117. *q)* L. 15. §. 6. h. t. *r)* *Nam qui actionem habet ad rem recuperandam, rem ipsam habere videtur*. L. 15. *de reg. iur*. L. 143. *de V. S.* *s)* LEYSER sp. 34. m. 4.

ritur *t*). Minime vero nuda spes succedendi in rem immobilem, imo nec ius pignoris aut vsusfructus in re immobili competens, et multo minus actio personalis tribuit immunitatem a cautione *u*).

exigi debet cautio.

§. 1750. Cautio est securitas (§. 1744.). Sicuti vero a cuiuslibet arbitrio pendet, an sibi de securitate velit prospicere, an non; ita quoque cautionum exactio est res arbitrii. Hinc cautio non ex officio iniungitur, sed exigi debet; exactae vero quantitatem et modum iudex determinat.

LIB. II. TIT. IX.

SI EX NOXALI CAVSA AGATVR.

§. 1751. Huius tituli hodie nullus est vsus, eius vero contenta titulo de noxalibus actionibus breuiter exposita inuenies.

LIB. II. TIT. X.

DE EO, PER QVEM FACTVM ERIT, QVO MINVS QVIS IN IVDICIO SISTAT.

§. 1752. Praestita cautione reus stato die se in iudicio sistere debebat. Quodsi non faceret, aduersus eum eiusque fideiussores, aut ad poenam promissam, aut, si ea promissa non esset, ad id, quod interest, actio competebat *x*). Iam vero alicuius dolo fieri poterat, quo minus in iudicio compareret, sicque damnum sentiret. Inde contra eum, cuius dolo factum, quo minus quis in iudicio

t) §. 2. I. *de satisdat.* *u*) L. 15. §. 1. 2. 3. 4. h. t. *x*) L. 4. §. vlt. D. *si quis cautionibus.* L. 2. §. 5. D. *qui satisdare cogantur.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0246
DFG

cio se sisteret, actio ad id, quod interest, competebat *y*). Et haec actio non solum reo, sed quoque actori competebat, si forsan hic alterius dolo non comparuerit, et interea actio exspirasset, vel dominium vsucapione amissum, vel forsan alia ratione damnum sensisset *z*). Ea vero non habet locum, si partis aduersae dolo quis non stiterit iudicio, quia hoc casu mediante exceptione, vel replica auerti potest damnum *a*). Plane si is, qui dolo fecerat, quo minus in iudicio sistatur, soluendo non fuerit, aequum erit, vt aduersus ipsum reum vel actorem restitutoria actio concedatur *b*). Hodie rarior huius tituli est vsus, partim, quia priuata in ius vocatio cessat, partim, quia dolo impeditus ius et actionem non amittit. Quatenus vero dolo alterius iudicio sistere impeditus reuera exinde damnum sentit, non video, cur laeso haec actio denegari queat *c*).

LIB. II. TIT. XI.

SI QVIS CAVTIONIBVS IN IVDICIO SISTENDI CAVSA FACTIS NON OBTEMPERAVERIT.

defin. contumaciae.

§. 1753. *Qui in lite quadam actum, a iudice seu lege, sibi iniunctum, iusto tempore et modo non expedit*, CONTVMAX, et *contemtus per actus omissionem in iudicem seu legem commissus*, CONTVMACIA dicitur. Vt igitur contumacia adsit, requiritur, 1) vt actus a iudice seu lege sit iniunctus, 2) et tempus ad expediendum actum sit praefixum, 3) tempore

y) L. 3. pr. h. t. *z*) L. 3. §. 2. h. t. *a*) L. 1. §. 3. et L. 3. §. 3. h. t. *b*) L. 3. §. 2. h. t. *c*) STRYCK *vsu mod.* h. t.

praefixo actus vel plane non, vel 4) legali modo non sit expeditus.

contumacia vel vera vel praesumta.

§. 1754. Contumacia vero adest, siue dolo, siue culpa, actus a iudice vel lege iniunctus non expediatur. Dolo enim non potest carere, qui imperio magistratus non paruit *d)*. Et ex actus omissione contumacia praesumitur, nisi probetur, nec dolo, nec culpa actum esse omissum. Inde contumaciam in *veram* et *praesumtam* diuidunt. Illa est, vbi de dolo, vel culpa, constat. Haec, vbi dolus vel culpa praesumitur. A contumacia igitur is solum se liberare potest, qui docet, se dolo et culpa carere, iustam adfuisse causam ob quam actus expediri haud potuit.

effectus contumaciae, si terminus fatalis, vel non.

§. 1755. Contumacia praeponit tempus seu terminum ad actum expediendum praefixum. Hicce terminus est vel *fatalis*, vel non. FATALIS dicitur is, *quo elapso, statim contumacis ius actum expediendi amissum est.* NON FATALIS TERMINVS est, *cuius lapsu ius contumacis intuitu actus expediendi vel plane non, vel non nisi praeuia contumaciae accusatione amittitur.* Si igitur terminus est fatalis, solo eius lapsu contumacis ius intuitu actus iniuncti est amissum, ita vt ad actum adhuc expediendum stricto iure *s)* nullus detur regressus, quamuis nulla adsit accusatio contumaciae *f)*. Terminus vero non fatalis est, vel *fixus*, vel *intra quem* (§. 1730.). Si fixus est terminus, contumax dicitur, qui non praecise

d) L. 199. *de reg. iur.* *e)* Ex iustis vero causis restitutio in integrum contra fatalium lapsum locum habet, de qua supra. *f)* LYNCKER *de fatalibus.* DE BALTHASAR *de terminis ac fatalibus, eorumque computatione.* ABENDE *de fatalium rigore iniquo poenisque contumaciae purgandis.*

cise in die praefixo, cuius tamen duratio ex legis dispositione vel obseruantia iudicii determinatur *g*), actum iniunctum expedit. Termino vero intra quem praefixo, contumacia tunc adest, si actus ante lapsum huius termini non fuerit expeditus *h*), et lapso termino contumaciae accusatio ad acta fuerit exhibita. Hac deficiente, regressus ad actum omissum adhuc patet *i*).

poena contumaciae generalis, vel specialis

§. 1756. Contumacia est contemtus in iudicem seu legem (§. 1753.), qui tanquam factum illicitum poena coercetur (§. 1736.). Haec vel GENERALIS est, *quae in resarcitione expensarum consistit*, vel SPECIALIS, *quae in eo consistit, vt intuitu actus omissi in contumacis praeiudicium procedatur.* Specialis poena peremtoriam citationem, seu peremtorium iussum iudicis praeponit (§. 1736.). Generalis vero poena omnem sequitur contumaciam, modo expensae alteri parti sint causatae. Contumax tamen non est, qui monitoriam negligit citationem (§. 1736.).

actoris ante litis contest.

§. 1757. Poena contumaciae alia est ante litis contestationem, alia post litem contestatam. Actor ante litis contestationem contumax condemnatur in expensas termini neglecti, et insuper reo occasionem suppedi-

g) Nec obstat, quod citationi clausula: bey rechter früher Tageszeit, fuerit inserta, STRYCK *introductio ad prax.* c. 4 §. 14. imo iudex ordinarius tempus a lege seu obseruantia determinatum per certae horae praefixionem non potest coarctare, WERNHER P. I. obs. 195. Commissario vero permissum est, horam determinare. *h*) In termino intra quem dies insinuationis non connumeratur, L. 1. h. t. Tota quoque dies vltima adhuc prodest ad actum expediendum, imo interdum sequens. *i*) RICHTER Vol. II. consil. 209. n. 2.

tat, absolutionem ab instantia (§. 1738.), et cautionem de prosequenda lite exigendi *k)*. Imo si actor in contumacia perseuerat, et trina vice terminum neglexerit, reus post annum plenariam absolutionem impetrare potest *l)*. Hodie vero per ordinationes processuales hocce tempus annale est coarctatum, et plerumque actori prosecutio litis intra breuius spatium sub poena amittendae actionis iniungitur.

rei ante litc contest.

§. 1758. Si reus ante litem contestatam contumax erat, iure Romano aduersus eum eiusque fideiussores, aut ad poenam promissam, aut ea non promissa, ad id, quod interest, actio competebat (§. 1752), vel actor in eius bona immitti poterat *m)*. Hodie reus dilatorie citatus ob contumaciam in expensas termini, saluo iure intuitu actus omissi (§. 1736.), condemnatur. Peremtorie vero citati poena est, vt iure communi lis pro negatiue contestata habeatur, et actor ad probationem intentionis admittatur, simulque reus omnes amittat exceptiones *n)*. In Saxonia vero poena confessi et conuicti, sicque condemnatio locum habet, si reus peremtorie citatus litem non est contestatus.

post lit. contest.

§. 1759. Post litem contestatam, si lex intuitu actus cuiusdam specialem poenam haud determinauit, is, qui dilatoriam citationem neglexit, saluo iure actum adhuc expediendi, in

k) L. 15. C. *de iudiciis.* L. 37. §. 2. D. eod. WERNHER P. II. obs. 437. HARPRECHT *de absolutione ab instantia.* *l)* Nou. 112. c. 3. *m)* L. 2. 6. 7 D. *quibus ex causis in possess. eatur.* Nou. 53. c. 4. *n)* L. 13. §. 3. C. *de iudiciis.* REC. IMP. de 1654. §. 36. SIEBER *de contumaciae ante litis contestationem in causis ciuil. a reo commissae effectibus.* SCHOLPFF *de processu in contumaciam.*

in expensas termini condemnatur. Contra eum vero, qui peremtoriam contemsit, proceditur in praeiudicium intuitu actus ipsius (§. 1736).

quomodo accusatur contumax.

§. 1760. Quoad terminos haud fatales poena contumaciae non habet locum, nisi contumacia sit accusata (§. 1755.). Hanc accusare cupiens 1) ex sua parte faciat, quod ipsi expediendum incumbit, alias, citato praesente, poenam contumaciae incurrit, 2) doceat, citationem rite esse insinuatam, 3) formaliter declaret, se accusare contumaciam, et 4) petitum, quomodo contra contumacem procedi velit, addat. Consilii quoque est, vt 5) poenam, qua contumacem coerceri velit, exprimat, alias ex pluribus, quae locum habere possunt, iudex minimam eligere potest.

cessat contumaciae poena.

§. 1761. Poena contumaciae variis ex causis cessat. Spectant huc 1) legitima impedimenta, 2) feriae, 3) dilationis impetratio, 4) transactio. Hic de legitimis impedimentis seu Ehehaften, quae sunt *inopinati euentus, qui absque dolo vel culpa citati existentes illi expeditionem actus impossibilem reddiderunt o).* Quo magis vero impedimenta haberi queant legitima, requiritur, 1) vt inopinato existant, 2) absque dolo vel culpa non parentis *p).* Si igitur talia sunt, quae facile praeuideri et remoueri potuerunt, aut quae dolo vel culpa sua ipse contumax sibi mouit, illa ad libe-

o) Talia sunt, 1) si quis muneris publici causa non stitit, L. 2. §. 1. h. t. 2) si ad testimonium desideratus sit, L. 2. §. 2. h. t. 3) si valetudine, tempestate, vi fluminis prohibetur, L. 2. §. 2. sqq. h. t. 4) si a magistratu retentus, L. 3. §. 9 h. t. 5) si vinculis detentus, L. 4. §. 1. h. t. 6) si funere domestico impediatur, L. 4 §. 2. h. t. 7) si in hostium potestate fuit, L. 4. §. 3. h. t. p) L. 2. §. 8 et 9. h. t.

rationem a contumaciae poena haud prosunt. Et quia existentia impedimentorum in facto nititur, allegans merito illa summarie demonstrare, vel saltim, si sunt probabilia, iuramento confirmare tenetur *q)*.

LIB. II. TIT. XII.

DE FERIIS, DILATIONIBVS ET DIVERSIS TEMPORIBVS.

feriae earumque differentia a iustitio.

§. 1762. Liberant quoque a contumaciae poena FERIAE, si terminus in diem incidit feriatum. Sunt autem FERIAE, *dies in quibus magistratus abstinet a causarum cognitione r)*. In diebus igitur feriatis quiescit quidem causarum forensium cognitio; minime vero desunt magistratus, et inde a IVSTITIO, *quod in totali magistratus et iustitiae administrationis cessatione consistit*, differunt feriae.

diuisio feriarum.

§. 1763. Sunt autem feriae vel DIVINAE, *quae cultui diuino*, vel HVMANAE, *quae vsibus hominum sunt destinatae*. Illae rursus in *statas* et *mobiles*, hae in *rusticas et vrbanas* abeunt. Vtriusque vero generis feriae sunt, vel *ordinariae* vel *extraordinariae*, seu *repentinae*. Feriae humanae a media nocte ad mediam noctem *s)*, diuinae vero a vespera ad vesperam *t)* computantur.

ius eas indicendi, et quatenus iis renuntiari queat.

§. 1764. Ordinatio iudiciorum ab imperantis arbitrio pendet (§. 1690.), qui proinde ferias ordinat (§. 1762.); minime vero magistratus subalterni. Qui tamen ob casus extraor-

q) STRYCK *vsu mod.* h. t. §. 6. EPH. GERHARD *de legitimis impedimentis*. *r)* Feriae quoque dies *nefasti* dicuntur, et differunt a *fastis* et *intercisis* diebus. OVIDIVS Fast. I. V. 47. VARRO *de lingua lat.* V. 4. MACROBIVS *Sat.* I. 16. *s)* L. 8. D. h. t. *t)* C. I. §. 2. X. *de feriis*.

traordinarios a cognitionibus abstinent *u)*. Et cum feriae humanae hominum causa sint introductae (§. 1763.), illae quoque admittunt renunciationem *x)*, ad inopinata non extendendam *y)*. E contrario feriae diuinae, quia ad cultum diuinum sunt ordinatae (§. 1763.), in praeceptiuo nituntur iure *z)*, ideoque iis renunciari nequit.

quinam actus quiescant in feriis.

§. 1765. Feriae sunt dies, quibus magistratus abstinet a causae cognitione (§. 1762.). Hinc in diebus feriatis expediri queunt actus voluntariae iurisdictionis mere tales (§. 1694.). *a)*, causae publicae et omnes aliae, quae moram non ferunt *b)*. Causarum vero cognitiones et sententiae in diebus feriatis publicatae nullius sunt momenti, nisi partes vltro suo iuri renunciauerint *c)*.

dilatio def. eiusque species.

§. 1766. DILATIO Frist est *spatium ad actum iudicialem expediendum conceſſum*. Haec, prout vel a lege, vel a iudice, vel ex partium conuentione determinatur spatium, in *legalem*, *iudicialem* et *conuentionalem* diuiditur. Quaecunque vero sit dilatio, actus iniunctus intra spatium praefixum debet expediri.

noua dilatio quatenus concedi queat.

§. 1767. Quodsi vero intra spatium conceſſum ob impedimenta legitima actus expediri nequeat, iusto tempore noua petenda est dilatio. Petitur autem iusto tempore dilatio, in fatalibus, ante eorum lapsum; in non fatalibus vero, ante contumaciae accusationem post termini lapsum subsecutam. Nam in fatalibus, ob ius alteri parti ex lapsu temporis intuitu actus quaesitum, noua dilatio concedi

u) L. 4. C. et L. 4. et 5. D. h. t. *x)* L. 1. §. 1. L. 6. h. t. *y)* L. 26. §. 7. D. *ex quibus cauſis maiores*. *z)* L. 3. et 11. C. *de feriis*. *a)* L. 2. h. t. *b)* L. 3. et 9. h. t. L. 5. 10. C. h. t. *c)* L. 6. D. h. t.

nequit (§. 1755.). In non fatalibus nouae dilationis conceſſio ante accuſationem contumaciae locum habet (§. 1755.). Quod non ſolum in iudicialibus, ſed quoque legalibus procedit dilationibus. Nulla tamen locum habet dilatio, ſi non ipſe actus iniunctus, ſed ius actum intra certum tempus ſub poena amittendi iuris lege conceſſum eſt. E. g. decendium remediis ſuſpenſiuis praeſcriptum interponendis. Conuentionalis dilatio ex partium quidem conuentione, aſt non facile, ex iuſta tamen cauſa, a iudice poteſt extendi *d*).

tacite quidem, aſt non ſine cauſa iuſta conceditur.

§. 1768. Sufficit autem, dilationem iuſto tempore eſſe petitam, et a iudice non denegatam. Vt ante lapſum prioris dilationis expreſſe concedatur, non eſt opus, quia non denegata pro tacite conceſſa habetur *e*), niſi adſint tales circumſtantiae, ex quibus lex conceſſionem dilationis denegari velit.† Deinde, cum dilationes litem protrahant, illae, nonniſi ex iuſta cauſa, ſunt concedendae, quae proinde non ſolum allegari, ſed quoque, ſi notoria non ſint, ſummarie demonſtrari debet *f*).

quot dilationes concedi queant

§. 1769. Quod ad numerum dilationum attinet, hodie omnia fere ad iudicis arbitrium redeunt, qui primam extenſionem, imo quoque ſecundam, in plerisque foris pro arbitrio, etiam ſine curata cauſae cognitione, concedere poteſt. Tertia vero, et multo magis quarta extenſio, absque ſufficienti cauſae cognitione et exacto calumniae iuramento, ſi ſuſpicio malitiae adſit, concedi non debet

d) BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 17. *e*) WERNHER P. II. obſ. 405. BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 17. n. 7. *f*) c. 5. X. *ut lite non conteſtata.* REC. de 1654. §. 50.

debet *g)*, quamuis absque hac solennitate vel ex ~~falsa~~ causa impetrata effectum non amittat *h)*.

§. 1770. Tempus de quo hoc titulo aliquid additur *i)*, in *continuum* et *vtile* diuidunt ICti. CONTINVVM est, *quod naturali modo computatur, ita vt, omnes dies, fariae quoque, connumerentur k)*. VTILE vero est, si *solum dies causarum cognitioni destinati computantur l)*. Regulariter in actibus ciuilibus, e. g. dilationibus, praescriptionibus etc. tempus continuum est, remediiis vero praetoriis in regula vtile tempus est statutum *m)*. De mense notandum, quod a ICtis accipiatur pro XXX. diebus.

tempora diuersa.

LIB. II. TIT. XIII.
DE EDENDO.

§. 1771. EDERE est *actionem vel documenta cum altero communicare*. Editio igitur vel actionis, vel documentorum est. Actionis editio antiquiori iure fiebat, dum actor reo, quem in ius vocabat (§. 1720.), vel statim, vel apud magistratum designabat actionem, qua contra eum experiri volebat *o)*. Iure vero nouo actio per libellum apud magistra-

editio quid sit, et quomodo fiat.

g) REC. IMP. NOVISS. §. 50. C. G. KNORR *de recto dilat. vsu* §. 15 *b)* BERGER *El. disc. for.* tit. 20. obs. 4. p. 589. *i)* L. 8. h. t. *k)* L. 4. §. 5. D. *de statu liberis*. *l)* L. 1. D. *de diuers. tempor. praescr.* L. 55. D. ad *edict. aedil*. *m)* RÜCKER *de ciuili et naturali temporis computatione*. Interdum ex benigna interpretatione annus coeptus pro completo habetur, L. 8. D. *de muneribus et hon.* *n)* L. fin. §. 1. et 2. C. *de iure deliberandi*. adde L. 101. *de R. I.* *o)* L. 1. pr. et §. 1. D. h. t. *Plautus* Pers. IV. 9. v. 9. et *Aulul.* IV. 10. v. 30.

gistratum proponitur *p*), qui deinde eius copiam citationi adiunctam cum reo communicat (§. 1729.), quo magis in termino, vel ad amicabilem compositionem, vel ad responsionem, adesse queat praeparatus.

libellus et actio def,

§. 1772. LIBELLVS est *scriptura, qua actio addito petito congruo iudici proponitur q).* ACTIO vero est *remedium ius suum persequendi in iudicio r).*

actiones praeiudiciales.

§. 1773. Actionum, quae in libello proponuntur, varia sunt genera *s).* Sicuti enim iura, quae actione persequimur, vel ex statu hominum nascuntur, vel intuitu rerum competunt: ita quoque actiones vel ex statu hominis, vel intuitu rerum oriuntur. Actiones ex statu personarum oriundae, PRAEIVDICIALES vocantur, et sunt vel AFFIRMATIVAE, *quibus ius pro statu, quo viuimus, competens persequimur*; vel NEGATIVAE, *quibus alteri statum, vel ius ex statu, quod sibi in nostrum praeiudicium tribuit, negamus t).*

reales, personales, in rem scriptae

§. 1774. Quae ex iure rerum nascuntur actiones sunt vel REALES, *per quas res nostras a quolibet earum possessore petimus*; vel PERSONALES, *quibus cum eo agimus, qui obligatus est nobis ad dandum vel faciendum.* Reales actiones, *vindicationis*, et personales *condictio-*

p) AVTH. *offeratur.* C *de litis contest.* Nou. 53. c. 3. X. *de libello oblat.* q) Hanc scripturam actor vel ipse iudici exhibet, vel iudex actionem nuncupatiue propositam adiecta scribit. Omnis igitur libellus in se consideratus est scriptus, aut ratione modi, quo actor suam exposuit intentionem, diuidi potest in scriptum et nuncupatiuum. r) L. 51. D. *de obligat. et action.* s) BOEHMER *doctr. de actionib.* R. BACHOVIVS *de actionibus.* t) §. 13. Inst. *de actionibus.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0256
DFG

dictionis nomine veniunt *u)*. Dantur quoque actiones MIXTAE, *quae partim ex iure reali, partim ex iure personali, nascuntur.* Et hae simul cum persequutione eius, quod nostrum est, personales quoque praestationes pro obiecto habent. Reales et mixtae, quia per eas a possessore rem nostram petimus, semper aduersus eum sunt instituendae, qui possidet. Personales personam, quae obligata est, non egrediuntur. A realibus vero actionibus differunt illae, quarum formula ad exemplum actionum realium concepta seu scripta erat, ideoque in REM SCRIPTAE dicuntur: quales sunt *actiones, quae stricte quidem non ex iure reali ast ex aequitate, qua res certo modo actoris esse creditur, aduersus quemlibet rei possessorem institui queunt x).*

§. 1775.[h] Actiones personales rursus vel ex *lege immediate, vel interueniente facto obligatorio* competunt. Illae DATIVAE, hae NATIVAE vocari solent. Natiuae vel ex *conuentione* vel ex *facto illicito* nascuntur. Quae ex conuentione sunt, eo tendunt, vt alter suae satisfaciat obligationi. Haec vero vel ex ipsa conuentione ab initio statim adest, vel per accidens post conuentionem demum existit. *Actiones, eo tendentes, vt reus satisfaciat obligationi, quae ab initio ex ipsa conuentione statim adest,* dicuntur DIRECTAE. *Actiones, quae post conuentionem ob damnum intuitu conuentionis alteri illatum nascuntur, et ad indemnitatem consequendam tendunt,* dicuntur CONTRARIAE. Porro, prout vel certam pecuniam, vel incertam, arbitrio iudicis determi-

actiones personales ex facto licito.

§ 2. J. de Act

u) L. 25. D. *de oblig. et actionibus.* *x)* GASSER *de actionibus in rem scriptis.*

terminandam petimus, actiones sunt vel *certae*, vel *arbitrariae y)*.

ex delicto.

§. 1776. Quae ex facto illicito nascuntur actiones, vel ad satisfactionem reipublicae, seu poenam publicam tendunt, et *accusationes* vocari solent, vel actor suum solummodo ius persequitur. Et hae rursus, vel *ad rem quae debetur*, vel *ad poenam actori applicandam*, vel *ad vtrumque tendunt*, et inde sunt vel *rei persequutoriae*, vel *poenales*, vel *mixtae*.

act. diuis. ratione obiecti.

§. 1777. Ratione *obiecti* actiones sunt vel VNIVERSALES, *quibus vniuersitatem iuris*, haereditarium nempe ius, *persequimur*, vel SPECIALES, *quae ad rem certam et in ipso libello satis determinatam tendunt*, vel GENERALES, *quibus plures res, quae in libello satis determinari non possunt, petimus*, e. g. actio tutelae, pro socio, negotiorum gestorum.

ratione originis.

§. 1778. Quoad *originem* actiones, prout vel ex lege ciuili, vel ex praetorum edictis descendunt, sunt vel *ciuiles*, vel *praetoriae*. Illae, vel in ipsis legum verbis, vel saltim in earum ratione fundatae, vel ex mera aequitate introductae sunt. Hae, in factum, illae, *vtiles*, istae *directae* dicuntur. Tandem ratione *durationis* actiones sunt vel *perpetuae*, vel *temporariae*. PERPETVAE sunt, *quae per XXX. annos, seu longius adhuc tempus, durant*. TEMPORARIAE vero sunt, *quae ante lapsum XXX. annorum extinguuntur*. De actionibus bonae fidei et stricti iuris, duplicibus, adiectitiae qualitatis alibi.

quomodo libellus formetur.

§. 1779. Per libellum iudici propono meam actionem (§. 1772.), et sic meum ius apud magistratum persequor (§. 1772.). Persequi

y) CICERO *pro Roscio Amer.* cap. 4. PVFENDORF T. II. obs. 41.

sequi suum ius, est petere a magistratu, vt reum cogat, ad praestandum id, quod actor iure ab eo exigere potest. Omnis igitur libellus continere debet petitum. Quod causam habeat iustificatoriam, necesse est. CAVSA IVSTIFICATORIA z) est *causa a lege approbata, ex qua constat, cur tali modo, vt in libello factum, formari poterit petitum.* Constat autem de causa iustificatoria, si in libello iudici factum ita proponitur, vt ex eius comparatione cum iure, a iudice instituta, actoris ius, seu facultas exigendi ea, quae petuntur, pateat. Hinc libellus tribus absoluitur capitibus, 1) facti narratione, 2) iuris expositione, et 3) petitione iuris et facto congrua.

§. 1786. Primo igitur libellus contineat *facti narrationem* et quidem simplicem, non per articulos conceptam, quia leges in ciuilibus causis *libellum articulatum* prohibent *a)*. Ita vero factum est proponendum, vt nulla quidem facti circumstantia, quae ad fundandum ius necessario requiritur, omittatur, ast ab impertinentibus et irreleuantibus circumstantiis actor abstineat, imo nec ea, quae ad destruendas exceptiones faciunt, libello immiscat, nisi forsan praeuideat, sibi obstare exceptionem, a cuius remotione ius agendi pendet *b)*, vel talem, quae in continenti liquida

continere debet factum.

z) Hanc quoque *medium concludendi, fundamentum intentionis, iustificatoriam actionis rationem* vocare solent. *a) Rec. imp. nouiss.* §. 34. et 64. Differt autem ab articulato libellus, in quo factum sub certis numeris distinctum proponitur, LEYSER sp. 36. m. 1. In criminalibus ferunt libellum articulatum. CARPZOV. *pr. crim.* P. III. qu. 113. n. 22. *b)* v. g. implementi non secuti.

quida actionem penitus destruit *c*). Porro quoque in facti expositione obseruanda est *perspicuitas*, vt de ipso statu controuersiae et obiecto litis nulla sit dubitatio, ideoque litis obiectum accurate est designandum *d*).

ius. §. 1781.ª Deinde libellus contineat *ius* seu *facultatem exigendi ea, quae petuntur*. Haecce facultas ex lege quidem fluit, et cognoscitur, ast, quia iura nouit curia, non necesse est, vt in libello leges allegentur *e*), imo allegatae non indigent probatione *f*), nisi forsan fundamentum actionis in iure speciali, seu consuetudine sit positum. Iura enim specialia et consuetudinaria sunt alleganda et negata probanda.

causa iustificatoria. §. 1782.ᵇ Libellus continere debet causam petiti iustificatoriam (§. 1779.). Haec in actionibus personalibus adferenda est *specialis*, ideoque non sufficit ita egisse: *aio reum mihi centum debere ex contractu:* sed exprimendum est genus contractus seu negotii ex quo debetur *g*). In actionibus vero realibus sufficit speciem iuris realis, ex quo agitur, allegare, quamvis non exprimatur causa, ex qua ius reale actor habet adquisitum *h*). Ex consilii tamen ratione est, adiungere adquisitionis causam, seu titulum, vt, si causa ceciderim, possim ex alio titulo agere, nec mihi obstet rei iudicatae exceptio *i*).

§. 1783.

c) BERGER *oecon iur.* lib. IV. tit. 15. §. 2. n. 3. ESTOR gemeinen und Reichs-Proceß. p. 36. *d*) L. 6. D. *de rei vindicat.* *e*) *Rec. imp.* de anno 1654. §. 56. *f*) WERNHER P. I. obs. 316. P. VII. obs. 250. *g*) L. 14. §. 2. D. *de exceptione rei iudicatae.* *h*) L. 11. §. 2. et L. 14. §. 2. D. *de exceptione rei iudicatae.* *i*) L. 11. §. 2. D. *de except. rei iudicatae.* BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 15. th. 2. n. 2. GAIL, *obseru.* I. 16.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0260
DFG

§. 1783. Tertio libellus habeat petitum, quod non solum secundum naturam et indolem actionis in libello propositae formandum, sed insuper quoque debet esse *certum*, ita vt exinde clare constet, quid actor sibi praestari velit. Admittitur vero *generale* petitum, si ex natura actionis ante litem finitam certitudo haberi nequit *k)*. Alternatiuum quoque petitum toleratur, si rei obligatio est alternatiua *l)*. petitum.

§. 1784. Libello variae addi solent clausulae, quae tamen omnes fere superuacuae sunt. Nec clausula, qua *imploratur nobile officium iudicis m)*, si rem recte perpendis, praestat vtilitatem; quamuis ex erronea, quae in foro seruatur, opinione illi hunc adscribant vsum, vt iudex, cuius nobile officium imploratum est, ea, quae in libello omissa sunt, ast ex aequitate debentur, adiudicare, et libellum non satis curate formatum sustinere queat *n)*. clausulae libell.

§. 1785. *Si plures actiones in vno libello simul proponuntur*, adest CVMVLATIO ACTIONVM, cumulatio actionum.

k) Generale petitum locum habet in iudiciis vniuersalibus, L. 7. D. *si pars haereditatis petatur*. actionibus tutelae, pro socio, et vbi ad interesse seu damnorum resarcitionem agitur, L. 76. § 1. D. *de rei vindicat.* L. 24. D. *de reg. iur.* vt et in causis criminalibus. *l)* BOEHMER *de libellis alternatiuis*. *m)* NOBILE OFFICIVM dicitur, *si magistratus ex officio adiudicat, quae ex aequitate quidem debentur, ast non recte sunt petita*. MERCENARIVM OFFICIVM est, *vbi iudex verbis libelli stricte in iudicando inhaeret*. Apud nos iudicis officium nobile semper locum habet, quamuis non sit imploratum, ~~L. 13. §. 6. C. de iudiciis~~. *n)* CARPZOV. P. I. dec. 49. n. 21. MARTINI *proc. Saxon.* tit. 5. n. 3 sqq. STRYCK *de clausul. libelli salutar.* c. 2. et 3. † Adde tamen BOEHMER *in re eccles.* lib. I. tit. 32. §. 6.

NVM, quae ob formulariam iurisprudentiam non quidem Romano *o*), aſt canonico iure *p*), eſt permiſſa, modo 1) actiones, quae in vno libello coaceruantur, aduerſus vnam eandemque perſonam competant, ſicque obiectiua ſit cumulatio *q*), et 2) actiones, quae cumulantur, ita ſint comparatae, vt in vno proceſſus genere tractari queant, nec 3) vltra numerum lege ſpeciali determinatum cumulentur *r*). Inſuper et actionum ex vno eodemque facto competentium permittitur cumulatio, 1) ſi ita cumulentur, vt vnam poſtea, qua vti velis, eligas *s*), 2) ſi lex ex vno eodemque facto plures actiones ad diuerſa tendentes ſimul concedat *t*). Cumulatio plurium actionum contra diuerſas perſonas competentium ob ſummam, quae inde oritur, confuſionem, non toleratur.

ſupplicatio pro citatione.

§. 1786. Libellum apud nos ſequitur citatio. Hanc vt decernat iudex, cum libello coniungenda eſt, *ſupplicatio pro decernenda citatione*, qua iudicem rogamus, vt reo reſponſionem ad libellum iniungat, et ad eam peragendam praefigat terminum. Haecce ſupplicatio fit vel in ipſo libello, quo petito principali illa praemittitur, vel in ſeparata ſchedula.

§. 1787.

o) L. 6. D. *de exceptione rei iudicatae.* *p*) c. 6. X. *de cauſa proprietatis et poſſeſſ.* BRVNNEMANN *de concurſu et cumulat. actionum.* BOEHMER *doctr. de action.* C. XII. ſect. 3. *q*) WERNHERP III. obſ. 154. *r*) Sic in Saxonia ſolum tres actiones in vno libello coaceruare licet. *Ord proc. Saxon.* tit. V. §. 3. *s*) § 4. Inſt. *quod cum eo, qui in aliena.* L. 17. D. *de praeſcript. verbis.* L. 5. D. *de publ. in rem actione.* *t*) Inde aduerſus debitorem actio hypothecaria et perſonalis ex mutuo recte cumulatur.

§. 1787. Transimus ad editionem documentorum (§. 1771.), seu instrumentorum, Urkunden, quae sunt *scripturae super negotio quodam confectae ad fidem faciendam idoneae.* Duplex autem est documentorum editio. Alia, quae ante, alia, quae post litem contestatam fit. *Ante litem contestatam* documentorum editio eo fit fine, vt reus de actoris intentione certior redatur, sicque deliberare possit, quid sibi expedire videatur. Inde ante litem contestatam 1) actor solum edit, et quidem ea documenta, quae in libello allegauit *u)*, sufficit vero 2) illa in copia 3) quoad passum concernentem *x)*, 4) sine die et consule, vt et subscriptione, edi *y)*. Alia vero ratio est editionis, quae post litis contestationem fit probationis causa. De qua infra. editio docum. ante L.C.

Lib. XLVII. Tit. XXIII.
DE
POPVLARIBVS ACTIONIBVS.

§. 1788. Actiones popvlares sunt, *quae cuilibet ex populo competunt, ob interesse omnibus de populo communez).* Has igitur actiones instituere potest quilibet ex populo, modo ei per edictum postulare liceat *a);* et ex pluribus, qui simul agunt, is praefertur, cuius potissimum interest, et si neminis specialiter interest, praetor eligit idoniorem *b).* Minime vero per procuratorem instituí possunt, nec contra haeredes, nec post annum dantur *c).* Poena vero ipsi actori applicatur, nisi aliud lege sit constitutum.

u) L. 1. §. 3. h. t. *Rec. imp. nou.* §. 35. Leyser sp. 38. m. 5. *x)* L. 10. §. 2. h. t. c. 5. X. *de fiae instr. y)* L. 11. h. t. *z)* L. 1. h. t. *a)* L. 4. h. t. *b)* L. 3. et 4. h. t. *c)* L. 5. 7. 8. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0263
DFG

LIB. XI. TIT. I.
DE
INTERROGATIONIBVS IN IVRE FACIENDIS ET INTERROGATORIIS ACTIONIBVS.

interrogationes earumque effectus apud quem.

§. 1789.[45] INTERROGATIONES in iure sunt *quaestiones, quas vel actor parti aduersae ad instruendam actionem apud magistratum, vel ipse magistratus, vni ex litigantibus proponit, eum in finem, vt quaesitus ad illas respondeat.* Iure Romano interrogationes ex parte actoris hunc praestant vsum, vt actor ab onere probationis se liberet, et plus petitionis poenam euitet *d)*. Interrogatus enim, si non respondet, pro negante habetur, et mendacii conuictus in solidum tenetur, quamuis alias pro parte solum esset obligatus *e)*. Respondens vero, si ea confitetur, quae sunt in actoris intentione, iudicatur secundum suam confessionem *f)*. Si negat, aut deinde de mendacio conuincitur, in solidum tenetur. Exinde *actio confessoria* seu *interrogatoria g)*, tanquam ex quasi contractu nascitur *h)*, quae adiectitiae qualitatis et poenalis est, ideoque contra haeredes non competit *i)*, aut recentiori iure non amplius vsu seruatur *k)*. Non solum vero actor, sed quoque iudex, quoties aequitas hoc exigit, potest interrogare *l)*.

vsus interrogationum apud nos.

§. 1790.[46] In Germania interrogationes apud magistratum non sunt extra vsum. Leges enim imperii *m)* iudici liberum partes interro-

d) L. 39. *de procurator.* L. 7. h. t. §. 33. Inst. *de action.* *e)* L. 11. §. 4. h. t. *f)* L. 13. h. t. *g)* L. 23. §. vlt. L. 25. §. 1. *ad L. Aquiliam.* *h)* L. 11. §. 9. h. t. *i)* L. 26. §. 5. *de noxal. action.* *k)* L. 1. §. 1. h. t. *l)* L. 9. §. 1. L. 21. h. t. *m)* *Rec. imp.* de anno 6154. §. 41.

terrogandi tribuunt arbitrium. Potest quoque actor interrogare, non quidem ad euitandam plus petitionis poenam, aſt ad inſtruendam actionem *n)* et eruendam veritatem.

positiones et ad eos iurata responſio,

§. 1791. Ad interrogationes, quibus veritas eruitur, pertinent POSITIONES. Quae ſunt *propoſitiones ex libello ſeu exceptionibus deſumtae, ad quas a parte aduerſa exigitur ſpecialis reſponſio.* Finis poſitionum eſt, vt, generaliter negata actione vel exceptione, ad ſingulas propoſitiones libelli vel exceptiones oppoſitas fiat ſpecialis reſponſio, ſicque onus probationis in totum vel in tantum euitetur. Quo magis vero reſpondens veritatem confiteatur, is, qui exhibuit poſitiones, praeſtito *iuramento dandorum*, ab eo, qui reſpondere debet, *iuramentum* exigere poteſt *reſpondendorum o).*

quomodo formandae, exhibendae earumque effectus, ſi negatae,

§. 1792. Sicuti vero poſitiones ſunt propoſitiones ex libello generaliter negato, vel exceptionibus negatis deſumtae; ita per ſe quoque patet, illas poſt litis conteſtationem generalem demum eſſe offerendas, iisque plus ineſſe haud poſſe, quam in libello, vel exceptionibus oppoſitis continetur. Porro quoque poſitiones diſtincte et ſpecialiter formari, et cum altera parte communicari debent, quo magis in termino ad reſpondendum praefixo comparere queat praeparatus. In ipſo vero termino citatus aut reſpondet, aut non. Hoc caſu, contumacia coercetur poena confeſſi

n) Sic e. gr. actor ignorans, an aliquis ſit haeres, et ex quanam parte, vt et, an alter poſſideat, et in quanam qualitate? reum in iure poteſt interrogare, L. 3. et 7. h. t. HOMMEL *de interrogat. in iure faciendis hodie non ſublatis.* *o)* *Rec. imp. nouiſſ.* §. 41. et 49.

et convicti *p)*. Illo casu, si interrogatus positiones affirmat, ponens ab onere probandi liberatur. Si vero negat, ille, qui exhibuit positiones, probationem adhuc subire potest negatorum *q)*.

§. 1793. Positiones, licet in camera imperiali vsu adhuc seruentur *r)*, in pluribus tamen Germaniae prouinciis et speciatim in Saxonia ob metum periurii sunt abrogatae, et earum loco specialis litis contestatio est recepta *s)*.

LIB. IX. TIT. II.

DE QVIBVS REBVS AD EVNDEM IVDICEM EATVR.

connexitas causarum.

§. 1194. Actio ad exhibendum et interrogationes in iure sunt praeparatoria iudicia, quibus finitis, principale sequitur in eodem iudicio tractandum, ob causarum continentiam. Adest autem CONTINENTIA CAVSARVM, *si plures causae commode a se inuicem separari et in diuersis iudiciis tractari nequeunt.* Oritur haec continentia vel ex *identitate*, vel ex *connexitate causarum t)*.

identitas.

§. 1795. IDENTITAS CAVSARVM est, *quando ex vno eodemque fundamento aduersus plures res vel personas actio competit.* Sic in casu, quo aduersus plures tutores, haeredes, socios, vel ex iure hypothecae in fundis sub diversis iuris-

p) Haec omnia illustrat STRYCK *V.M.* h.t. MEIER *de positionibus.* adde *Ordin.camer.imp.* P.III.tit.15. *Rec. imp. nou.* §.41. *q)* *Clem.saepe.* de V.S. GAIL lib. I. obs. 71. n. 3. *r)* *Rec. imp. nouiss.* §. 41. *s)* LEYSER sp. 121. m. 3. sqq. *t)* Iure Rom. forum continentiae causarum multis subesse dubiis, statuit BACH *de caussis coniunctis earumque foro competente.*

iurisdictionibus sitis, agitur, identitas adest *u*). Ob hancce identitatem, ne lites earumque sumtus praeter necessitatem multiplicentur, plures rei, quamuis diuersa habeant fora, coram vno iudice superiore communi, neglecta prima instantia, possunt et debent conueniri, modo adsit iudex communis superior. Hoc enim deficiente, actio est diuidenda *x*).

connexitas.

§. 1796. CONNEXITAS causae adest, quando causae diuersae ita sunt comparatae, *vt vna ex altera fundamentum decisionis repetat.* Talis connexitas adest, 1) si vna actio alteri praeiudicium facit, e. gr. possessorium et petitorium *y*), 2) si vna actio alteri accedit, e. gr. interuentio, litis denuntiatio, concursus creditorum, 3) si vna causa alterius fundamentum struit, e. gr. causa principalis struit fundamentum, ex quo aduocatus petit salarium *z*). Ob hancce connexitatem causae coram vno eodemque iudice sunt tractandae, modo in iudice non deficiat ea iurisdictionis species, ad quam altera causa pertinet.

u) L. 10. C. *de iudiciis.* L. 1. et 2. h. t. L. 5. C. *arbitr. tutelae.* GAIL. lib. I. obs. 32. n. 5. CARRACH *de foro continentiae causarum ex identitate.* *x*) BRANDT *de continentia causae, quatenus praetermissis australegis fundet iurisdictionem cam. imp.* In causa clericum et laicum simul concernente consistorium creduna forum esse commune, LVDOVICI *proc. consist.* c. V. §. 13. *y*) c. 1. X. *de causa possess. et propriet.* GAIL. lib. I. obs. 1. FRIDERVS *de continentia causar.* cap. V. §. 15. *z*) A. L. C. SCHMID *de generibus continentiae causarum genuinis.* CARRACH *de foro continentiae caus. ex connexitate.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0267
DFG

Lib. IV. Tit. VIII.

DE RECEPTIS ET QVI ARBITRIVM RECEPERVNT, VT SENTENTIAM DICANT.

arbitri definitio. eiusque differentia ab arbitro iuris et arbitratore.

§. 1797. Litigantes interdum eligunt personam quandam, cuius decisioni litem, quam inter se habent, committunt. Huiusmodi *persona conuentione litigantium electa, vt causa cognita litem sententia sua dirimat*, dicitur ARBITER *a)*. Arbiter igitur constituitur priuato litigantium arbitrio. Hinc differt ab arbitro iuris, quippe qui publica auctoritate ad decidendas actiones arbitrarias a praetore constituebatur *b)*. Differt quoque ab arbitratore, qui in casu non controuerso ex partium conuentione aliquid ex aequo et bono determinare debet, cuiusque arbitrium vim decisionis non habet, et reductionem ad arbitrium boni viri admittit *c)*.

quinam arbitri esse queant.

§. 1798. Arbiter cognoscit causam, et litem sententia dirimit (§. 1797.). Idem quoque facit iudex. Hinc arbiter instar iudicis est, a quo nonnisi in eo differt, quod non publica auctoritate, sed priuato arbitrio sit constitutus. Inde arbitri solum illi esse queunt, qui causas controuersas cognoscendi, easque iudicandi gaudent habilitate *d)*. Iudici quoque ordinario arbitrium potest deferri *e)*.

eius constitutio compromissum et receptum requirit.

§. 1799. Arbiter mediante conuentione constituitur (§. 1797.). Et quidem duplicem requirit conuentionem arbitri constitutio. Ne-

a) L. 13. §. 2. h. t. *b)* L. 12. *de legatis* 3. L. 37 *de fideic. libertat.* L. 47 §. 2. eodem. *c)* L. 25. *locati.* L. fin. C. *de contr. emt* L. 76. *pro socio.* *d)* Regulariter foeminae, surdi, muti, pupilli non possunt esse arbitri, L. 9. §. 1 et L. vlt. C. h. t. *e)* L. 3. fin. L. 4. h. t. c. 5. et 10. X. h. t.

Neceſſe enim eſt, *vt non ſolum partes inter ſe de arbitro eligendo*, ſed quoque *cum arbitro de ſuſcipiendis iudicis partibus conueniant.* Prioris generis conuentio, COMPROMISSVM *f)*, poſterioris vero RECEPTVM dicitur.

§. 1800. Compromiſſum fit per conuentionem, ſicuti vero conuentio a libero paciſcentium arbitrio pendet, ita quoque compromiſſum eſt liberi arbitrii. Aliquando tamen ex legis ſeu pacti diſpoſitione arbiter neceſſario eſt eligendus *g)*. Et inde arbitri ſunt vel *voluntarii*, vel *neceſſarii*. Poſterioris generis apud nos in Germania ſunt *Auſtregae*. ſunt vel voluntarii vel neceſſarii.

§. 1801. Compromiſſum continet conuentionem de cauſa litigioſa (§. 1799. 1797.) ſicque ad ſpecies transactionis poteſt referri, de iis igitur rebus et inter eas perſonas fit, de quibus et inter quas tranſigere licet, quiue de re, ſuper qua arbiter eligitur, diſponere queunt. Inde non compromittunt 1) procurator in praeiudicium principalis non conſentientis *h)*, 2) vaſallus in praeiudicium domini directi *i)*, 3) praelatus de rebus eccleſiae absque capituli conſenſu *k)*. Porro quoque 4) non valet compromiſſum de ſatisfactione publica propter delictum praeſtanda, nec 5) de cauſis matrimonii vinculum concernentibus. compromiſſum eſt ſpecies transact. inde determ. quinam compromittere poſſint.

§. 1802. Compromittitur autem vel in unum, vel in plures. Si in plures, tunc quid, ſi plures arbitri diſſentiunt.

R 5 neu-

f) LYNCKER *de compromiſſo.* *g)* L. 5. pr. C *de recept. arbitr.* L. 16 C. *de iudic.* c. 14. X. *de appellat.* c. 39. X. *de offic. ind. deleg.* *h)* ZVFALL diff. *arbitror Rom. et Germ.* SIEGEL *de arbitrio ex iuribus Rom. et Germ. illuſtrato.* *i)* c. 9. X. h.t. *k)* II. F. 15. 35. 46. adde HELLFELD. *El. iur. feud.* §. 472. *l)* c. 1. X. *de his, quae fiunt a capitul.*

neuter abesse potest *m*), nisi sub clausula sammt und= seu sammt oder sonders sint constituti (§. 1701.). Vbi inter plures arbitros dissensus oritur, standum est maiori parti *n*). Si vero paria sunt vota, dissensus vel in quantitate existit, vel in ipsa causa. Priori casu, condemnatio fit in minimam summam *o*), posteriori casu, aut tertius, qui dissensum tollat, eligendus *p*), aut, quod hodie fieri solet, acta cum dissentientium arbitrorum votis ad collegium ICtorum transmitti queunt.

ordo, quo causa tractatur.

§. 1803. Causae decisionem praecedere debet legitima eius cognitio, quae ab ipso arbitro, cum personae industria sit electa, fieri debet, non per substitutum *q*). In cognoscenda vero causa legitimus seruari debet ordo. Et quidem si ordo compromisso determinatus, huic standum est *r*). Si nil determinatum, partes ordinationi processus, quae in rei fero obtinet, se conformare voluisse, credendum est *s*).

laudum definitiuum eiusque effectus.

§. 1804. *Causae decisio ab arbitro facta* vocatur LAVDVM *t*). Huiusmodi sententia obligat ex compromisso, illique standum est, siue iusta, siue iniusta sit *u*), neque reductio ad boni viri arbitrium locum habet, immo nec arbiter eam mutare, bene vero declarare potest *x*), nec remedia suspensiua, in compromisso haud reseruata, admittuntur *y*). Quod tamen a Iustiniano quodammodo mutatum, quippe qui arbitri sententiam

m) L. 17. §. 7. et 18. h. t. *n*) L. 17. §. 7. et L. 27 §. 3. h. t. *o*) L. 27 §. 3. h. t. *p*) L. 17. §. 6. h. t. c. 39. X. *de officio et potest. iudic. deleg.* addatur Ill. G. L. BOEHMER *de superarbitris* §. Obman. *q*) L. 32. §. 16. h. t. *r*) L. 32. §. 15. h. t. *s*) L. 1. h. t. *t*) WAGNER *de laudo*. *u*) L. 27. h. t. *x*) L. 76. *pro socio*. L. 19. fin. h. t. *y*) L. 1. C. h. t.

tiam tum demum ad executionem perduci voluit, si a partibus subscripta vel decendii lapsu confirmata z), quod *homologatum* vocant *arbitrium*. Hodie vero, cum omnia pacta obligant, standum est sententiae simpliciter, nisi forsan compromissum in se nullum, vel sub poena conuentionali sit initum. Hoc enim casu, poena soluta, ab obligatione liberatur condemnatus (§. 1103.). Insuper quoque laudum non valet, si in falsa causa nititur, 2) iuri constituto contrarium est, 3) ius ex re iudicata quaesitum aufert, 4) omissis processus substantialibus decidit, 5) a forma compromisso determinata recedit *a*).

executio laudi.

§. 1885. Arbiter publicam non habet auctoritatem, sed priuatus est (§. 1798.). Sicut vero priuato non competit ius exequendi; ita quoque arbiter laudum a se pronuntiatum executioni mandare nequit, sed iudex condemnati ordinarius est implorandus, mediante actione in factum, vt sententiam ab arbitrio dictam exequatur *b*).

corruit compromissum.

§. 1886. Quia arbitri electio fit ex singulari personae fiducia; compromissum corruit, 1) *morte arbitri*, etiam vnius ex pluribus coniunctim electis *c*), 2) *morte vnius* ex compromittentibus, nisi haeredum expresse mentio sit facta *d*), 3) si *causa* intra tempus compromisso determinatum *haud finita est*, 4) *consensu* compromittentium mutuo *f*), 5) facta bonorum *cessione* *g*).

z) L. 5. C. h. t. AYRER *de auctoritate arbitrii ex compromisso vim iudicati habentis.* LVDOVICI *de obligat. et effectu laudi.* *a*) c. 5. 6. 11. X. h. t. adde GR. KRAVS *de potestate appellandi iudicem a sententia arbitri.* *b*) L. 5. C. h. t. c. 2. et 4 X. h. t. *c*) L. 32. §. 3. h. t. c. 42. X. *de officio et potest. iud. deleg.* *d*) L. 27. §. 1. h. t. c. fin. X. h. t. *e*) L. 32. §. 8. h. t. *f*) L. 32. §. 5. h. t. g) L. 17. pr. h. t.

LIB. III. TIT. I.

DE POSTVLANDO.

postulare quis.

§. 1807. POSTVLARE dicitur *is*, *qui vel suo*, *vel alieno nomine a magistratu aliquid petit h)*. Postulant igitur non litigantes solum, sed etiam alii eorum nomine, e. gr. *aduocati*, *procuratores*. De aduocatis hoc titulo agitur.

aduoc. definit.

§. 1808. ADVOCATVS *i)* est *persona vni ex litigantibus in proponenda causae iustitia in iudicio assistens*. Aduocatus igitur 1) assistit vni ex litigantibus, 2) in proponenda iustitia causae.

necessarii sunt aduocati.

§. 1809. Quum non semper vnicuique datum sit, suas ipse orare causas, saepe in iustissima causa ciues, si aduocato vti non liceret, succumberent. Hinc non solum officium aduocati reipublicae vtile *k)*, sed quoque nemo impediendus est, ne aduocato vtatur, quin potius ex officio dandus *l)*, et partibus imperitis, vt aduocato instructi causam proponant, iniungendum est *m)*; imo iudex praecauere debet, ne ex altera parte stent peritissimi *n)*.

eorum officium publicum.

§. 1810. Aduocati vel priuato ausu officium praestant, vel publica auctoritate constituuntur. In plerisque Germaniae prouinciis aduocati officium publica auctoritate demandatur, neminique permittitur, priuato ausu

h) L. 1. §. 2. h.t. *i)* Aduocati dicuntur ab aduocando, quia ad defendendum, assistendum, orandum erant aduocati ab iis, qui eorum assistentia indigebant. SCHVBART *de fatis iurispr. Rom.* lib. II. p. 324. *k)* L. 14. C. *de aduoc. diuers. iudic.* *l)* L. 9. §. 5. D. *de offic. proc.* c. 1. X. *de offic. iudic.* *m)* c. 14. X. *de iudic.* *n)* L. 7. C. h.t.

ausu patrocinium praestare. Hinc apud nos aduocati officium regulariter est publicum *o)*.

aduocat. cogi potest ad officium.

§. 1811. Aduocatus officium publicum gerit. Iam vero quilibet, vt officio suo satisfaciat, cogi potest. Ergo quoque aduocatus cogi potest, vt petentibus patrocinium praestet *p)*, et quidem contra omnes, etiam aduersus magistratum, cui subest *q)*.

quinam aduocati esse queunt.

§. 1812. Quo magis vero aduocatus causam in iudicio rite proponere queat, requiritur, vt non solum iura distincte habeat cognita, sed quoque habitu gaudeat, iura ad facta applicandi, et applicata debito ordine et modo in foro proponendi. Inde ab aduocatura recte arcentur illi, qui iurium sunt imperiti *r)*, vel XVII. annis minores *s)*, vt et clerici *t)*, vel qui ob defectum corporis seu animi causas orare nequeunt, quales sunt surdi *u)*, et coeci *x)*.

quinam excludantur.

§. 1813. Aduocati officium est publicum. Inde arcentur 1) mulieres *y)*, 2) infames, modo infamia sit manifesta *z)*. Porro, quum aduocatus officium praestare debet ad ius obtinendum, non corrumpendum (§. 1808.); prohibentur, aduocati suscipere officium, 3) potentiores *a)*, 4) iudices et arbitri contra sententias a se latas *b)*.

§. 1814.

o) Quamuis vero aduocati officium sit publicum, causae tamen, quarum patrocinium gerit, non semper sunt publicae; ideoque inter aduocatos, qui reipublicae causas, et eos, qui priuatorum lites curant, distinguitur. Illi *aduocati fisci* dicuntur, et plerumque salarium publicum habent, fori priuilegio, et beneficio competentiae gaudent. *p)* L. 7. D. h.t. *q)* LEYSER sp. 48. n. 3. *r)* L. 2. C. h.t. *s)* L. 1. §. 3. h.t. *t)* c. 1. sqq. X. *de postulando*, *u)* L. 1. §. 3. h.t. *x)* L. 1. §. 2. h.t. *y)* L. 1. §. 5. h.t. *z)* L. 1. §. 8. h.t. §. 11. Inst *de except.* *a)* tit. C. *ne liceat potentior.* *b)* L. 6. pr. C. h.t. L. 14. D. *de assessor.*

aduoc. bonam fidem et diligentiam præſtet.

§. 1814. Aduocatus officium, clienti in cauſa iudici proponenda aſſiſtendi, ſuſcipit (§. 1808.). E. quoque aduocatus obligatur, vt clienti bona adſiſtat fide, a dolo et fraude abſtineat *c)*, immo quoque debitam diligentiam, eamque, vbi in re artis verſatur, exactiſſimam praeſtet, aut damnum ferat *d)*.

a conuiciis et cauſa iniuſta abſtineat.

§. 1815. Aduocatus proponere debet cauſae iuſtitiam (§. 1808.). E. cauſam aperte iniuſtam haud defendat *e)*, et a conuitiis abſtineat *f)*, alias arbitraria poena afficitur, et quidem ab eo magiſtratu, coram quo cauſam agit *g)*.

praeuaricator non ſit.

§. 1816. Aduocatus vni ex litigantibus adſiſtit (§. 1808.). Non igitur licet vtrique adſiſtere litiganti. Secus qui facit, praeuaricator eſt, et aduocatione recte interdicitur, vel ad tempus, vel in perpetuum *h)*. Praeterea quoque famam perdit, et arbitrarie punitur.

aduocatus errans.

§. 1817. Quia aduocatus debitam adhibere tenetur diligentiam (§. 1814.), ille quoque in proponendo iure aeque ac facto errores, quantum fieri poteſt, euitare debet. Commiſſum vero errorem, ſi in iure erratum eſt, iudex ex officio corrigit et clienti ſuccurrit *i)*. Error in facto, praeſente cliente com-

c) L. 14. §. 1. C. *de iudic.* L. 9. §. 2. D. *de offic. proconſ.* *d)* L. 2. C. *mandat.* *e)* STRVV *exercit.* V. th. 7. HVBER h. t. §. 11. *f)* L. 6. §. 1. C. h. t. Si vero litis vtilitas expoſcit, non niſi vera obiiciat, verba in factum temperet, et affectui haud indulgeat. LEYSER ſp. 547. *g)* L. vn. *ſi quis ius dic. non obtemp.* C. 1. *de poenis* in 6to. LEYSER ſp. 51. m. 2. ſp. 68. m. 6. MEVIVS P. IX. dec. 108. *h)* L. 6. §. 1. et L. 7. h. t. *i)* tot. tit. C. *vt quae deſunt aduocatis partium, iudex ſuppleat.* BRVNNEMANN *proc. ciuil.* C. V. 11. 14.

commissus, tempestiue, id est, intra triduum, est reuocandus, absente cliente commissus reuocari potest tamdiu, ac res iudicata deest *k*).

§. 1818. Quum nemo suas gratis praestare tenetur operas; aduocatus quoque pro operis praestitis honorarium recte exigit *l*). Quamuis causam amiserit, culpa ipsius haud concurrente *m*). aduoc. honorarium.

§. 1819. Aduocatus recte exigit honorarium, quod vel conuentione determinatum est, vel non. Hoc casu aduocatus laborum liquidationem exhibet, quam iudex secundum taxam, vel hac deficiente, ex arbitrio modificat *n*). Illo casu promissum honorarium est praestandum, nisi forsan legis prohibitio obstet *o*). praestandum vel ad taxam vel secc. conuentionem.

§. 1820. Honorarium aduocati conuentione determinari potest (§. 1819.), et quidem illud vel per auersionem pro omnibus laboribus per totum processum praestandis, vel tanquam annuum salarium promittitur. Priori casu honorarium finito demum processu debetur, nisi forsan ob propriam clientis culpam lis finiri nequeat *p*). Posteriori vero casu debetur annuum salarium, quamuis advocatus operas, salario proportionatas, haud salarium conuent. l, per auersionem l. annuum est.

k) L. 3. C. *de error. aduoc.* BERGER *elect. disc. for.* tit. XXVI. obs. 1. n. 7. LEYSER sp. 48. m. 7. *l*) Equidem L. Cincia, de qua BRVMMERVS in singulari egit commentatione, aliter fuit cautum, at hodie eius dispositio cessat. *m*) arg. L. 10. §. 1. *de neg. gest.* et L. 56. §. vlt. *mandat.* *n*) L. 1. §. 10. D. *de extraordin. cognition.* *o*) Talis prohibitio est in pacto *de litis quota* concepto, L. 5. C. h. t. CONR. VAN ECK *de quota litis.* Contrariam sententiam habet BOEHMER *Resp.* T. II. P. I. p. 169. *Palmarium* promissum, nisi legis prouincialis adsit prohibitio, debetur, LAVTERBACH *de palmario.*

haud praestiterit *q)*, vel anno nondum finito mortuus sit *r)*.

ad illud consequendum actio et retentio competit.

§. 1821. Aduocatus honorarium iure exigit, perfecto (§. 1818.). Cui ad consequendum honorarium competit et actio, et retentio actorum priuatorum, et documentorum, sibi a cliente commissorum. Si actione vtitur aduocatus, causa sine vlla litis ambage tractatur, cum processu ideo non sit opus, quia de eo vel ex pacto, vel ex actis, et de quanto honorarii, ex moderatione iudicis constat, et hinc clienti non nisi solutionis demonstratio supereſt.

iura pauperum.

§. 1822. Ne pauperes auxilio destituantur, illis praeuia paupertatis demonstratione, patrocinium tamdiu, donec ad meliorem peruenerint fortunam, gratis est praestandum *s)*.

LIB. III. TIT. III.

DE PROCVRATORIBVS ET DEFENSORIBVS.

procurator defin.

§. 1823. PROCVRATOR Anwald, Gevollmächtigter, Gewalthaber est, *qui aliena negotia ex mandato domini expedienda suscepit.* Differt a defensore et negotiorum gestore, dum ille iudicialia, hic extraiudicialia alterius negotia *absque mandato* expedit.

mandatum defin. eiusque species.

§. 1824. Mandatum est *contractus consensualis de negotio alterius ex eius voluntate gratis expediendo.* Perficitur igitur mandatum solo consensu, eoque vel *vero* vel *praesumto*, sicque

p) CARPZOV. P. I. C. I. def. 34. *q)* arg. L. 38. §. 1. C. *locati cond.* *r)* L. 1. §. 13. *de extraord. cognit.* L. 15. §. 1. C. *de aduoc. diuers. iudic.* *s)* GAIL. lib. I. obs. 43. n. 11. FINCKELTHAVS obs. 98. n. 6. et 22.

que vel *verum* vel *praesumtum* est. Illud rursus, prout in expresso vel tacito nititur consensu, vel *expressum*, vel *tacitum* est. Tacitum eo casu adest, si sciens dominus negotium suum expediri patitur, minime vero vltra actum, cuius scientiam principalis habet, extendi potest *t*).

mandatum praesumtum quinam habent.

§. 1825. Mandatum praesumtum in consensu nititur ficto (§. 1824.). Fingunt enim interdum leges aliquem habere mandatum. Ratio huius fictionis in eo latet, quod pro aliquo praesumtio militet, eum bona fide omnique diligentia negotium gesturum, sicque fore, vt principalis illud ratihabeat. Talis praesumtio capienda est 1) pro iis, qui principali sunt parentis, vel filii, vel coniugis loco, aut cum eo in secundo gradu cognationis, aut affinitatis sunt coniuncti *u*), 2) pro iis, qui cum principali commune habent interesse, quales sunt litis consortes *x*), et quos regressus tenet, 3) pro iis, qui documenta ad causam pertinentia possident *y*). o.c. P. I. tit. 21 § 2

procur. differt ab aduocato.

§. 1826. Procurator negotia suscipit aliena, et quidem tali modo, vt ipsum repraesentet principalem (§. 1823.). Inde differt ab aduocato, quippe qui non repraesentat clientem, sed praesenti clienti solum in oranda causa adsistit (§. 1807.).

*§. 1847.

t) c. 12. X. *de procuratorib.* LEYSER sp. 53. m. 11. *u*) L. 35. 40. pr. D. et L. 21. C. h. t. quatenus iure comm. maritus in causa vxoris sine mandato in iudicio admittatur, PYFENDORF T. I obs. 12. *x*) L. 2. C. *de consort. eiusd. litis.* in causa vniuersitatis interesse commune concernentibus, membra vniuersitatis litis consortes habentur, STRYCK *V. M.* lib. III. tit. 4. §. 7. *y*) c. 34. X. *de officio et potest. iud. deleg.* Leyser spec 53. § 3.

 Stumpe

procurator iudicialis, extraiudicialis, vniuersalis, particularis

§. 1827. Procurator negotia expedit aliena (§. 1823.), quae, cum vel iudicialia, vel extraiudicialia esse possint, procuratores etiam in *iudiciales* et *extraiudiciales* diuidi solent. Hic de prioribus potissimum agitur. Porro alicui committere possum vel singulare solum negotium, vel omnia mea negotia, et inde procuratores sunt vel *vniuersales*, vel *particulares*.

procurator differt ab actore.

§. 1828. Procurator constituitur a domino negotii. Qui igitur non est dominus, is quoque procuratorem constituere nequit. Illi tamen, quibus a lege seu magistratu data est potestas aliena curandi negotia, ea, quae sibi vi officii expedienda incumbunt, aliis mandare queunt. Sic tutor et curator pupilli seu minoris, pater filii sub potestate sua existentis negotia alteri recte committit z). *Qui vero a non domino ad negotia aliena expedienda constitutus est*, non procurator, sed *actor* dicitur.

procuratores vel publici vel priuati.

§. 1829. Cum ad negotia iudicialia expedienda singularis requiratur habilitas; haud raro imperantis auctoritate quibusdam personis hocce demandatur officium, vt aliena negotia iudicialia ex dominorum voluntate suscipiant. Inde procuratores sunt vel *publici*, vel *priuati*. Illi officium sustinent publicum, vi cuius aliena negotia ex mandato domini suscipere queunt.

quinam pro curatores esse nequeunt.

§. 1830. Procurator iudicialis, de quo hic agimus, datur ad negotia iudicialia expedienda. Inde procuratores constitui queunt omnes, qui habiles sunt ad negotia aliorum in iudicio gerenda. Minime vero admittuntur furiosi, mente capti, infantes, surdi, muti.

z) L. 11. C. h. t. §. 6. I. *de curatoribus*. L. 1. C. *de bonis maternis*.

muti. Simili modo procuratoris iudicialis officium demandari nequit iis, qui inhabiles sunt ad officia publica gerenda, veluti *foeminae a)*, *minores XVIII annis b)*, *immo* iure canonico minores XXV annis *c)*, infames, si manifesta sit infamia *d)*, potentiores *e)*, milites et clerici *f)* a procuratione arcentur.

qui procur. constituunt.

§. 1831. Qui procuratorem constituit, negotium alteri committit, sicque de negotio disponit. Qui igitur solus de re sua disponere nequit, nec solus procuratorem constituit. Inde nec pupillus infantia maior, aut minor solus sine tutoris vel curatoris consensu *g)*, neque foemina Saxonica absque curatore, neque curator solus absque consensu foeminae procuratorem constituit.

plures procur.

§. 1832. Si ad vnum idemque negotium plures dantur procuratores, illi dantur vel clausula sammt und sonders, seu sammt oder sonders adiecta, vel non. Hoc casu vnus absque altero valide haud agit *h)*. Bene vero illo.

procur. in rem suam.

§. 1833. Procurator gerit negotia aliena, et quidem vel in alterius, vel in propriam vtilitatem. *Qui aliena negotia in propriam vtilitatem expedienda suscipit*, dicitur PROCVRATOR *in rem suam*. Qualis est cessionarius, immo et is, quem regressus tenet *i)*.

ad quasnam causas proc. constitui potest.

§. 1834. Procurator expedit negotia aliena. Illa vero negotia procuratorem admittunt,

a) L. 54. D. L. 18. 21. C. h. t. *b)* L. 23. C *de minoribus*. *c)* c. 4. fin. h. t. 6to. *d)* §. vlt. I. *de except.* iuncta L. 6. C. h. t. *e)* tit. C. *ne liceat potent.* *f)* L. 8. §. 2. h. t. Nou. 123. c. 6. *g)* L. 11. C. h. t. *h)* c. 6. *de procuratoribus* in 6to. *i)* L. 4. pr. D. *de re iudicata*. L. 4. C. h. t. L. 17. §. vlt. D. *de iureiur.* GVNDLINGIANA P. VI. n. 2. LAVTERBACH *de procuratore in rem suam.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0279
DFG

tunt, quae per alium expediri queunt. Et quidem in cauſis ciuilibus regulariter procuratorem conſtituere licet *k)*, quamuis ex crimine ad ſatisfactionem agatur priuatam *l)*. Quatenus in criminalibus cauſis admittatur, alibi explicabimus.

inuitis quibus caſibus proc. conſtituatur.

§. 1835. Procurator aliena negotio ſibi commiſſa expedit (§. 1823.). An vero aliquis ſua negotia alteri committere, eaque alter ſuſcipere velit, res eſt arbitrii. Hinc regulariter nemo, vt procurator fiat *m)*, vel procuratorem accipiat, cogitur. Inuiti tamen procuratorem conſtituere tenentur, 1) perſonae illuſtres *n)*, 2) plures litis conſortes *o)*, 3) abſentes a loco iudicii, ex conſuetudine plurium iudiciorum Germanicorum. Et in his caſibus iudex contra eum, qui procuratorem non conſtituit, mandatis poenalibus vtitur, imo procuratorem ex officio conſtituit *p)*.

procurator mandatum exhibeat.

§. 1836. *Qui aliena negotia absque mandato expedit*, FALSVS dicitur *procurator*, eiusque geſta nullitate laborant *q)*, niſi ea principalis tempeſtiue ratihabeat. Ne igitur geſta in iudicio corruant, neceſſe eſt, vt, qui procuratorio agit nomine, ad acta exhibeat mandatum idque plenum. Nam charta blanca vim man-

k) L. 1. §. 2. D. h. t. exceptio eſt 1) in cauſis cambialibus, 2) vbi de amicabili compoſitione ſermo eſt in matrimonialibus, vt et 3) in Saxonia in praeſtatione iuramenti iudicialis. *l)* L. 6. §. 2. D. *de his, qui notantur infamia.* c. 5. X. h. t. *m)* L. 17. C. *de procuratoribus.* Exceptio eſt quoad procuratores publicos. MEVIVS *ad ius Lubec.* P. V. tit. 11. art. 5. MINSINGER cent. IV. obſ. 32. *n)* L. 25. C. *de procuratoribus.* De vſu vero huius legis dubitat BEYER *poſit. ad* D. h. t. n. 16. *o)* L. 5. §. 7. D. *iudic. ſolui.* *p)* HOFFMANN *de procuratore ex officio.* *q)* c. 3. et 4. fin. X. *de procuratoribus.*

mandati non habet, nisi forsan finis mandati ex ea constet, et procurator de exhibendo mandato caueat *r)*.

requisita mandati.

§. 1837. Procurator mandatum ad acta exhibere tenetur (§. 1836.). Huiusmodi mandatum datur a principali vel nuncupatiue, vel in scriptis. Si nuncupatiue mandatum conceditur, necesse est, vt publica auctoritate illud in scripturam redigatur, quo magis de eo ad acta constet. Et quidem super huiusmodi mandato nuncupatiuo vel instrumentum a notario, vel registratura ad acta a iudice conficitur. Vtroque casu illud loqui debet 1) personam constituentis, 2) procuratoris, 3) aduersarii, 4) iudicium, coram quo causa ventilanda, 5) ipsam causam, 6) potestatem procuratori concessam *s)*. Mandata vero in scriptis confecta praeter supra dicta adhuc requirunt 7) subscriptionem mandantis *t)*, 8) clausulam haeredum, cuius effectus est, vt, mortuo forsan pendente lite principali, solenni litis reassumtione haud opus sit *u)*. Sigilli appositio non quidem iure communi, ast interdum prouinciali, requiritur *x)*. Mandatum, in quo vnum vel alterum ex hisce requisitis deficit, insufficiens est.

procur. potestas vel cum vel sine libera.

§. 1838. Quod ad potestatem procuratoris attinet, principalis negotii expeditionem

r) CARPZOV. P. I. const. I. def. 28. STRYCK *introd. ad prax.* c. X. §. 10. *s)* Ea, quae numero 3. 4. 5. 6. posita sunt, in generali mandato exprimi nequeunt. *t)* Qui scribere nescit, a persona publica subscriptionem fieri curet. CARPZOV. *proc.* tit. 5. art. 1. n. 101. STRYCK *de iure analphab.* c. V. n. 15. *u)* *Rec. imp. nouiss.* §. 99. *x)* Ast loco deficientis sigilli sunt verba: In Ermanglung meines Pettschafts. BEYER *ad Pand.* h. t. n. 93. PHILIPPI *ad Proc.* tit. 7. n. 6.

aut libero procuratoris arbitrio commisit, aut expediendo negotio certos limites exacte seruandos praescripsit. Ibi *(generale)* seu *cum libera*, hic *(speciale)* seu *sine libera* potestate est mandatum. Qui generale vel vniuersale habet mandatum, negotium sibi commissum pro arbitrio quidem expedit *y)*, ast nec fiduciam in se positam fallere, nec aliud, quam commissum est, expedire potest negotium. Hinc valent eius acta, donec probetur, principali exinde contra eius intentionem damnum vere esse illatum *z)*. Specialis procurator limites praescriptos exacte seruare tenetur, ea tamen expedire potest, sine quibus actus commissus existentiam nanciscì haud potest.

obligatio procurator.

§. 1839. Procurator, quia negotia aliena commissa habet ex singulari fiducia, illa in propria expedire tenetur persona, nisi substitutio a principali sit permissa *a)*. Porro quoque 1) procurator fiduciam in se positam non debet fallere, sed 2) bona vbiuis fide agere, nihilque ad suam, sed omnia ad mandantis vtilitatem referre, secus qui facit, fit infamis *b)*, 3) negotium commissum debita diligentia, et secundum fines praescriptos expedire et quidem regulariter summam diligentiam praestare tenetur *c)*.

clausulae mandati.

§. 1840. Mandatis variae addi solent clausulae, partim vtiles, partim inutiles. Prioris generis sunt clausula substituendi (§. 1839.), haeredum (§. 1837.), cum libera (§. 1838.), hypothecae bonorum. Posterioris

y) L. 12. D. *de pactis*. L. 17. *de iureiur*. L. 20. D. *de noual*. L. 46. D. h. t. z) L. 58. sq. D. h. t. L. 60. §. 4. *mandati*. a) c. 1. et 3. X. *de procuratoribus* in 6to. b) L. 9. 10. §. 8. et L. 20. D. h. t. c) L. 13. et 21. C. *mandati*.

ris vero generis sunt, clausulae rati, grati, indemnitatis, quippe quae mandato iam insunt, ita, vt principalis, quae mandato conuenienter gesta sunt, ratihabere et indemnitatem praestare teneatur *d*).

quando cautio rati praestanda.

§. 1841. Si quis mandatum, aut insufficiens vel saltim praesumtum habet, probabilitas adest, principalem gesta procuratoris rata habiturum. Quia vero spes ratihabitionis fallere potest, merito a procuratore praesumto cautio rati, et ab eo, qui documenta tantum ad rem facientia producit, vel insufficiens habet mandatum, cautio de exhibendo mandato exigitur. Quomodo hae cautiones praestentur, supra (§. 1746. seqq.) est dictum.

LIB. III. TIT. IV.

QVOD CVIVSQVE VNIVERSITATIS NOMINE VEL CONTRA EAM AGATVR.

Syndicus quis.

§. 1842. Non singuli solum, sed quoque vniuersitates, constituunt procuratorem. *Procurator ab vniuersitate ad eius negotia curanda constitutus*, vocatur SYNDICVS *e*).

vniuersitas non moritur.

§. 1843. Vniuersitas ex pluribus constitit personis, quae finem communem obtinendum sibi proposuerunt. Omnium igitur voluntas et vires in vniuersitate ad vnum tendunt finem. Quamobrem vniuersitas tanquam vna persona et vnum corpus considerari potest. Sicuti vero corpus semper manet idem, licet particulae quaedam decedant et aliae in earum locum succedant; ita quo-

d) L. 12. §. 9. h. t. *e*) L. 1. §. 1. L. 6. §. 3. h. t. L. 1. et L. vlt. §. 13. *de muner. et honor.*

que vniuersitas manet talis, licet eius mutentur membra *f*). Inde est, quod vniuersitas semper maneat, et non moriatur, sed omnibus licet membris mutatis sit eadem *g*).

Idem in syndico, quod in procuratore valet.

§. 1844. Syndicus est procurator (§. 1842.), quidquid igitur de procuratore in genere valet, valet quoque de syndicis. Hinc 1) syndicus negotia vniuersitatis ex eius voluntate expedit (§. 1823.), sicque 2) indiget mandato, eoque expresso. Tunc tamen tacitum locum habet, si omnibus membris conuocatis duae tertiae praesentes negotium vniuersitatis geri scienter patiuntur (§. 1824.), 3) de pluribus syndicis ad vnum idemque negotium datis valent, quae de procuratoribus sunt dicta *h*) (§. 1832.).

quomodo constituatur.

§. 1845. Constituit syndicum vniuersitas, et ad eius constitutionem opus est concluso vniuersitatis. Quod, vt legitime fiat, requiritur, vt omnibus conuocatis vniuersitatis membris, duae tertiae sint praesentes, et ex his maior pars in constitutionem syndici consentiat. Inter membra vniuersitatis sunt quoque pupilli, minores et viduae, quae ad constitutionem syndici respectiue cum suis tutoribus et curatoribus conuocari debent *i*). Rite vero facta praesumitur conuocatio, vbi nemo ex vniuersitate contradicit *k*).

nemo vt syndicus fiat, vniuersitas vero, vt constituat, cogitur.

§. 1846. Quia syndicus est procurator vniuersitatis, omnes, qui procuratores esse possunt, syndici quoque constitui queunt (§. 1830.). Nemo vero, vt syndicus fiat, cogi po-

f) L. 76. D. *de iudiciis.* *g*) Differentiam inter vniuersitatem et societatem vide apud LEYSER spec. 54. m. 3. *h*) L. 1. §. 1. L. 6. §. 3. h. t. L. 1. et vlt. §. 13. *de muner. et honor.* *i*) CARPZOV. P. I. C. 13. def. 8. *k*) LEYSER sp. 54. m. 5. 6.

potest (§. 1835.), quamuis sit membrum vniuersitatis. Vniuersitas tamen, ne actio per plures scissa aduersarium incommodo afficiat, ex necessitate syndicum constituere debet *l)*, et, vt constituat, compelli potest mandatis poenalibus (§. 1835.).

syndicus perpetuus.

§. 1847. Sicuti vero procuratori committi possunt vel omnia, vel quaedam solum negotia; ita quoque syndicus vel generatim ad omnia, vel ad quaedam vniuersitatis negotia constituitur. *Qui ad omnia vniuersitatis negotia constitutus est*, SYNDICVS PERPETVVS vocatur. Huiusmodi syndicus perpetuus constitui quoque potest ab vniuersitate ordinata. Et cum in vniuersitate ordinata membra quaedam cum iurisdictione praesint; plerumque syndicus vniuersitatis ordinatae non solum iura vniuersitatis defendit, sed quoque suo modo ~~participat~~ administrat iurisdictionem vniuersitatis. Qui iurisdictione gaudet, magistratus est (§. 1686.), sicque officium publicum et dignitatem habet. Inde syndicus vniuersitatis ordinatae perpetuus officium gerit publicum, et dignitatem.

quatenus mandato indigeat.

§. 1848. Syndicus perpetuus, quia illi omnia vniuersitatis negotia sunt commissa (§. 1847.), mandatum habet vniuersale (§ 1848.) et speciali non indiget in singulis causis, quae vniuersitatem concernunt. Quod praesertim in syndico vniuersitatis ordinatae perpetuo obtinet *m)*, qui tamen res magni praeiudicii sine speciali mandato vel ratihabitione expedire nequit.

syndicatus instrum.

§. 1849. Syndicus mandato debet esse instructus (§. 1844.), quod *si in scriptis conceptum*

l) L. 1. 2. 3. h. t. L. 5. §. 7. *iudic. solui.* *m)* c. 9. X. *de procuratoribus.* BERLICH P. I. concl. 14. n. 99.

tum est, vocatur SYNDICATVS INSTRVMENTVM, *ein Syndicat*. Huiusmodi instrumentum ea, quae in mandato requiruntur, et supra (§. 1837.) sunt exposita, continere debet. Clausula tamen haeredum, quia non singuli, sed totum corpus, quod haud moritur (§. 1843), syndicum constituit, non est necessaria *n*), licet inseri soleat clausula: für unsere Nachkommen.

quomodo rite conficiatur.

§. 1850. Sicuti vero mandatum, ita quoque instrum. syndicatus, loqui debet personam constituentis (§. 1807.). Quae cum sit vniuersitas, cuius concluſa formam (§. 93.) expositam requirunt; instrumentum quoque syndicatus ita conficiendum est, vt exinde constet certo, omnia vniuersitatis membra esse conuocata, et duas praesentes fuisse tertias, et ex his maiorem partem in syndici constitutionem consensisse. Iam vero de his omnibus certo non potest constare, nisi publicum iudicis vel saltim notarii de legitime facta constitutione adsit testimonium instrumento insertum, vel omnia vniuersitatis membra mandatum, simul cum tutoribus et curatoribus, quorum legitimatio itidem adducenda est, subscripserint (§. 1845.). In vniuersitate ordinata sufficit consensus eorum, qui dirigunt et praesunt, nisi forsan negotium sit tale, quod ex pacto seu consuetudine omnium membrorum conuocationem desiderat. Et quia vniuersitas ordinata iurisdictione gaudet (§. 90.), testimonium eorum, qui praesunt vniuersitati, sigillo vniuersitatis munitum, de legitime facta syndici constitutione fidem habet

n) Maiore vniuersitatis parte morte extincta, nouo syndicatus instrumento non est opus LEYSER sp. 54. m. 13. dissentit CARPZOV. P. I. C. 13. def. 10.

bet publicam *o)*. Imo syndicatus instrumentum sigillo vniuersitatis munitum absque vlteriori subscriptione valere statuunt *p)*.

LIB. XLIV. TIT. I.
DE
EXCEPTIONIBVS, PRAESCRIPTIONIBVS ET PRAEIVDICIIS.

§. 1851. EXCEPTIO in generali sensu est *allegatio iuris seu facti, quo alterius intentio eliditur*, sicque non solum de reo, sed quoque de actore dicitur, quod excipiat, dum replicat contra rei exceptionem *q)*. In specie vero reus excipere dicitur. Et hoc sensu EXCEPTIO definiri potest, quod sit *allegatio momenti cuiusdam, quo actoris intentio excluditur r)*. definitio.

§. 1852. Diuiduntur exceptiones in eas, quae *iuris*, et eas, quae *facti* sunt. Exceptiones IVRIS sunt, *quas lex ob aequitatis rationem ex ipso facto, ex quo actio nata est, concedit.* Exceptiones FACTI dicuntur, *quae actionem in se competentem ob nouum quoddam factum existens destruunt.* Exceptio iuris, nisi facti quid admixtum habeat, probatione non indiget, sed actorem statim a limine iudicii repellit. Exceptio facti, quia nouum allegat factum, in casu, quo hoc ab actore negatur, est probanda (§. 1272), sicque reum ab obligatione litem contestandi, nisi in continenti sit liquida, haud liberat. exceptio est vel iuris vel facti.

§. 1853.

o) CARPZOV. lib. III. resp. 9. RIVIN. *enunc.* tit. 7. arg. 36. CHLADENII *singularia de syndicis et instrumento syndicatus.* LAVTERBACH *de syndicis.* ZIEGLER *de constitut. syndici.* HEIMBVRG *de eo, quod circa facta vniuersitatum licita iustum est.* *p)* CARPZOV. P. I. decis. 28. LAVTERBACH diss. citata §. 76. *q)* L. 2. §. 1. L. 22. §. 3. h. t. *r)* L. 2. pr. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0287
DFG

except. sunt l. dilatoriae, l. peremtoriae, h. mixtae, vt et litis ingressum impedientes.

41 §. 1853. Exceptio actoris intentionem excludit (§. 1851.), et quidem vel ad tempus, vel in perpetuum. Illae, *quia litem solum differunt*, DILATORIAE, hae vero, *quia litem in totum, vel in tantum perimunt*, PEREMTORIAE vocantur *s*). Ex dilatoriis quaedam actoris intentionem per accidens in totum vel in tantum perimunt, e. gr. *exceptio excussionis, nondum existentis conditionis* etc. et hae MIXTAE dicuntur. *Peremtoriae, de quarum fundamento in continenti ex partis aduersae confessione seu instrumentis indubiis constat*, LITIS INGRESSVM IMPEDIENTES sunt, et liberant ab obligatione litem contestandi *t*).

fori declinatoriae.

42 § 1854. Exceptiones dilatoriae differunt litem (§. 1853.). Et quidem vel ideo, *quia iudici obstat impedimentum, ob quod causam cognoscere nequit*, vel ideo, *quia aliquid deest, quod ad processus integritatem requiritur*. Prioris generis, FORI DECLINATORIAE in specie tales, vocantur. Fori declinatoriae sunt iudicis 1) *inhabilis*, quando iudex ob defectum corporis, animi, vel status, iudicare nequit, 2) *incompetentis*, quando iudex illam iurisdictionis speciem, quam causa requirit, non habet (§. 1641.), 3) *suspecti*, de qua (§. 1640.), 4) *litis pendentiae*, quando vnus idemque actor ex vna eademque causa, de qua lis in iudicio iam pendet, aliquem conuenit, 5) *praeuentionis*, quando reus iam coram alio iudice contra actorem ex eadem causa actionem instituit,

s) L. 2. §. 4. h. t. *t*) In praxi non sequimur c. 1. *de litis contest.* in 6to, quod solum exceptiones rei iudicatae, transactae et finitae, tanquam litis ingressum impedientes, admittit. BRVNNEM. *proc. ciuil.* C. 16. n. 5. BLVM. *proc. cam.* tit. 69. n. 24. sqq. quaenam exceptiones sunt in continenti liquidae, vide LEYSER sp. 513. m. 5. sqq.

ſtituit, 6) *primae inſtantiae*, ſi reus, praeterito iudice inferiore, ſtatim ad ſuperiorem vocatur.

dilatoriae.

§. 1855. Exceptiones dilatoriae in ſpecie tales concernunt iudicii integritatem (§. 1853.) et quatuor claſſes conſtituunt *u*). Aliae *partium litigantium perſonas concernunt*, quo ſpectat exceptio inhabilitatis, legitimationis, vel ad cauſam, vel ad proceſſum *x*). Aliae *cautionis* praeſtationem, aliae *libelli formam*, aliae *modum procedendi* reſpiciunt.

dilatoriae opponendae ſunt ante litis conteſt. ſpecifice, et liquidae eſſe debent, non tamen a L. C. liberant.

§. 1856. Exceptiones dilatoriae differunt litem (§. 1853.). Hinc 1) opponendae ſunt, antequam cepta, id eſt, conteſtata ſit lis, poſtea non admittuntur, niſi vel nouiter emergant, et ad notitiam rei perueniant *y*), vel earum omiſſio iudicium nullum reddat *z*), vel mixtam habeant naturam (§. 1853.), 2) locum habent, ſi lis adhuc differri poteſt, et litis conteſtatio nondum ſub praeiudicio eſt iniuncta, ſicque regulariter in primo termino ſunt opponendae *tz*), 3) a litis conteſtatione euentuali non liberant (§. 1634.), niſi tales ſint, quae fundatae efficiunt, vt proceſſus cepto modo plane ſubſiſtere nequeat *a*), 4) ſi actori, vt remoueat has exceptiones, a iudice iniunctum eſt, ante omnia iis ſatisfieri debet, et cauſa principalis, donec ſatisfactum, ſiſtitur. Porro, cum ante litis conteſtationem probatio non admittatur, ſequitur, vt 5) hae exceptiones non turbidae, ſed ſtatim pro-

u) FRISEN diſp. *de ordin. oppon. exception.* RIVIN. *ſpec. exception.* *x*) legitimatione ad cauſam indiget, *qui proprio nomine ex perſona tamen tertii litem inſtituit. Legitimatio ad proceſſum requiritur, ſi quis alieno nomine in iudicio comparet.* *y*) c. 4. X. h.t. c. 32. *de teſtibus.* *z*) c. 4. f. X. *de procurator.* *tz*) REG. IMP. de 1654. §. 38. *a*) REC. IMP. de 1654. §. 40.

probabiles esse debeant, sicque de earum fundamento ex ipsis actis constet, inde quoque 6) non in genere allegandae, sed specifice sunt exponendae.

exceptiones negatiuae.

§. 1857. Ad mixtas referri quoque possunt exceptiones NEGATIVAE, *quibus negamus factum, quod ad fundandam actionem necessarium, in libello vero omissum est.* Spectat huc exceptio *non numeratae pecuniae, non adimpleti contractus.* Huiusmodi exceptiones, quia solum negant factum, onus probandi in actorem deuoluunt, ita, vt reus tamdiu, donec remotae sint, litem contestari non obligetur. Inde consilii est, replicam ad has exceptiones ipsi inferere libello (§. 1780.).

peremtoriae exceptiones

§. 1858. Peremtoriae exceptiones diuiduntur 1) *in temporarias*, quae lapsu determinati a lege temporis expirant *b)*, et *perpetuas*, quae temporis lapsu non exciuduntur. Illae per modum actionis quoque proponi possunt, 2) *in personales*, quae ex singulari personae fauore sunt concessae, sicque nec haeredi, nec tertio prosunt, et *reales*, quae ipsi negotio ex sua cohaerent natura, sicque haeredibus quoque competunt *c)*; 3) *in generales*, quae plures diuersi generis exceptiones tamquam species comprehendunt *d)*, et *speciales*, quarum nomen statim significat causam, ex qua actio destrui potest. Generales exceptiones, nisi per speciales determinentur, causam, ex qua actio destruitur, non determinant, sicque actorem mediis se defendendi priuant. Hinc iudex eas aut negligere *e)*, aut

b) e. g. non numeratae pecuniae, dotis, pacti temporalis, L. 3. h. t. *c)* L. 7. pr. §. 1. L. 19. h. t. L. 16. 17. *de re iudicata.* *d)* e. gr. rei non sic sed aliter gestae, non competentis actionis, non fundatae intentionis. *e)* WERNHER P. IV. obs. 152.

aut ſpecialem earum probationem reo iniungere, ſimulque actori reprobationem reſeruare debet *f)*.

omnes ſimul litit conteſtat. adiiciendæ, quaedam vero poſt L.C. admittuntur.

§. 1859. Exceptiones peremtoriae actoris intentionem in totum deſtruunt (§. 1853.). Sicuti vero plures eſſe poſſunt cauſae, quae actionem deſtruunt, ita quoque non eſt dubium, plures exceptiones peremtorias ſimul admitti *g)*, licet ſibi inuicem contrariae videantur. Deinde, cum iudex in facto nil ſupplere poſſit, exceptiones facti realiter ſunt opponendae, et quidem non ſucceſſiue, ſed omnes ſimul litis conteſtationi ſunt adiiciendae. Quae litis conteſtationi non ſunt adiectae, poſtea non admittuntur *h)*, niſi nouiter emergant, et reus earum ignorantiam iureiurando confirmet *i)*, aut in continenti liquidae ſint, et actorem in dolo conſtituant *k)*. Illae enim ante, hae vero etiam poſt rem iudicatam, in termino executionis, adhuc admittuntur, quia leges nolunt, aliquem ex ſuo dolo lucrum captare.

contra haſce exceptiones actoris replica locum habet, et quomodo probandae ſint.

§. 1860. Sicuti vero excipiens intuitu exceptionis actoris iure aeſtumatur (§. 1851.) *l)*, ita quoque neceſſe eſt, vt *actor contra exceptiones ſua audiatur defenſione*, quae REPLICA dicitur, cuius intuitu actor fauorem rei habet. Contra replicam ex parte rei admittitur *duplica*, ad quam in quibusdam locis actor triplicando, et reus qradruplicando reſpondet. Quaecunque vero reus excipiendo, et actor replicando in facto aſſerit, ſi a parte aduerſa negantur, ſunt probanda. Haecce pro-

f) BERGER *E. D. F.* P. II. ſuppl. p. 372. *g)* L. 5. 8. h. t. *h)* c. 1. *de exception.* 6to. REC. IMP. de ao. 1654. §. 37. ſqq. *i)* REC. IMP. de an. 1654. §. 23. *k)* ZANGER *de except.* P. II. c. 26. *l)* L. 1. ht.

probatio tali ratione ſuſcipitur, vt negato libello actor ſimul cum probatione libelli coniungat refutationem exceptionum per articulos, quos vocant eliſiuos, reus vero ſimul cum reprobatione coniungat probationem exceptionum et refutationem articulorum eliſiuorum. Affirmato libello, probatio exceptionum reo iniungitur. Caeterum, ſi actor intentionem ſuam haud probauerit, reus abſoluitur, quamuis eius exceptiones plane non ſint probatae.

LIB. XLIV. TIT. II.
DE EXCEPTIONE REI IVDICATAE.

exc. rei iudic. quo caſu locum habeat.

§. 1861. Inter exceptiones peremtorias eminet exceptio *rei iudicatae*. Cum enim res iudicata faciat ius 1) inter partes, 2) in cauſa, in qua lata eſt, 3) perpetuo valiturum, ita vt nullo ſub praetextu lis reſuſcitari debeat, ſequitur, vt illi, qui actionem mouet, cuius intuitu res extat iudicata, exceptio rei iudicatae ad effectum deſtruendi actoris intentionem opponi queat *m)*. Modo lis plene ſit deciſa, dum abſolutio ex certa cauſa, quae poſtea mutata eſt *n)*, et exceptio, quae tanquam illiquida, neglecta vel reiecta nouam actionem haud excludat *o)*.

cui opponi poteſt.

§. 1862. Quia vero res iudicata ius ſolum facit inter partes in cauſa, in qua lata eſt, exceptio rei iudicatae non obſtat 1) tertio, exceptis caſibus, quibus res iudicata tertio nocet, 2) illi, qui ex diuerſa cauſa agit, 3) illi, qui aliam rem, vel 4) ab alia petit perſona *p)*.

Re-

m) L. 6. h. t. *n)* L. 9. pr. L. 17. h. t. *o)* CARPZOV *proc.* tit. 6 art. 3. n. 6. LVDOVICI *proc. ciuil.* c. III. §. 18. *p)* L. 3. h. t. L. 63. *de ſententia et re iudic.*

Recte vero opponitur exceptio rei iudicatae 1) illi, qui iam partem petit, cum eius petitio antea quoad totum reiecta, aut cum partem petiisset, deinde totum petit, nisi forsan pars tanquam pars separata considerari possit *q*). 2) Si eadem res ab eodem ex eadem causa, mutato solum processus genere, petitur *r*). Inde illi, qui post dissessionem documenti iuratam in processu succubuit executiuo, et deinde ordinarie agit, exceptio obstat rei iudicatae *s*).

LIB. XLIV. TIT. IV.

DE DOLI MALI ET METVS EXCEPTIONE.

exceptio doli est vel generalis l. specialis.

§. 1863. Ne cui dolus suus per occasionem stricti iuris contra naturalem aequitatem prosit *t*), praetor doli mali proposuit exceptionem. Cum enim dolus negotia, quorum valor a consensu pendet, nulla reddat (§. 1060.), iis vero, qui in contractu stricti iuris, vel extra contractum dolo laesi sunt, restitutio in integrum per modum actionis competat, colligere licet, exceptionem doli reo, ex negotio, ad quod dolo inductus est, conuento prodesse ad destruendam actoris, qui dolo egit, intentionem. Est autem haec exceptio doli vel *generalis*, vel *specialis*. Doli GENERALIS exceptio locum habet *contra eum, qui aliquid petit, quod aequitati a legè vel prae-*

q) L. 3. 6. 7. et 30. h. t. *r*) L. 7. §. 4. h. t. *s*) BERGER *el. disc. for.* P. II. p. 549. dissent. LVDOVICI *proc. ciuil.* c. 3. §. 24. MEVIVS P. VI. decis. 278. BRVNNEMANN *proc. ciuil.* c. 19. n. 36. *t*) L. 1. §. 1. h. t.

praetore agnitae repugnat t). *Doli* SPECIALIS *exceptio* datur contra *agentem ex negotio, quod fictae repraesentationes promouerunt.*

cui et contra quem competit, et perpetua est,

§. 1864. Haec exceptio illi, qui per dolum laeditur, vt et, quia laesio bona afficit, laesi haeredibus et fideiussoribus competit *u)*, aduersus dolo agentem, minime vero aduersus eos, quibus debetur reuerentia *x)*, nec aduersus tertium, nisi forsan a decipiente ex causa lucratiua, seu temporaria, ius habeat *y)*. Insuper exceptio doli perpetua est, et per replicam doli non eliditur *z)*.

exc. metus in rem scripta replica metus eliditur.

§. 1865. Corruunt quoque negotia metu extorta. Qui igitur ex tali negotio agit, remoueri potest *metus exceptione*. Competit haec exceptio non solum illi, qui metu coactus, sed quoque eius haeredibus, omnibusque, quorum interest, contra eum, qui intulit metum, et tertium quemlibet, qui ex huiusmodi negotio agit, quia in rem scripta et perpetua est. Illa tamen elidi potest replica metus *tz)*.

LIB. XLIV. TIT. V.

QVARVM RERVM ACTIO NON DATVR.

Quae hic proponitur exceptio, non competentis actionis vocatur. Quia vero varias ob causas actio competere nequit, satis patet, sub hoc titulo varias contineri exceptiones peremtorias, v. c. iurisiurandi, transactionis, solutionis. De quibus separatis agitur titulis. LIB.

t) L. 12. h. t. Inde dolo facit, qui petit, quod redditurus est, L. 8. pr. h. t. plura exempla vide L. 4. h. t. *u)* L. 7. § 1. *de exceptionibus.* *x)* L. 4. §. 16. h. t. *y)* L. 4. §. 28. 29. 30. h. t. *z)* L. 4. §. 13. eodem. LEYSER sp. 516. m. 5. 6. *tz)* L. 4. §. 33. h. t.

LIB. XLVI. TIT. VI.
DE LITIGIOSIS.

litigiosum quid? et cui obstet exc. litigiosi.

§. 1866. LITIGIOSVM dicitur *omne obiectum, de quo lis mota est. Mota autem censetur lis, simulac oblata* actio reo insinuata, sicque citatio facta est (§. 1737.) *a)*. Effectus litigiosi est, vt lite pendente nil sit innouandum *b)*. Inde nec possessor rem, nec actor actionem litigiosam potest alienare, potius huiusmodi alienatio nulla est, et qui sciens alienat, vel sibi comparat talem rem, incidit in poenam fiscalem *c)*. Actione alienata, contra adquirentem, qui litem continuare cupit, datur exceptio litigiosi ad eum a lite excludendum *d)*.

vsus.

§. 1867. Ratio, ob quam actionis litigiosae alienatio prohibetur, in eo est, ne alienans aduersarii conditionem faciat duriorem *e)*. Si igitur aduersarii conditio non fit durior, et alienatio vel ex necessitate, vel ad euitanda litis taedia facta est, cessat haec exceptio *f)*. Inde cum causa alienationis speciosa nunquam fere deficiat; vsus huius tituli in nostris foris est rarissimus *g)*. Semper tamen adquirens rem, seu actionem litigiosam non suo, sed transferentis iure iudicatur *h)*.

a) NOV. 112. c. 1. *b)* CLEM. 2. *vt lite pendente.* c) L. vlt. D. L. 2. et vlt. C. h. t. *d)* L. 1. h. t. *e)* L. 3. h. t. *f)* L. 4. §. 1. *de alienat. iudicii mutandi causa.* g) STRVV *exerc.* 46. n. 44. LEYSER sp. 518. m. 1. Pro vsu huius tituli pronuntiauit camera apud DE-CRAMER *obs. iuris vniuers.* P. I. obs. 14. adde T. II. P. I. obs. 491. *h)* LEYSER sp. 518. m. 2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0295
DFG

Lib. XXII. Tit. VI.

DE IVRIS ET FACTI IGNORANTIA.

Ignorantia iuris et facti def.

§. 1868. Ignorantia est *nuda cognitionis priuatio.* Differt igitur ab errore, quamuis ignorantiae et in iure nostro fere vbique sit vnus idemque effectus *i).* Ignoratur autem vel *ius*, vel *factum.* Priori casu *iuris*, posteriori *facti* adest ignorantia. De vtraque ignorantia leges regulam formant: *iuris ignorantia cuique nocet, facti vero ignorantia non nocet k).*

Ignorantia quatenus noceat, generales regulae.

§. 1869. Sicuti vero exceptiones in legibus traditae regulam §pho anteced. propositam fere destruunt; ita necesse est, vt dicta regula magis determinetur. Quod tali modo fieri potest. Qui ignorat, aut obligatus est, vt sciat, aut non. Hoc casu ignorantia nemini imputatur. Deficiente enim obligatione, nulla locum habet imputatio. Illo vero casu, is, qui obligatus est, vt sciat, aut potuit scire, aut non. Hic, quia ad impossibilia nulla datur obligatio, ignorantia non nocet. Ibi vero ignorantia est culposa, adeoque merito imputatur, et nocet (§. 1085.). Culpa vero caret, qui omnem pro sua conditione adhibuit diligentiam.

Speciatim de ignorantia iuris.

§. 1870. Ignorantia, quam quis euitare potuit, et debuit, culposa est, et imputatur (§. 1869.). Iam vero ea, quae iure naturali praecepta vel prohibita sunt, quilibet scire potest, et debet. E. quoque ignorantia eius, quod iure naturali praeceptum, vel prohibitum est, merito imputatur, nec excusat a poena, quam forsan leges ciuiles statuunt

i) L. 3. 7. et 8. h. t. *k)* L. 9. h. t.

tuunt duriorem *l)*, modo ignorans sana praeditus sit ratione. Porro leges humanas rite promulgatas subditi scire possunt, et debent, et inde earum ignorantia subditis, non vero extraneis, in territorio aduenis, nocet *m)*. Deinde, cum apud nos, praesertim quoad iura recepta, Romanum nempe et canonicum, sufficiens desit promulgatio, facile contra ignorantiam horum iurium succurritur laesis per restitutionem in integrum, maxime, si peritiores consulere non potuerunt *n)*, aut iusta de causa crediderunt, se consilio, pretio plerumque redimendo, non opus habere. Sicuti vero restitutio laesis solum prodest, ita quoque ignorantia iuris merito nocet iis, qui in lucro quaerendo versantur *o)*. Quod etiam quoad foeminas, milites et rusticos lucrum quaerentes obtinet *p)*, quamuis iis ignorantia iuris non noceat in damnis et delictis contra ius ciuile commissis *q)*.

de ignorantia facti.

§. 1871. Quod ad facti ignorantiam attinet, proprium factum regulariter quilibet scire potest, et debet. Inde eius ignorantia nocet (§. 1869.) *r)*, nisi forsan factum et negotium sit antiquum, vel graue, aut quis in eum incidat statum, quo recordari vix possit *s)*. E contrario ignorantia facti alieni, quippe quod haud raro diligentissimi ignorant, non nocet, nisi sit crassa et supina. Scientia enim hoc modo aestumanda est, vt neque negli-

l) arg L. 2. C. *de in ius vocando.* *m)* L. 12. C. h. t. *n)* L. 9. §. 3 h. t. *o)* L. 7. 8. 9. pr. et §. 3. h. t. *p)* L. 11. 13. C h. t. *q)* L. 9. D. h. t. L. 11. et 13. C. h. t. L. 15. §. pen. *ad L. Corn. de falsis.* L. 38. §. 2. *ad L. Iul. de adulter.* adde SORBER diss. *vigilant. iura sunt scripta.* *r)* L. 9. pr. h. t. L. 3. et 5. h. t. *s)* CRELL *de ignorantia facti proprii interdum innocua.*

gentia craſſa, neque delatoria curioſitas exigatur *t)*.

LIB. XXII. TIT. III.

DE PROBATIONIBVS ET PRAESVMPTIONIBVS.

definitio.

§. 1872. PROBATIO *eſt actus, quo iudici de veritate facti dubii, quod cauſae deciſionem ingreditur, fides fit.* Probatio igitur 1) fit ſuper facto, quod dubium eſt, et ad deciſionem cauſae aliquid confert, 2) ſuſcipitur eo fine, vt fides fiat de veritate facti, et quidem 3) iudici.

quae probatione non indigent.

§. 1873. Omnis probatio fit ſuper facto dubio, quod cauſae deciſionem ingreditur (§. 1872.). Probatione igitur non indigent 1) ea, quae iuris ſunt *u)*, niſi quaeſtioni iuris admixta ſit quaeſtio facti, an tale ius exiſtat, quod potiſſimum ratione iurium ſingularium et conſuetudinariorum fieri poteſt, 2) ea, quae notoria ſunt *x)*, modo de notorietate eiusque circumſtantiis neceſſariis ex actis ſatis conſtet *y)*. 3) Quae ad deciſionem cauſae nil conferunt.

confeſſio quid? eiusque diuiſio.

§. 1874. Porro quoque dubium non habet, ideoque non indiget probatione, quod pars aduerſa confitetur. CONFESSIO enim eſt *affirmatio certa facti, quod pars aduerſa pro ſe allegat.* Diuiditur confeſſio, prout *vel coram iudice competente fit z)*, *vel non, in iudicialem* et *extraiudicialem.* Iudicialis rurſus, prout aſſerta aduerſarii vel *vere adfirmantur*, vel

t) L. 3. §. 6. 9. h. t. *u)* c. 44. X. *de appellat.* WERNHER P. I obſ. 216. *x)* c. 8. X. *de cohabit. cleric.* c. 3. X *de teſtibus.* *y)* STRYCK diſp. *de notorio.* *z)* c. 4. X. *de iudiciis.*

vel *solum in contumaciam pro affirmatis habentur* (§. 1758.), in VERAM et FICTAM et illa iterum in *expressam* et *tacitam* diuiditur. EXPRESSA dicitur, *qua verbis affirmantur aduersarii asserta*, TACITA vero est, *quae ex omissa contradictione facti ab aduersario allegati colligitur a)*. Quaecunque sit confessio, illa affirmat, sicque vera declarat, quae aduersarius pro se allegat *b)*. Si quis aduersarii asserta pro veris agnoscit, ob vtriusque partis consensum nullum existit dubium, ideoque probatione non est opus, sed propria aduersarii confessio est optima probatio, modo ex seria intentione sit facta, et de eo, quod facta sit, satis constet.

probatio fit post litem contestatam aut dantur exceptiones

§. 1875. Non indigent probatione, quae pars aduersa confitetur. De confessione rei potissimum ex litis contestatione constat (§. 1633.). Hinc demum post litis contestationem patet, quid probatione indigeat, ideoque regulariter probatio post litem contestatam recipi potest *c)*. Admittitur tamen ante litis contestationem 1) in processu summario, 2) si de puncto incidente ante litis contestationem remouendo sermo est.

probatio in perpetuam rei memoriam.

§. 1876. Regulariter probatio demum post litem contestatam fieri potest. Si vero periculum amittendae probationis imminet, etiam ante L. C. admittitur PROBATIO IN PERPETVAM REI MEMORIAM, quae est *probatio ob periculum anticipando eum in finem, ne pereat, suscepta*. Anticipata haec probatio ob periculum admittitur *d)*. An tale adsit, ante

a) L. 11. §. 4. *de interrogat. in iure.* c. 2. *de confessis* in 6to. LEYSER sp. 473. m. 4. b) L. 1. 4. *de confessis* c) c. 1. 2. X. *vt lite non contestata.* d) c. 5. X. *vt lite non contestata.*

ante omnia cognoscendum est. Si de periculo constat, actori aeque, ac reo, in perpetuam rei memoriam probationem suscipere permittitur, et quidem reo indistincte, actori vero tunc demum, si libello exhibito constat, absque periculo litis contestationem expectari non posse *e)*. Caeterum haec probatio iisdem peragenda est solemnibus, quae alias necessaria essent, si iusto tempore susciperetur, modo eorum obseruationem necessitas haud impediat *f)*. Inde quoque depositiones testium non statim, sed tempore, quod processus ordo determinat, publicantur.

probatio artificialis et inartificialis est vel plena l. minus plena.

§. 1877. Probatio suscipitur eo fine, vt fides fiat de veritate, vel artificialiter *per argumenta et ratiocinia*, vel inartificialiter *per testes, documenta, iuramenti delationem, et inspectionem oculareṁ.* Vtraque probatio raro veritatem efficit mathematicam, sed plerumque aliquam secum fert incertitudinem. Quia vero lites ad finem sunt perducendae, et in rebus facti raro ad veritatem peruenire potest apodicticam, leges in probatione forensi certitudinem non omni numero absolutam admittunt, et iudici in minori veritatis gradu, imo interdum in nuda probabilitate, adquiescere, et litis euentum actoris vel rei iuramento committere permittunt *g)*. Inde veritatis iuridicae dantur gradus, et probatio, prout vel plene de veritate conuincit, in *plenam* et *minus plenam* diuiditur, et haec rursus *semiplena*, et *plus* vel *minus quam semiplena* est *h)*. §. 1878.

e) c. 5. X. citat. c. 41. X. *de testibus*. *f)* arg. L. 20. C. *de testibus*. BOEHMER *iur. eccles* lib. II. tit. 6. §. 4. sqq. WERLHOF *de examine testium extraordinario*. COD. FRID. P. III. T. 28. §. 11. *g)* THOMASIVS *de fide iuridica*. *b)* Ipsa res et vsus fori pro-

§. 1878. Probatio PLENA dicitur, *quae de veritate conuincit.* Quibus vero casibus probatio pro plena haberi debeat, leges vel determinant, vel iudicis arbitrio relinquunt. Sic leges constituunt, vt duorum, vel trium testium omni exceptione maiorum asserta plenam faciant probationem *i)*. Simili ratione, quod ab vna vel altera parte iuramento legitime praestito est confirmatum, verum creditur, lege sic iubente *k)*. Porro, quod instrumenta legitime confecta clare loquuntur, et inspectio ocularis aperte docet, plene censetur probatum *l)*. E contrario multum iudicis arbitrio relictum est, ratione probationis artificialis, vt et probationis per documenta non satis clara. quaenam probatio sit plena.

§. 1879. Probatio plena efficit, vt probata pro veritate habeantur. Minus plenae vero probationis per aduersae partis probationem non elisae effectus est, vt semiplena minor iuramento purgatorio locum faciat. Si plus quam semiplena adest probatio, probans ad iuramentum suppletorium admittitur, modo non sit suspectae fidei et de veritate iurare possit *m)*. In probatione semiplena arbitrium iudicis locum habet, qui ex personae quali- semiplena probatio locum facit iuramento.

probant has diuisiones. STRYCK *de semiplena probatione.* MEVIVS P. V. dec. 113. et 375. CARPZOV. *proc.* tit. XII. art. 2. n. 22. 23. *i)* L. 12. D. *de testibus.* *k)* L. 5. §. 2. et L. 11. §. 2. D. *de iureiurando.* *l)* L. 15. C. *de fide instrument.* *m)* Leges quidem iubent, imperfectam probationem iuramento finire, L. 3. C. *de rebus creditis.* L. 31. D. *de iureiur.* c. 36. §. 1. X. *de purgat. canonica.* quando vero illi, qui probauit, suppletorium, vel illi, contra quem probatum, iuramentum purgatorium sit imponendum, non satis determinant. Praxis tamen seruat regulas a nobis traditas. HEINECCIVS *de lubricitate iuramenti suppletorii.*

tate et maiori probabilitatis gradu determinat, an purgatorio an suppletorio sit locus *n*). Vtrumque iuramentum in causis ciuilibus, etiam matrimonialibus *o*), minime vero suppletorium in causa criminali locum habet. Praestitum vero iuramentum compensationi expensarum locum facit.

artificialis probationis et praesumtionum diuisio et effectus.

§. 1880. Artificialis probatio fit per argumenta et ratiocinia (§. 1877.). Haec vero, vel iudicem plene de veritate conuincunt, vel saltim probantis assertis verisimilitudinem conciliant. Priori casu *plena*, posteriori *verisimilis* adest probatio. *Probatio artificialis verisimilis* vocatur PRAESVMTIO. Quae vel IVRIS, vel HOMINIS est. Illa adest, *si ex ipsa legis dispositione aliquid pro vero haberi debet*, et quidem vel *simpliciter*, *vt probatio in contrarium non habeat locum*, vel *secundum quid*, *vt probatio in contrarium admittatur*. Ibi praesumtio IVRIS et DE IVRE *p*), hic vero praesumtio IVRIS SIMPLEX est *q*). *Si tales adsunt circumstantiae*, *quarum existentia probabilitatem efficit facti probandi*, lex vero probabilitatem pro veritate haberi non iubet, praesumtio *hominis* nascitur. Effectus praesumtionum est, vt I) assertum, cui praesumtio iuris et de iure assistit, simpliciter pro veritate habeatur. II) Praesumtio iuris plenam quidem probationem efficit, ast per probatio-

n) WERNHER P. VII. obs. 92. LEYSER spec. 141 CARPZOV. P. I. C. 23. def. 7. *o*) BOEHMER apud Schott juristisch. Wochenblatt P. I. n. 6. *p*) Exempla sunt L. 14. C. *de non numer. pec.* L. 13. C. *de arbitr. tut.* L. 53. *de R. I.* L. 23. C. *ad SCt. Velleia.* L. 34. C. *ad L. Iul. de adult.* c. 30. X. *de sponsal.* c. 6. X. *de condit. appos.* *q*) Cuius exempla sunt L. 51. *pro socio.* §. 11. 16. Inst. *de inutil. stipul.* L. 14. C. *de contr. stipul.* L. 18. D. *de adim. vel transfer. legat.*

tionem contrarii poteſt elidi. Hinc factum, pro quo iuris militat praeſumtio, donec contrarium probetur, habetur pro vero. III) Praeſumtio hominis probabilitatem operatur, et iuramento vel purgatorio vel ſuppletorio locum facit *r)*. Valet quoque regula: Praeſumtio fortior vincit minus fortem.

cuinam incumbat probatio, et quisnam ſit affirmans.

§. 1881. Incumbit probatio affirmanti. Pro AFFIRMANTE vero habetur *is*, *qui factum quoddam dubium pro ſe contra alterum in iudicio allegat. Qui facto contra ſe allegato contradicit*, NEGARE dicitur, et recte ſe habet ICtorum regula: *Affirmanti, non neganti incumbit probatio s)*. Iuris vero praeſumtio affirmantem liberat ab onere probandi (§. 1880).

iudex quatenus in probatione concurrat.

§. 1882. Probatio fit principaliter iudici (§. 1872.), ita tamen, vt pars aduerſa, praeſertim in proceſſu ordinario et regulari, ſuper forma et meritis probationis ſit audienda. Ipſe vero iudex ad probationem concurrit I) *antecedenter*, dum per ſententiam declarat interlocutoriam, a quo et quid probandum ſit, cum neutra pars, antequam probatio ſit iniuncta, eam ſuſcipere debeat *t)*; II) *concomitanter*, dum ipſum probationis actum dirigit. Inde probatio coram notario vel alio iudice, absque requiſitione iudicis cauſae, ſuſcepta nullius eſt ponderis *u)*, ſi a quibusdam proceſſibus ſummariis diſceſſeris, III) *ſubſequenter*, dum abſoluta probatione ſtatuit, an probatum, nec ne.

§. 1883.

r) MENOCHIVS *de praeſumtionib.* adde C. E. CANZII tr. *de probabilitate iuridica ſ. de praeſumtione.* LVDOVICI *de probabilitate eiusque effectibus.* *r)* L. 2. D. et L. 23. C. h. t. LEYSER ſpec. 255. PACIANVS *de probationibus.* *s)* LEYSER ſp. 258. m. 1. *u)* WERNHER P. IV. obſ. 42.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0303
DFG

terminus probatorius et articuli probatoriales.

§. 1883. Ipsa vero probatio fieri debet legitimo tempore, legitimo modo. Et quidem, quod ad tempus attinet, aut terminus probatorius a lege seu iudice est praefixus, aut non. Hoc casu, tamdiu, ac in causa res nondum existit iudicata, probatio certo modo locum habet. Illo vero casu, terminus probatorius praefixus est peremtorius et fatalis *x*) (§ 1755.), ita tamen, vt ab eo demum momento currere incipiat, quo sententia probationem iniungens in rem iudicatam transiit, et purificata est *y*). Sufficit autem intra terminum probatorium iudici, articulos probatoriales offerre, simulque media probandi, quibus probans vsurus est, indicare, ac rogare, vt iudex ea, quae ad prosequutionem probationis necessaria sunt, decernat. Media probandi intra terminum probatorium apud iudicem haud inducta, postea non admittuntur, nisi forsan sint nouiter reperta, aut probanti per modum restitutionis in integrum succurri queat. Vt probatio per articulos concipiatur, in probatione per testes necessitatis, in reliquis vero probationum speciebus extra Saxoniam consilii, in Saxonia vero itidem necessitatis est. Semper tamen vitandi sunt articuli impertinentes et irreleuantes.

reprobatio.

§. 1884. Illi, contra quem probatio suscepta, leges permittunt REPROBATIONEM Gegen-Beweis, quae est *probatio eum in finem suscepta, vt destruatur probatio partis aduersae.* Destrui autem potest probatio duplici modo. *Primo*, dum probatur contrarium eius, quod pro-

x) REC. IMP. NOV. §. 50. et 54. *y*) LEYSER sp. 258 m. 4. 6. 7. Purificatio deficiens non suspendit probationem iure, *Cod. Frid.* P. III. tit. 10. §. 9.

probans asserit. *Secundo*, dum probantur exceptiones, quae destruunt ius ab aduersa parte per probationem deductum. Prior *directa*, posterior *indirecta* dicitur *reprobatio*. Ipsa vero reprobatio eodem instituitur modo ac probatio et ob fauorem defensionis hoc singulare habet, quod ipso iure, licet in sententia non sit reseruata, competat. Porro probatio est vel SOLENNIS Beweis, quae fit, *obseruatis a lege praescriptis solennibus*, vel MINVS SOLENNIS, Bescheinigung, *quando sufficit, absque solennibus iudici fidem fieri* de facto in iudicium deducto. Solennis probatio in ordinario requiritur processu. Minus solennis sufficit in processu summario.

LIB. XXII. TIT. IV.

DE FIDE INSTRVMENTORVM.

§. 1885. Inartificialis probationis species illa est, quae fit per instrumenta (§. 1876.). Dicitur autem instrumentum *ab instruendo*, et in generali significatu denotat omne id, *quod causam instruit*; ideoque testes aeque ac scripturae instrumentorum nomine continentur z). Proprie vero INSTRVMENTA sunt *scripturae super negotio quodam confectae ad fidem faciendam idoneae a)*. definitio.

§. 1886. Diuiduntur instrumenta in *publica* et *priuata*. PVBLICA sunt, *de quorum veritate ex fide constat publica*. PRIVATA vocantur, *quae a priuatis conscripta fide haud innituntur publica*. Faciunt autem publicam fidem personae ab imperante publica auctoritate constitutae, vt ea, quae vi officii, quod iurarunt, ab iis gesta vel scripta sunt, vera esse sunt vel publica vel priuata, et quaenam sint publica

z) L. 1. h. t. a) L. 4. h. t.

esse praesumantur. Sic 1) scripturae a magistratu vi officii, vel ab alio iuramenti fide adstricto iussu magistratus conscripta publica sunt instrumenta *b)*, 2) notariorum quoque instrumenta *b)*, 3) catastra publica *d)*, et 4) libri paroeciales *e)*, publicam habent fidem, quia vi officii confecta sunt ab iis, qui auctoritate imperantis constituti sunt sub obligatione iurata. Simili ratione 5) instrumenta sub custodia archiuarii iurati in archiuo publico asseruata, publica sunt *f)*. Dantur quoque 6) instrumenta, quae quidem vere non sunt publica, ast eundem cum publicis producunt effectum, ideoque *quasi publica* dicuntur, qualia sunt *instrumenta trium testium subscriptione munita, et ab his postea agnita g)*.

instrumenta vnde vim probandi habeant.

§. 1887. Siue vero publica, siue priuata sint instrumenta, ratio, ob quam iis vis inest probandi, exinde pendet, quod vel *confessionem* scribentis, vel, *testimonium* de veritate facti contineant probandi. Et quidem instrumentum, quod confessionem prodit, tanquam propria confessio (§. 1874.) probat contra scribentem, eosque, qui eius facta agnoscere tenentur. Instrumentum vero, quod testimonium tertii de veritate facti probandi continet, si iniuratum, et a priuato scriptum est, nullam in foro habet fidem *h)*. Inde scri-

b) c. 2. et 15. X. *de fide instr.* c. 11. X. *de probat.* c) L. 17. C. *de fide instr.* REC. IMP. de anno 1512. *d)* MEVIVS P. IV. dec. 17. *e)* CARPZOV. II. *iurispr. consist.* def. 315. p. 23. BOEHMER *iur. eccles. protest.* L. II. T. XXII. §. 2. *f)* AVTH. *ad haec.* C. *de fide instr.* adde WENCKER *collecta archiui iura.* g) L. 11. C. *qui potior. in pign.* *h)* L. 5. *de probat.* Auth. *si quis vult.* C. *qui potior. in pign.* Testimonio iniurato non habetur fides, L. 9. C. *de testibus.* c. 39. et 51. X. *de testibus.*

scripturae priuatae contra tertium, qui ex scribentis facto haud obligatur, nulla tribui potest vis probandi et attestata priuata nil probant *i)*. Si vero a persona in officio publico constituta, et iuramenti vinculo adstricta de re ad officium pertinente, vel coram se gesta, instrumentum conscriptum est, illud tanquam testimonium publicum plenam fidem habet *k)*.

recognitione indigent expressa vel tacita.

§. 1888. Ex dictis (§. 1887.) patet, quod instrumentorum vis probandi potissimum ex persona scribentis sit diiudicanda, et ante omnia constare debeat, an sint scripta ab eo, qui eorum auctor esse affirmatur. De quo constat per RECOGNITIONEM, quae est *confessio partis aduersae, quod instrumenta sint scripta ab eo, qui eorum auctor esse a producente affirmatur.* Quod expresse aeque ac tacite fieri potest *l)*. Saxones tamen tacitam non tolerant recognitionem *m)*.

intra terminum probatorium induci debent

§. 1889. Quo magis vero de instrumentorum fide constet, illa inducenda sunt tempestiue, id est, ante lapsum termini probatorii (§. 1883.). Hoc non praefixo, seu nondum elapso, vsque ad conclusionem in causa instrumentis vti licet *n)*. Minime vero documenta admittuntur, si res iudicata iam existit *o)*, nisi forsan talia sunt, quae 1) exceptionem in termino executionis admittendam in

i) WERNHER P. VI. obs. 30. *k)* L. vlt. C. *de re iudicata.* Publica instrumenta per se plenam fidem habent, c. 2 X. *de fide instrument.* admittunt tamen probationem contrariam, L. 18. C. *de probat.* Nou. 73. c. 3. WERNHER P. I obs. 12. *l)* MEVIVS P. IV. dec. 64. MASCARD. *de probat.* concl. 712. n. 78. *m)* MENCKEN *proc.* tit. 24. §. 11. *n)* c. 9. X. h. t. LEYSER sp. 261. m. 1. *o)* L. 4. C. *de re iudicata.*

in continenti probant *p)*, aut 2) efficere possunt, vt producens in integrum restitui queat. Post lapsum termini probatorii instrumenta non amplius admittuntur, nisi, quod sint noviter reperta, praeuio malitiae iuramento asseratur *q)*, et in casibus, quibus post rem iudicatam eorum productio adhuc locum habet. Sufficit autem instrumenta intra terminum probatorium induci in copia, et quoad partem concernentem exhiberi *r)*. Inducta deinde cum parte aduersa a iudice sunt communicanda.

terminus productionis, quo originalia produci debent

§. 1890. Exhibitis instrumentorum, quibus probans vsurus est, copiis, in Saxonia statim, extra Saxoniam vero tunc demum, si post factam communicationem altera pars eorum existentiam in dubium vocat, iudex praefigit terminum productionis et recognitionis documentorum. In hocce termino sub poena desertionis producenda sunt instrumenta in originali, nec sufficit nuda copia, quia ex hac constare nequit, an instrumentum ab eo vere sit scriptum, qui eius auctor esse affirmatur *s)*. Sunt tamen casus, quibus copiae, praesertim vidimatae seu authentisatae, mox plene, mox minus plene probant *t)*.

producta recognoscenda, attamen priuata diffiteri queunt, et quomodo recognitio fiat.

§. 1891. Finis productionis instrumentorum est, vt productus illa recognoscat (§. 1888.). Et quidem publica instrumenta, quia de eorum fide vel ex manu publica, vel ex sigillo, quod instrumento adiectum est, publico, satis constat *u)*, simpliciter sunt recognoscenda, attamen priuata diffiteri queunt, et quomodo recognitio fiat.

p) ZANGER *de excepr.* P. III. c. 26. n. 61. sq. WERNHER P. VIII. obs. 362. *q)* L. 35. *de re iudicata.* RIVINVS *de iuram. document. nouiter repert.* *r)* c. 5. X. h. t. *s)* c. 1. X. h. t. *t)* c. 16. X. h. t. adde NIEPER disp. *de probatione per exempla s. copias documentorum.* *u)* c. 2. X. h. t.

gnoscenda, nec diffiteri queunt *x)*. Priuata vero, quia absque recognitione non probant *y)*, productus aut recognoscere, aut iuramento diffiteri tenetur. Ipsa recognitio fieri debet quoad subscriptionem aeque ac contenta, et regulariter ad contentorum diffessionem non admittitur, qui subscriptionem recognoscit, sed vtrumque aut recognoscere, aut diffiteri tenetur, praesertim si documento iam extenso se subscripsisse fatetur. Tunc tamen, recognita licet subscriptione, diffessio contentorum admittitur, si indicia doli, vel abvsus chartae blancae adsunt *z)*.

priuata, recognitione licet iuncta, diffiteri queunt, et quomodo contumacia coerceatur.

§. 1892.[b] Is, contra quem instrumenta priuata producuntur, illa recognoscere vel iurato diffiteri tenetur. Electio ex lege competit producto, ideoque non censetur ademta, licet sententia recognitionem simpliciter iniungat *a)*. Recusata vero recognitione vel diffessione, illa sub poena recogniti iniungitur, et instrumentum, si productus in contumacia pergit, pro recognito habetur.

irrecognoscibilia instrnm.

§. 1893.[b] Non tamen omnia documenta sunt recognoscibilia. Productus enim recognoscere haud tenetur instrumenta, quae I) vitium visibile ostendunt, quale est *cancellatio, rasura, litura, scriptura interlinearis et mar-*

x) Inde instrumenta publica, quia diffiteri nequeunt, in foro communi speciali haud indigent recognitione, CRELL *de fide instrumentorum inprimis publicorum.* BERGER *E. D. F.* p. 503. *y)* STRVV *exercit.* ad D. 28. th. 24. ibique MVLLER. *z)* BERGER *E. D. F.* p. 768. LEYSER sp. 273. m. 5. sp. 278. *Cod. Frid.* III. 25. 26. *a)* BERGER *E. D. F.* p. 766. WERNHER P. I. obs. 64. LEYSER sp. 277. m. 3.

marginalis b), maxime, si in iis scripturae partibus occurrit, quae magni sunt momenti, aut talis est, quae sensum mutat. Quod si forsan contrahentium consensu, vel lapsu scribentis haec vitia adsunt, consilii est, in fine instrumenti causam concellationis, rasurae etc. attestari *c)*. II) Quae *falsi grauis suspicio premit d)*, qualis haud raro ex diuersitate chartae, ductus litterarum, atramenti oritur. III) Quae ad aliud se *referunt*, si relatum non adest, et ex producto de relato sufficienter haud constat *e)*. IV) *Quae ab ipso producente sunt scripta*, quia scriptura priuata vim probandi ex confessione, quam continet, consequitur (§. 1887.) ideoque non pro, sed contra scribentem probat *f)*. V) *Ea, de quibus certum est, quod nil releuent* in causa *g)*. VI) *Quae forma a lege* praescripta, vel requisitis ex indole negotii, de quo concepta sunt, necessariis carent *h)*.

quatenus probant pro scribente.

§. 1894. Instrumenta non pro, sed contra scribentem probant (§. 1893.) Tunc tamen

b) L. 24. *de probat.* ORDIN. NOTAR. de ao. 1512. §. 18. *c)* L. 1. §. 1. *de his, quae in testam delent.* STRYCK *cautel. contr.* sect. I. c. 6 §. 4. WERNHER P. IX. obs. 27. 191. LEYSER sp. 281. per tot. *d)* L. 42. C. *de transact.* L. 14. C. h. t. *e)* Nov. 119. c. 3. AVTH. *si quis.* C. *de edendo.* LEYSER sp. 264. per tot. *f)* L. 7. C. *de probationibus.* *g)* CARPZOV. P. I. C. 17. def. 25. PHILIPPI *de recognitione documentorum* c. III. §. 1. *h)* Requisita actorum iudicialium exponit c. 11. X. *de probation.* LEYSER spec. 270. per tot. librorum censualium FREISLEBEN *de libris censualibus.* instrumentorum notarii Nov. 47. c. 1. et Maximil. I. imp. ORDIN. NOTAR. de ao. 1512. LEYSER sp. 269 270. Si instrumentum publicum ex protocollo antecedente desumtum est, huic in dubio maior fides ipso instrumento tribuitur. ORD. NOT. citata §. 5.

men scriptura pro scribente probat, 1) si constat, illam ab eo, contra quem producitur, esse approbatam, vel ex eius voluntate expressa seu tacita confectam *i)*. Ex hac ratione vim probandi habet scriptura, quam quis sciens aliquid sibi contrarium in ea contineri, probationis causa absque contradictione acceptauit. Ex eadem ratione libri mercatorum probant, si debitis instructi requisitis iuramento confirmantur a mercatore *k)*. 2) Si ex pietate, vel ob personae vnitatem aduersa pars scribentis agnoscere tenetur authoritatem, quod occurrit in annotationibus parentum de rebus domesticis. 3) Si tali scripturae aliunde fides accedit, e. gr. ex trium testium subscriptione, vel magistratus legitima confirmatione.

i) CARPZOV. P. I. C. 17. def. 35. DE PASSERIBVS *de scriptura priuata* lib. I. qu. 4. n. 145. *k)* Qui creditum a mercatore accipit, ipso facto consentit in eius annotationem in libro mercatorio futurae probationis causa faciendam. Necesse igitur est, vt ante omnia creditum aliunde probetur. Hoc vero probato, eius quantitas per librum mercatorium probari potest. Quod vel ipsum ius commune in L. 1. §. 40. *depositi.* et c. 32. X. *de iureiurando.* probat, ideoque non opus est, singulare mercatorum priuilegium fingere. Potius hoc ius commune ad omnes, qui libros seruant, quibus sciente debitore credita annotant, extenditur. Exceptis iis, qui non sunt integrae fidei, vt et Iudaeis, qui contra Christianos hoc iure non vtuntur, L. 21. C. *de haeret.* WERNHER P. I. obs. 193. Requisita vero huius libri sunt, vt 1) creditum ex eius generis negotiatione sit, quam scribens profitetur, 2) liber sit principalis, das Hauptbuch, 3) data et accepta, vt et 4) diem curate contineat, ac insuper 5) ab ipso mercatore seu eius institore sit scriptum, LEYSER spec. 279. 280. KLEIN *de probatione, quae fit per libros mercatorum.* BODINVS *de libris mercatorum suspectis.* Mutauit quaedam *Cod. Frid.* P. III. tit. 23. §. 13.

quaenam exceptiones post recognitionem admittantur.

§. 1895. Effectus recognitionis verae aeque ac in contumaciam fictae est, vt instrumentum censeatur VERVM., id est *tale, quod ab eo scriptum, cuius scriptura illud esse affirmatur.* Hinc post recognitionem omnes, quidem exceptiones, quae instrumenti veritatem infringunt, cessant, saluae tamen manent reliquae contra documenti vim probandi directae *l)*, quales sunt *exceptionis doli, renuntiati vsus documenti, simulationis, scripturarum inter se pugnantium, documenti non releuantis m)*, quippe quae in reprobatione vel seperata actione deduci queunt, nec ademtae censentur per sententiam pure conceptam *n)*.

comparatio litterarum, et recognit. per testes.

§. 1896. Fieri potest, vt productus recuset cognitionem, et ad iuratam instrumentorum diffessionem, quae intuitu priuatorum, non vero publicorum, locum habet, se offerat (§. 1893.). Diffessionis effectus est, vt instrumentum pro vero non habeatur, sicque in causa nil probet. Inde iura producenti permittunt, oblatam diffessionem declinare *vel per litterarum comparationem, vel per recognitionem a testibus factam o)*. COMPARATIO LITTERARVM est *actus, quo praeuio curato examine ab artis peritis instituto determinatur, an scriptura, cuius diffessio offertur, conueniat cum aliis scripturis, quae sine dubio ab eo sunt, cuius scripturam alter diffiteri cupit p)*. RECOGNITIO PER TESTES est *probatio per testes, quod instru-*

l) BERGER *el. dis. for.* p. 766. LEYSER *introd. ad pr.* c. 19. *m)* L. 14. C. *de contr. stipul.* L. 3. et 14. C. h. t. *n)* CARPZOV. *proc.* tit. 14. art. 3. n. 28. WERNHER P. IV. obs. 169. *o)* L. 16 pr. C. h. t. NOV. 73. c. 3. BERGER *de modis declinandi recognitionem et diffessionem instrumentorum.* *p)* ZVBROD diss. *de comparatione literarum.*

instrumentum ab eo sit scriptum, pro cuius scriptura illud producitur q).

§. 1897.[69] Recognitio per testes est probatio per testes. Hinc per articulos est concipienda (§. 1883.) et eo dirigenda, quod testes sciant, instrumentum ab eo esse scriptum, pro cuius scriptura illud producitur. Hoc si duo testes omni exceptione maiores affirmant, diffessio non admittitur, sed documentum pro vero habetur. Idem locum habet, si vnicus testis classicus veritatem documenti affirmat, et producens in supplementum iurat (§. 1878.). Si nil probatum, diffessio adhuc locum habet. Comparatione litterarum instituta, artis periti aut conuenientiam scripturarum adesse affirmant aut negant. Hoc casu, nihilominus productus ad diffessionem tenetur. Illo vero casu, ex conuenientia scripturarum praesumtio oritur, quod documentum sit ab eo, pro cuius scriptura illud producitur. Et haec praesumtio efficit, vt producens ad iuramentum suppletorium de veritate documenti admittatur, si non sit suspectae fidei *r).* effectus horum remediorum.

§. 1898.[70] Instrumenta, quibus probatio instruitur, probans interdum non possidet, sed illa vel penitus sunt amissa, vel in tertii cuiusdam manibus existunt. Amissis instrumentis, probatio quidem per illa instrui nequit, minime vero ius ipsum amissum, vel obligatio peremta censetur, dum alia supersit probandi ratio *s).* Imo hac quoque deficiente, si ipse, contra quem allegatur, dolo documentum subduxit, probans eius tenorem amisso instrumento quid faciendum.

q) ENGELBRECHT *de recognitione documentorum per testes.* r) C. FRID. P. III. tit. 26. s) L. 1. 4. 5. 10. C. h. t. L. 10. sqq. C. *de probat.*

per iuramentum suppletorium confirmat *t)*. Quod etiam locum habet, si absque dolo producti documentum amissum est, eius vero existentia vel plene, vel plus quam semiplene probari queat *u)*.

editio documentorum.

§. 1899.[7] Si vero instrumenta in tertii cuiusdam manibus existant, eorum editio tempestiue est exigenda. Non enim sufficit, illam in termino productionis vrgere, sed ante terminum petenda est, quo magis documenta in termino produci queant *x)* (§. 1890.). Sunt autem instrumenta, quorum editio desideratur, vel producentis solitarie, aut in communione *propria*, vel aliena. Instrumenta propria aeque ac communia quilibet possessor edere tenetur *y)*, aliena vero, aut pars aduersa, aut tertius, qui non est in lite, possidet. Hoc casu possessor ad edendum ex aequitate obligatur *z)*: illo casu actor quidem reo omnia, quibus ad defensionem indiget, edere tenetur instrumenta, reus autem, vt actori edat, compelli nequit, nisi forsan 1) actor ad probandam replicam instrumentis, quae reus possidet, indigeat *a)*, aut 2) singulari munitus sit priuilegio, quali gaudet fiscus *b)*, quod praxis ad ecclesiam extendit *c)*, aut 3) iudex

t) L. 20. C. *de probat.* *u)* LEYSER sp. 282. WERNHER P. VI. obs. 252. *x)* Contrariam sententiam fouent BERGER *el. disc. for.* p. 783. WERNHER P. III. obs 83. ast minus recte, dum producens ante terminum productionis omnia, quae ex sua parte fieri possunt, facere tenetur, quo magis instrumenta in termino sub amissionis poena producenda producere possit. *y)* L. 64. §. 5. *de admin. et peric. tutor.* L. 6. §. 6. D. L. 7. C. *de edendo.* L. 5 *fam. ercisc.* CVIACIVS obs. X. 8. *z)* L. 1. §. 2. L. 2. sqq. h. t. *a)* Quia actor replicando fit reus, L. 1. D. *de except.* *b)* L. 3. *de edendo.* L. 2. §. 1. *de iure fisci.* *c)* BOEHMER *iur. eccles. protest.* lib. II. tit. 22. §. 14.

dex in casu, quo res aliter exitum habere nequit, editionem reo iniungat *d)*.

quid docere debeat exigens editionem.

§. 1900.[72] Is, qui documentis ab alio possessis ad instruendam indiget probationem, eorum editionem a possessore vrgere potest, ~~Quae si recusatur,~~ ante omnia summarie doceri debet, 1) *sua interesse*, exhiberi documenta, 2) eum, a quo editio exigitur, *illa possidere e)*.[†] Ad quod demonstrandum, iuramenti delatio in subsidium locum habet, et praesumtiones quoque adiuuant, immo sufficit demonstrasse, eum, a quo petitur editio, documentum olim possedisse *f)*. Quod si certo constat, aliquem documentum possidere, is ad edendum simpliciter tenetur. Si vero praesumtiones solum adsunt, editio per *iuramentum editionis*, quo quis asserit, se nec vere, nec ficte possidere, potest declinari *g)*. Quod etiam locum habet, licet in sententia editio pure fuerit iniuncta *h)*.

contumacia non edentis quomodo coerceatur.

§. 1901.[73] Contra eum, qui editionem aeque ac editionis iuramentum recusat, proceditur in contumaciam tali modo, vt tertius mandatis poenalibus coerceatur. Si vero actor vel reus in edendo contumax est, praeuia comminatione, documentum, si eius copia a producente sit inducta, habetur pro edito et recognito, vel si copia desit, asserta ex documento probanda pro confessis habentur *i)*. Si vero nec copia adsit, nec de contentis documenti in actis constet, editio sub

d) LEYSER sp. 38. m. 1. adde BERGER *El. disc. for.* tit. 26. *De editione doc.* conf. C. Frid. P. III tit. 24. *e)* GAIL. lib. I. obs. 100. *f)* CARPZOV. *proc.* tit. 45. n. 79. BERLICH P. I. concl. 45. n. 79. *g)* L. 9. §. 1 *de edendo.* L. 22. C. *de fide instr. h)* BERGER *de sententia tacite alternatiua* § 10. sq. *i)* BERGER *el. disc. for.* tit. 26. obs. 3. RIVINVS *enunt.* tit. 26.

poena carceris, vel praestandi id, quod interest, potest miungi.

LIB. XXII. TIT. V.
DE TESTIBVS.

definitio. §. 1902.[74] Ad species inartificialis probationis pertinet ea, quae fit per testes (§. 1876.), qui sunt *personae ad finem super veritate rei faciendam idoneae.*

inhabiles, suspecti, classici. §. 1903.[75] Quia testibus vtimur ad fidem faciendam, necesse est, vt testis sit persona ad fidem faciendam idonea. Nam non omnes ad testimonium dicendum sunt idonei. Quidam sunt plane inhabiles, quidam suspecti, quidam classici, seu omni exceptiones maiores. INHABILES sunt, *de quibus constat, quod ab iis vel naturaliter, vel moraliter veritas expectari nequeat.* SVSPECTI testes dicuntur, *quorum fides non quidem absolute, attamen in causa, in qua producuntur, est dubia.* CLASSICI sunt, *quorum fides secundum leges suspecta haberi nequit.*

quinam inhabiles. §. 1904.[76] Iudex frustranea iuramenta non debet admittere. E. quoque testes inhabiles, de quibus veritas expectari nequit (§. 1903.) non sunt admittendi. Modo de causa inhabilitatis sufficienter ex actis constet. Praxis enim super quaestione inhabilitatis non admitit probationem altioris indaginis, sed audiuntur testes, saluis exceptionibus in positionibus, quas vocant disputatorias (Disputir-Sätze) deducendis *k*). Sunt autem testes inhabiles vel *naturaliter*, vtpote furiosi, mente capti, infantes, infantiae proximi *l*), vel ciui-

k) L. 13. h. t. L. 7. D. *de publ. iudiciis.* praxis igitur non sequitur dispositionem, c. 13. X. *de testibus.*
l) L. 3. §. 5. h. t.

ciuiliter tales, qui teſtes eſſe lege prohibentur. Quales ſunt, 1) iudicio publico damnati *m)*, veluti adulterii *n)*, vel ob carmen famoſum *o)*, 2) quae palam corporis quaeſtum fecerunt, 3) qui ad teſtimonium dicendum vel non dicendum, pecuniam accepiſſe iudicati vel conuicti *p)*, 4) pagani, apoſtatae, et haeretici improbiores *q)*.

§. 1905. Suſpecti teſtes dicuntur, quorum fides eſt dubia. Fit autem fides dubia I) *ob aetatem minorem.* Puberes enim ante annum XX. in caſu criminali iure romano haud admittuntur *r)*, hodie audiuntur quidem, aſt ſuſpectae ſunt fidei. In cauſa ciuili plene puberes quidem non vero impuberes, faciunt fidem *s)*, quamuis puberes facti, de iis, quae in impubertate perceperunt, et eorum captum non excedunt, teſtes eſſe poſſint *t)*. II) Ob *ſingularem amorem* erga producentem vel *odium* erga productum *u)*, III) ob *nexum ſanguinis*, propinquiorem *x)*, IV) ob *nexum ſubiectionis* et *reuerentiae y)*, V) ob *infamiam*, qua

teſtes ſuſpecti.

+ cf. Donel. lib. quaeſt. obſ. 56.

m) L. 3. §. 5. 14. 18. D. h. t. *n)* L. 14. et 18. h. t. *o)* L. 21. h. t. *p)* L. 3. §. 5. h. t. *q)* L. 4. § 5. L pen. C. *de haeret. et Manich.* *r)* L. 20. h. t. *s)* L. 3. §. 5. L. 19. §. 1. D. L. 5. C. h. t. *t)* BESOLD *conſil.* 255. n. 8. LAVTERBACH h. t. §. 16. BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 24. §. 3. n. 1. *u)* L. 21. §. 3. h. t. de teſte inimico Nov. 90. c. 7. *x)* Quales potiſſimum parentes et liberi, L. 9. h. t. qui durante patria poteſtate ſunt inhabiles, exceptis cauſis matrimonialibus, et iis, quae inter liberos aguntur, c. 3. X. *qui accuſ. poſſ. matrim.* PVFENDORF T. I. obſ. 140. ſuſpecti ſunt fratres et ſorores, eorumque liberi, affines primi et ſecundi gradus, coniuges. BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 24. §. 3. n. 8. 9. 10. 11. 13. *y)* L. 3. §. 5. L. 6. D. L. 12. C. h. t. Inde fa-

+ ab et dotalibus

qua testis notatus est, et deprauatos eius mores z). VI) Ob *defectum sensus*, per quem notitia facti probandi percipi potuit a). VII) Ob *qualitatem causae*, si nempe testis exinde commodum sperat, incommodum metuit b). Inde nemo in sua propria causa testis esse potest. Imo venditor in causa euictionis, cedens in causa cessionarii c), debitor in causa eius, qui ex fideiussione conuentus est d), membrum vniuersitatis in causa interesse singulorum vniuersitatis membrorum concernente e), maritus in causa dotali vxoris, aduocatus in causa clientis, cui patrocinium praestat f), iudex in causa, in qua iudicauit g), non admittitur ad testimonium dicendum. Caeterum testes suspecti, exceptis impuberibus et iis, qui commodum sperant, incommodum metuunt, audiuntur quidem, ast saluis exceptionibus postea deducendis, et saluo iudicis arbitrio, qualis eorum depositionibus fides tribui possit h). §. 1906.

famuli pro dominis, L. 3. C. h. t. subditi pro superiore, vasalli pro domino, habentur suspecti. LVDOVICI *de testim. vasalli in causa domini.* KRAVS *de probat per testes domesticos.* z) L. 2. et 3. §. 5 h. t. LAVTERBACH *coll. pr.* §. 5. et 18 h. t. a) e. gr. surdus de auditu, coecus de visu deponens suspectus est. b) L. 10. D. L. 10. C h. t. c) L. 10 h. t. WERNHER P. I. obs. 371. nisi forsan emtor declaret, quod euictionis praestationem remittat. WERNHER P. V. obs. 181. d) WERNHER P. II. obs. 379. e) IDEM P. VII. obs. 181. P. X. obs. 369. BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 24. §. 3. n. 5. Interim membra vniuersitatis, quamuis eorum interfit, saluis exceptionibus examinandos statuit DE CRAMER *obs. iur. vniu.* T. I. obs. 159. f) L. fin. h. t. depositio tamen officio eum admittunt CARPZOV. lib. III. resp. 92. n. 13. BERGER *oecon.* lib. IV. tit. 24 § 3. n. 6. dissentit WERNHER P. IV. obs. 262. g) c. 1. et 6. X. h. t. h) L. 3. §. 1. et 2. L. 13. L. 21. §. 3 h. t.

LEY-

§. 1906.[76] Quia teſtimonii dictio ad promouendam facit iuſtitiam, et teſti haud nocet, illi, qui habiles ſunt, non tantum volentes, ſed quoque inuiti, teſtes adhiberi poſſunt *i)*, ſiue priuati ſint, ſiue magiſtratus *k)*. Media cogendi ſunt *mulctae dictio*, *carcer*, imo interdum *tortura l)*, ſi in cauſa reipublicae ſalutem concernente veritas aliter, quam a teſte contumace, haberi nequit. Ad teſtimonium vero dicendum *compelli nequeunt* 1) aduocati contra clientem ad reuelanda arcana ſibi credita, quia huiusmodi reuelatio in praeuaricationis crimen incidit *m)*. 2) *Clerici*, ratione eorum, quae in confeſſione ſibi reuelata ſunt *n)*. Dum is, qui in confeſſione confeſſa prodit, fidem paſtoralem violat, et non ſolum fide haud dignus cenſetur, ſed inſuper ab officio deponitur, niſi de delicto committendo ſermo ſit, quod vel vitam hominis, vel ſalutem publicam periculo exponit *o)*. 3) *Parentes et liberi*, *coniuges*, *ſocer et gener*, *vt et fratres ſororesue* aduerſus ſe inuicem *p)*. Quos tamen cogi poſſe, ſtatuit praxis, ſi vtrique litiganti aequali gradu ſint coniuncti, vel aliter veritas haberi nequeat *q)*.

remedia teſtes cogendi, et quinam cogi non poſſunt

§. 1907.

LEYSER ſpec. 283. per tot. Caeterum catalogum alphabeticum teſtium inhabilium et ſuſpectorum ſiſtit HOMMEL *Rhapſodia* obſ. 110. ſq. *i)* L. 16 et 19. C. h. t. *k)* L. 21. § 1. h. t. *l)* LVDOVICI *de teſte contumace*. TENZEL *de tortura teſtium*. *m)* HVBER *prael.* ad D. h. t. §. 17. RICHTER *deciſ.* 85. Secus ſe res habet, ſi aduocatus aliunde, quam a cliente, ſcientiam habet. BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 24. §. 4. *n)* c. 2. X. *de offic. et poteſt. iud. ord.* BOEHMER *iur. eccleſ.* lib. II. tit. 21. §. 8. ſqq. *o)* c. 12. X. *de poenit.* BEIER *de ſigillo confeſſ.* STRYCK *de credentiae reuelat.* *p)* L. 4. et 5. D. L. 6. C. h. t. *q)* BERGER *elect. diſc. for.* tit.

testium examen ad articulos ot quatenus in locum mortui alii surrogari possunt.

§. 1907.[79] Probatio per testes concipienda est per articulos probatoriales, quibus denominatio testium (§. 1879.) cum DIRECTORIO seu *designatione, super quibus articulis quilibet testis examinari debet*, adiungitur. Articuli intra terminum probatorium iudici offerri debent. Post lapsum termini probatorii nouos testes neque super aliis neque super iisdem articulis producere licet, quamuis nouiter sint reperti *r)*. In locum vero testis tempestiue denominati, et ante examen mortui, vnum vel plures, qui super iisdem articulis deponant, surrogare licet. Quod etiam locum habet, si testis tempore oblatae probationis ex errore pro viuo est habitus, modo hoc casu error legitime, vel saltim iuramento, probetur.

citatio ad testes, et cuius sumtibus illi veniunt.

§. 1908.[80] Non solum vero testes iudici sunt denominandi, sed insuper iudex, vt citet testes, rogandus est *s)*. Quo facto, iudex ad certum terminum citat eum, contra quem probatur, cum communicatione articulorum. Vocat quoque testes, vel immediate, si iudici citanti subsunt, vel mediate, si iudici citanti non subsunt, aut spes adest, iudicem, sub quo viuunt testes, permissurum, vt ad examen coram alio se sistant iudice. Haec si deest, dantur literae, quas Compaß-Briefe vocant *t)*. Veniunt autem testes sumtibus producentis, pro cuiuslibet testis dignitate regulariter post testimonii dictionem praestandis *u)*.

tit. 27. obs. 1. n. 3. LEYSER sp. 283. m. 27. MARTINI *ad proc.* tit. 20. §. 2. n. 129. sqq. CARPZOV P. I. C 16. def. 51. *r)* WERNHER P. VII. obs. 222. *s)* L. 11. C. h. t. L. 4. § 8. D. *de damno infecto.* *t)* De quibus vide *Repertor. iur. priu. rubr.* Compaß-Briefe. *u)* L. 3 §. 4. L. 11. C. h. t. L. 6. §. 2. C. *de ap. ellat.* WERNHER P. VI. obs. 370.

§. 1909. Testes citati in termino, quem vocant productionis, sub poena desertionis sunt producendi, et quidem praesentes iudici ad examen *realiter*, absentes vero, addita contumaciae accusatione, *verbaliter* sistuntur *x*). Producti vero testes, etiamsi clerici sint, in praesentia partium, quamuis absentia producti legitime citati nullum faciat impedimentum, iusiuraudum de veritate dicenda praeuia admonitione praestare debent *y*), nisi, partibus consentientibus, iudex illud remittat *z*). productio et iuramentum testium

§. 1910. Antequam vero testes iurant, is, contra quem probatio suscipitur, audiendus est suis exceptionibus contra personas testium et articulos directis. His vero vel plane non oppositis, vel remotis, iudex ad examen progreditur. Ad quod eo melius instruendum productus offerre potest interrogatoria, super quibus iudex testes, quippe qui per productionem facti sunt communes, itidem examinare tenetur *a*). Sunt autem INTERROGATORIA *breues et simplices quaestiones, quibus in idoneitatem testis et veritatem depositionis eiusque maiorem illustrationem inquiritur.* Diuiduntur in GENERALIA, *quae idoneitatem testis concernunt*, SPECIALIA, *quae contenta* exceptiones contra testes et interrogatoria.

arti-

x) MENKEN *proc.* disp. X. §. 14. BERGER *oec. iur.* lib. IV. tit. 24. §. 14. WERNHER P. VII. obs. 78. *y*) L. 9. pr. L. 16. 18. C. h. t. POLLETVS *hist. for. Rom.* lib. IV. cap. 14. *z*) arg. L. 13. *de iureiur.* L. 7. §. 14. D. L. pen. C. *de pactis.* MEVIVS P. IV. decis. 76. adde KAESTNER disp. *de testibus iniuratis.* WALCHII disp. *de nobilium testim. iniurato.* WALTHER *de valida per testes iniuratos probatione.* STAVDNER *de testimonio iniurato.* *a*) REC. IMP. NOV. § 52. 53. PORCKEL *de interrogator.* STRYCK diss. *de ineptis interrogatoriis.*

articulorum et rationem dictorum testis eruunt, et PRAELIMINARIA, *quibus circumstantiae quaedam facti ad rem facientes, et in articulis omissae includuntur.* Reiicienda tamen sunt interrogatoria *captiosa*, *inepta*, *criminosa*, *obscura*, et in Saxonia *praeliminaria.*

a quo et quomodo testium examen fiat.

§. 1911. Ipsum vero examen fit a iudice, coram quo lis pendet, vel eo, qui ab hoc requisitus est, minime vero in processu ordinario coram notario *b)*, nec testimonium in scriptis oblatum, licet iuramento confirmatum, quia destitutum est requisitis expositis, admittitur *c)*. Et quidem examinantur testes 1) in loco iudicii, exceptis personis egregiis, senibus et lectulo adfixis *d)*, quas domi examinare licet, 2) singuli seorsim, et partibus remotis *e)*, super articulis et exhibitis interrogatoriis licitis secundum directorium, ita vt iudex de suo in facto nil addere, aut obscuritatem et ambiguitatem per congruam explicationem testi factam tollere possit *f)*. Deinde 4) depositio testis, iisdem verbis, quibus proposita, consignanda est ab actuario *g)* et 5) testi in continenti praelegenda *h)*. Hic vero impositio silentii dimittendus est *i)*.

rotulus eiusque publicatio.

§. 1912. Absoluto testium examine, eorum depositio ex protocollo redigitur in ROTVLVM. *Qui est instrumentum publicum, quo testium depositiones in debitum ordinem redactae conti-*

b) LVDOVICI diss. *de notario testes examinante.* *a)* WERNHER P.VI. obs. 310. *d)* L. 15. *de iureiur.* L. 8. et 15. h. t. *e)* L. 14. C. h. t. obstare quidem videtur L. pen. C. h. t. Nov. 90. c. vlt. aut secundum hodiernam praxin extra dubium est, testes remotis partibus examinari. *f)* c. 37. et 52. X. h. t. *g)* WERHER P.V. obs. 163. STRYCK *introd. ad pr.* c. 18. §. 14. *h)* c. 7. X. h. t. *i)* LVDOVICI *de impos. silentii.*

continentur. Ordo vero plerumque talis esse solet, vt praemissis introitu et interrogatoriis generalibus, sequantur articuli, iunctis ad eorum singulos interrogatoriis specialibus, his vero omnium testium coram eodem iudice examinatorum responsiones adscribantur, iisque per attestatum, subscriptionem et sigillum iudicis, fides concilietur. Deinde rotulus, praeuia citatione ad partes, vel realiter, vel verbaliter publicatur *k*). Facta autem publicatione ex vtraque parte vlterior probatio, paucis casibus exceptis, non admittitur *l*). Ille igitur, qui reprobatione vti cupit, contra publicationem rotuli protestationem interponit, seque ad reprobationem offert. Quo facto, suspenditur publicatio rotuli, donec reprobatio sit absoluta.

§. 1913.[65] Facta rotuli publicatione sequitur DISPVTATIO super probatione, quae fit per positiones disputatorias, (die Disputir-Sätze, das Haupt-Verfahren) *quibus quaelibet pars ea, quae in pro et reprobatione, vt et in integris actis sibi proficua, aut ad destruendum aduersarii ius facientia deprehendit, debito deducit ordine.* His ad acta exhibitis, iudicis est, examinare, an probatum sit, nec-ne. Quam ob rem expendere tenetur testium personas et testimonia *m*), vt et rationes, quas de sua scientia prodiderunt *n*), ideoque nullius momenti sunt testimonia de auditu vel ex fama, nisi de factis antiquis sit sermo *o*). Sic quoque testes mere negatiui nil probant *p*). Si testes

disputatio et iudicis officium circa testium depositiones.

k) REG IMP. NOV. §. 54. *l*) STRYCK *de reprobatione post publicatas attestation.* *m*) L. 3. §. 1 sq. L. 21. §. vlt. h. t. NOV 90. c. 1. *n*) L. 4 C. etc. 27. X. h. t. BRVNQVELL *de ratione dicti testium.* *o*) L. 28. *de probat.* c. 33. et 47, X. *de testibus.* *p*) LEYSER sp. 286.

testes sibi contradicunt in circumstantiis ad rem facientibus, nihil probatum est, modo vera adsit contradictio. Quae non adest, si testes de diuersis loquuntur circumstantiis et *singulares* sunt. Potius, si circumstantiae diversae, de quibus testes loquuntur, sibi inuicem adminiculantur, probatio haud raro exinde fit plena *q)*. In dubio iudex secundum reum magis, quam secundum actorem pronuntiat *r)*. Quicquid vero duo testes omni exceptione maiores affirmant, pro plene probato habetur, nisi per contrarias probationes fuerit elisum *s)*. Interdum vnius testis affirmatio, praesumtionibus suffulta, plene probat *t)*.

LIB. XLII. TIT. II.

DE CONFESSIS.

confessionis effectus.

§. 1914. Confessionis definitionem eiusue diuisiones iam supra (§. 1874.) exposuimus. Effectus vero confessionis alii sunt, si iudicialiter, alii, si extraiudicialiter sit facta. Iudicialis confessio iure Rom. effectum rei iudicatae habet. Ob singularem enim formam iudiciorum Rom. si reus in iure confiteretur, nulla facti cognitione, nec iudicis pedanei nominatione opus erat (§. 1691.), sed confessus habebatur pro iudicato, et, si intra legitimum tempus non soluerit, aeque executione compelli poterat, ac condemnatus, vt praestet id, quod se debere erat confessus *u)*. Hodie vero cessante, quae inter magistra-

q) STRVV *exerc.* 28. §. 48. P. MVLLER *de contraria testium depositr.* *r)* L. 12. et 125. *de R. I.* *s)* L. 13. *de probat.* L. 9. §. 1. C. h. t. *t)* HORN *de probat. plena per vnum testem.* BECKER *de vno teste.* Cod. Frid. P. III. c. 28. §. 8. *u)* L. 1. et L. 6. pr. et §. 6. h. t.

gistratum et iudicem pedaneum erat, differentia, et ob modum procedendi a Romano diuersum, confessio iudicialis non rei iudicatae, sed probationis solum effectum habet (§. 1874.).

§. 1915. Quia confessio est affirmatio certa, sequitur, vt illa debeat esse 1) *directa*, non per consequentiam ex oppositis exceptionibus deducta, cum excipiens non fateatur *x)*, 2) *pura*, quia sub conditione, aut sub certa qualitate facta nondum certitudinem habet (§. 1100.), 3) *nec ab errante y)*, nec 4) *ab eo profecta esse debet, qui suam conditionem reddere nequit deteriorem z)*, et inde a pupillo vel minore, sine tutore vel curatore, vt et a procuratore sine speciali mandato facta, nullius est momenti. Porro cum nemini per tertium iniqua conditio inferri queat, confessio quidem confitenti eiusue haeredi, non tertio nocet *a)*. hi vt locum habeant, quaenam esse debeat confessio.

§. 1916. An vero confessio, vt effectum habeat, ab altera parte acceptata esse debeat, dissentiunt doctores. Mihi videtur, quod acceptatio iure quidem Romano ad rei iudicatae effectum fuerit necessaria *b)*, hodie vero, quia confessus non amplius pro iudicato habetur, acceptatio non necessario requiritur *c)*. acceptationem non praecise requirit.

§. 1917. Extraiudicialis confessio nec rei iudicatae, nec plenae probationis vim habet, sed conf. extraiud.

x) L. 9. *de exceptionibus.* c. 6. X. eod. *y)* L. 2. h. t. error tamen a reuocante confessionem probari debet. LEYSER sp. 473. m. 9. 10. *z)* L. 6. §. 5. h. t. *a)* L. 47. *de R. I.* L. 6. §. 4. h. t. *b)* L. 1. L. 6. pr. et §. 6. h. t. *c)* MEVIUS P. VIII. decis. 154. n. 8. MEIER *coll. Argent.* h. t. §. 6. *d)* BOEHMER *consult. et decis.* Tom. III. P. I. arg. 58. n. 46.

sed in casu, quo legitime facta probari potest, praesumtionem solum operatur *d)* veritatis, quae probationem contrarii aeque, ac exceptiones promissi minus serii, deficientis causae debendi, confessionis ex ostentatione factae, simulationis, aliasue non excludit *e)*.

LIB. XII. TIT. II.

DE IVREIVRANDO, SIVE VOLVNTARIO, SIVE NECESSARIO, SIVE IVDICIALI.

iuram. def.

§. 1918. *Actus, quo Deus super asserto quodam inuocatur, vt vindex sit, si iurans sciens fefellerit*, dicitur IVRAMENTVM. In omni igitur iuramento iurans 1) aliquid asserit, 2) Deum inuocat, 3) in vindicem, casu, quo sciens fefellerit suo asserto.

formale iuramentum, et formula an Eydes statt.

§. 1919. Qui aliquid asserit sub inuocatione Dei in vindicem, is iurat. Qua formula haecce Dei in vindicem vocatio fiat, perinde est. Si vero iuramentum in iudicio praestandum est, aut ob iuramenti violationem periurii poena locum habere debet, necesse est, vt secundum receptam formulam iuramentum consuetis sit praestitum solemnibus. Formula in iudiciis plerisque haec seruatur, so wahr mir Gott helfe und sein heiliges Wort, vt et: So wahr mir Gott helfe durch unsern Herrn Jesum Christum, Amen *f)*. In extraiudicialibus negotiis formula an Eydes statt, nisi leges formale iuramentum requirant, vim iuramenti habet *g)*.

§. 1920.

e) L. 7. h. t. LEYSER sp. 473. *f)* STRYCK *de cautelis iuram.* cap. II. n. 20. sqq. REC. IMP. de anno 1555. §. 104. *g)* HARTVNG disp. *de formula* an Eides statt. COLER *de proc. exec.* P. I. C. X. n. 246. adde tamen CARPZOV. P. II. Const. 16. def. 6.

§. 1920. Diuiditur iuramentum in solemne et minus solemne. SOLEMNE est, *quod praeuia certioratione de vi iuramenti, et admonitione de vitando periurio, masculi erectis duobus prioribus digitis dextrae manus ~~cum pollice~~, foeminae vero et clerici iisdem digitis cum pollice sinistro pectori impositis praestant h).* Quibus interdum alia adhuc, praesertim in iuramento purgatorio in causis crimin. praestando, accedunt solennia *i).* MINVS SOLENNE iuramentum est, *vbi verbis quidem iuramentum praestatur, reliqua vero deficiunt.* iuram. solemne et minus solemne.

§. 1921. Finis iuramenti est, vt iurans ex metu vindictae diuinae ad seruanda promissa, vel veritatem asserendam, magis obligetur. Quo magis vero hicce metus locum habeat, iuramentum ad principia religionis, cui iurans addictus est, accommodari debet *k).* Inde aliter formula concipienda est in Iuramento Iudaeorum *l),* aliter in Christianorum. Porro, cum iuramentum sit invocatio Dei (§. 1918.), cum hac vero stare nequeat fraus et dolus, sequitur, vt in iuramento abesse debeant RESERVATIONES MENTALES, quae sunt *cogitationes in praestatione iuramenti a deferentis intentione, quae iuranti nota est, alienae,* potius omne iuramentum praestandum secundum deferentis intentionem *m).* ad iurantis religionem accommodari, et reseruatio mentalis abesse debet.

b) Inde quoque hoc iuramentum vocatur ein körperlicher Eyd, ein gelehrter Eyd. STRYCK *V.M.* h.t. §. 13. *i)* de his vide LVDOVICI disp. *de solennibus iuramentorum.* GVNDLING P.IV. obs.2. *k)* L. 5. §. 3. h.t. *l)* de iuramentis Iudaeorum vide REC. IMP. de anno 1528. tit. 23. § 1. ESTOR von Abfassung der Urtel. §. 538. sqq. WILDVOGEL et WOLFART disp. *de iuramentis Iudaeorum. m)* L. 3. §. fin. h.t. MVLLER *de moral. reseruat. mental. in iuram.*

B.C.I.

aetas iurantis.

§. 1922. Quia iuramenti finis est, vt iurans magis obligetur; obligatio vero in eos solum cadit, qui intellectu et voluntate gaudent; satis patet impuberes a iuramenti praestatione arceri *n)*, nisi forsan quis volens eos admittat, quippe qui praestito stare debet iuramento *o)*. Puberes extraiudiciale et promissorium iuramentum valide praestant *p)*, ad iudiciale vero secundum obseruantiam plerorumque iudiciorum *q)* demum anno XVIII. admittuntur.

iuram. contra legis prohibitionem aut vi extorta nulla sunt,

§. 1923. Finis iuramenti est, vt iurans magis obligetur, sicuti vero ad impossibilia siue naturaliter siue ciuiliter talia, nulla datur obligatio, et actus vi vel metu extorti itidem non obligant, inde satis patet, iniusta et nulla esse iuramenta, 1) quae iurantem ad naturaliter impossibilia, seu, quae sunt contra legis prohibitionem, obligare volunt *r)*, 2) quae vi et metu is, qui ius cogendi non habet, extorsit *s)*. Huiusmodi iuramenta per se corruunt, nec opus est eorum relaxatione *ss)*.

iuram. haud necessaria exigi non debent.

§. 1924. Qui iurat, Deum in vindicem inuocat (§. 1916.). Haec inuocatio, ne temere fiat, ipsa iubet religio. Non igitur in iudicio admittendum est iuramentum, nisi necessitas illud suadeat *t)*. Hinc 1) reiiciuntur ea

n) c. 15. et 16. C. 22. qu. 5. *o)* L. 26. D. h. t. *p)* AVTH. *sacram. puberum.* C. *si aduersus vendit.* *q)* WERNHER P. I. obs. 136. MENCKEN *singularia quaedam de iureiurando, in specie de iuram. minor. et impuberum.* WALCH *de iurantis legit. aetate.* *r)* c. 28. *de R. I.* in 6to. c. 33. X. h. t. c. 8. C. 22. qu. 4. *s)* c. pen. X. *de his, quae vi metuque.* c. 28. X. et c. 2. *de iureiur.* in 6to. *ss)* BEIER *de relaxatione iuram.* STRVVE *de relaxatione iuram. ad effectum agendi.* *t)* MATHAEI V. 33. IACOBI V. 12. c. 26. X. *de iureiur.*

ea iuramenta, quae praestita nil ad decisionem causae conferunt *u)*, 2) non permittitur, iuramenti delationem cum aliis probationibus super vno eodemque facto cumulari *x)*, 3) ad iuramentum non admittitur is, contra quem plene probatum *y)*, 4) iuramenti delati reuocatio ob nouas probationes repertas conceditur *z)*, 5) iuramentum collegio, vniuersitati seu ciuitati delatum praestatur per duo aut tria eius membra, ab ipsa vniuersitate eligenda, nisi forsan deferens quaedam nominet membra, quae specialem obiecti, de quo iurandum, notitiam habent *a)*. Minime vero syndicus nomine vniuersitatis ad iurandum admittitur; nisi sit membrum vniuersitatis *b)*. Tandem leges in eos, qui falso iurant, seu periurium committunt, poenas statuunt *c)*.

iuram. assertorium l. voluntarium l. necessarium.

§. 1925. Iuramentorum variae sunt species. Est enim iuramentum vel *promissorium*, vel *assertorium*. De promissorio iam supra (§. 1105.). ASSERTORIVM vero est *iuramentum, quo veritatem confirmamus asserti*. Exigit vero hoc iuramentum vel pars aduersa,

u) c. 26. X *de iureiur.* L. 34. §. 8. h.t. si vero in facto per se irreleuante litigantes decisionis fundamentum posuerunt, statuunt, praestandum esse iuramentum, WERNHER P. II. obs. 494. *x)* c. 2. X. *de probat.* LEYSER sp. 159. m. 5. *y)* MEVIVS P. VIII. dec 333. *z)* L. 11. C. *de rebus creditis.* *a)* RIVINVS *de iuramento vniuersitatis.* *b)* Est enim syndicus vniuersitatis procurator, hic vero contradicente et inuito aduersario admitti haud debet, WERNHER P. IX. obs. 226. *c)* Romani in eos, qui per genium principis peierauerant, fustium, in eos vero, qui per verum Deum peierauerant, praeter infamiam, nullam statuebant poenam, L. 13. §. vlt. *de iureiur.* L. 2. C. *de rebus creditis.* VINNIVS *variar.* c. XV. apud nos poena determinata est in Constit. crim. Carol. art. 107. 108.

vel iudex ex officio. Prius *voluntarium seu delatum*, posterius *necessarium s. legale* dicitur.

utrumque rursus vel veritatis vel credulitatis

§. 1926.[c] Per iuramentum assertorium iurans confirmat veritatem sui asserti (§. 1925.) et quidem vel certo aliquid asserit, vel saltim secundum id, quod sibi probabile videtur. Inde nascitur distinctio in iuramentum *veritatis* et *credulitatis*. Illud est, *si quis iurat, rem certo se ita habere, prout iurans eius veritatem asserit.* Hoc vero est: *si quis iurat, se aliter nec scire, nec credere, quam eo modo, quo rem asserit d).* Cum igitur iuramento credulitatis iurans non veritatem, sed probabilitatem tantum asserit, illud subsidiarium est, et in eo solum casu admittitur, si veritatis iuramentum haberi nequit *e).* Praesertim vero iuramentum credulitatis locum habet, si quis de tertii cuiusdam facto, e. gr. haeres super facto defuncti, ~~cessionarius super facto cedentis~~ iurare debet *f).* Effectus tamen huius iuramenti idem est, ac iuramenti veritatis.

iuram. delatum habet vim transactionis, et exceptionem aeque ac actionem producit.

§. 1927.[b] Iuramentum *delatum* exigit pars aduersa (§. 1925.), et quidem eo fine, vt, quidquid iuramento asseritur, pro veritate habeatur, et inde lis imminens, vel iam existens, finem consequatur. Si altera pars iuramenti delationem acceptat, adest conuentio, producens ius et obligationem, vt iuratum pro veritate habeatur, et tali modo lis sit decisa. Hinc iuramenti delati praestatio est conuenta decisio litis, sicque transactionis

d) L. 2. C. *de iureiur. propter calumniam.* c. 5. X. *de test bus.* ORD. CAM. P. II. tit. 10. LAVTERBACH *de iuram. credulitatis.* e) WERNHER P. VII. obs. 97. LEYSER sp. 142. m. 4. f) CARPZOV. P. I. C. 24. def. 6. sqq.

nis et rei iudicatae habet vires *g)*. Quidquid igitur iuratum est, tanquam ex re iudicata et transactione, et inde ex noua causa, debetur, ita, vt iuranti *actio* aeque ac *exceptio* competat *h)*, et iusiurandum semel praestitum probationem falsi non admittat *i)*, quamuis in criminali processu de periurio conuictus laesum indemnem praestare teneatur *k)*.

a quo, cui, et in quibus causis iuramentum deferri queat.

§. 1928. Iuramentum vero, prout super negotio vel iudiciali vel extraiudiciali defertur, in iudiciale, quod etiam litis decisorium vocant, et extraiudiciale, diuiditur. Hoc vnice ex partium conuentione pendet, in illo vero modus a lege praescriptus est seruandus. Iudiciale igitur iuramentum, quia vim transactionis habet (§. 1921.), 1) *defertur* cui super causa controuersa transigere licet (§. 1927.) *l)*, quamuis sit infamis *m)*, 2) *defertur super omnibus causis, quae transactionem admittunt*, id est, de quibus deferens libera gaudet disponendi facultate (§. 1104.). Inde in omni causa ciuili, etiam famosa, et vbi ex delicto ad priuatam satisfactionem *n)*, vel de sponsalibus *o)*, minime vero in causa, vbi de matrimonii vinculo dissoluendo, aut poena publica agitur, iuramentum potest deferri. Porro, cum de re aliena transigi nequeat, 3) iuramentum *illi est deferendum*, cum quo

g) L. 2. L. 5. §. 2. h. t. L. 8. C. h. t. *b)* §. 4. I. *de except.* c. I. *de litis conteſt.* in 6to. *i)* L. 13. h. t. L. 1. et L. 12. §. 3. C. *de rebus credit.* *k)* L. fin. C. *de rebus credit.* C. C. Car. art. 107. *l)* L. 17. §. 2. L. 18. 19. 34. §. 1. L. 35. h. t. *m)* BRVNNEMANN *proc. ciuil.* c. 23. n. 4. WERNHER P. IX. obſ. 224. diſſentit CARPZOV. P. I. C. 14. def. 6. *n)* arg. L. 52. §. 27. *de furtis.* L. 25. §. 3. *de probat.* L. 11. §. 1. L. 38. h. t. L. 9. §. 2. *de iureiur.* et c. 36. X. eod. *p)* BOEHMER *iur. eccleſ.* lib. II. tit. 24. §. 60.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0331
DFG

principaliter lis agitur, et si plures sint litis consortes, aut omnibus, aut quibusdam tantum *p)*, minime vero procuratori, et tutori, nisi super proprio eius facto. Pupillo seu minori delatum iusiurandum, aut absque pupilli seu minoris praeiudicio, donec ad annos discretionis venerit (§. 1922.), potest differri, aut non. Priori casu praestatio differtur. Posteriori vero casu, volens tutor admittitur, inuitus non cogitur *q)*.

del. iur. est probationis species, et iusto tempore fieri debet, de ea vero iudex statuit.

§. 1929. Defertur iuramentum iudiciale eo fine, vt de veritate iudici fiat fides (§. 1927.). Inde iuramenti delatio est probationis species *r)*, et is deferre potest iuramentum, cui probatio incumbit, modo iusto deferatur tempore. Leges enim aut certum, quo delatio fieri debet, determinant terminum, v. gr. in Saxonia ante litis contestationem puram, aut non. Illo casu post terminum lege praefixum delatio iuramenti, non amplius admittitur. Hoc vero casu ad ordinarium terminum probatorium iuramenti delatio est adstricta *s)*. Hoc non praefixo, illa vsque ad conclusionem in causa locum habet, etiamsi alia probatione, aut insufficiente, deferens iam fuerit vsus. Quia vero iudicis est curare, ne extra necessitatis casum iuretur, iuramentum iudiciale prius non est praestandum, quam iudex super eius admissibilitate decreuerit *t)*, qui etiam reo non permittit

p) L. 26. pr. h. t. WERNHER P. IV. obs. 48. *q)* L. 34. §. 2. h. t. MEVIVS *ad ius Lubec.* lib. I. tit. 7. art. 3. CARPZOV. P. I. C. XII. def. 42. *r)* L. 35. pr. h. t. L. 12. §. 1. C. *de rebus creditis* L. 25. §. 3. *de probat.* *s)* MEVIVS P. IV. dec. 6. WERNHER P. II. obs. 288. LEYSER sp. 135. m. 1. *t)* c. 2. X. *de probat.*

mittit super articulis reprobationi actoris directo contrariis deferre iuramentum *u)*.

illi, cui iuram. delatum, electio competit, super qua se declarare tenetur.

§. 1930. Iuramentum in iudicio delatum, est voluntarium (§. 1927.). Ergo non praecise acceptandum et praestandum est. Sed is, cui iuramentum est delatum, gaudet ex lege electione, an illud acceptare, referre, aut conscientiam per probationem exonerare velit *x)*. ACCEPTATIO iuramenti est *declaratio eius, cui iuramentum delatum est, quod iurare velit.* RELATIO est *declaratio, vt iuramentum delatum deferens praestet.* PROBATIO PRO EXONERANDA conscientia (Gewissens-Vertretung) *est probatio eius, quod iuramento confirmare debuit.* Is igitur, cui iuramentum delatum est, se declarare tenetur, quid facere velit. Quem in finem leges in Saxonia octiduum, a momento, quo sententia in rem iudicatam transiit, computandum, sub poena deserti iuramenti praescribunt. Extra Saxoniam iudex certum dicit terminum, intra quem sub poena iurare nolentis declaratio super iuramenti delatione fieri debet.

acceptatum iuram. prae-cise praestandum.

§. 1931. Is, cui iuramentum delatum est, eligere potest, an iurare, an referre, an probare velit (§. 1930). Electione vero semel facta vlterior non competit electio. Inde acceptatum iuramentum praecise est praestandum, nec a suscipiente declinari *x)*, nec a deferente reuocari potest *z)*, nisi deferens noviter repertis probationibus docere possit, ac-

 ceptan-

u) WERNHER P. IV. obs. 47. *x)* Haec electio non censetur ademta, quamuis in sententia iuramenti praestatio fuerit iniuncta. BOEHMER *de sententiis tacite alternatiuis.* CARPZOV. P. I. C. 14. def. 14. *y)* MEVIVS P. VI. decis. 167. CARPZOV. P. I. C. 14. def. 4. *z)* WERNHER P. VIII. obs. 444.

ceptantem peieraturum *a)*. Si acceptans ante iuramenti praestationem moritur, illud nihilominus haeredes, quamuis de credulitate solum, praestare tenentur, nisi forsan defunctus ad iuramenti legitime acceptati praestationem paratus per calumniam partis aduersae fuerit impeditus *b)*, quo casu iuramentum habetur pro praestito.

relatio super facto proprio fieri nequit.

§. 1932. Relatio iuramenti tunc demum fieri potest, si iuramentum super factis alienis seu communibus, quorum vterque notitiam habet, delatum est *c)*. Si vero super facto proprio, de quo is, cui delatum est, vnice notitiam habet, iuramentum defertur, cessat relatio *d)*. Rite relatum iuramentum praecise est praestandum, nec probatione pro exoneranda conscientia potest declinari. Relatio vero in casu, quo illa non habet locum, suscepta, desertionem iuramenti operatur *e)*.

probatio pro exoneranda conscientia quomodo fiat, eiusque effectus.

§. 1933. Probatio pro exoneranda conscientia, moribus potius, quam lege scripta, introducta, est *probatio* (§. 1931.), quae per testes aeque ac instrumenta, minime per delationem iuramenti fieri potest. Illa vero ad eas solum propositiones, super quibus iuramentum delatum, est dirigenda, et inde peremtoriae exceptiones non sunt immiscendae. Effectus huius probationis, si plena est, in eo consistit, vt liberet ab obligatione iurandi. Si probans deficit in probatione, circum-

a) L. 11. C. *de rebus cred.* WERNHER P. VIII. obs. 377. 416. P. X. obs. 394. LEYSER sp. 138. *b)* STRYCK *de morte loco iurisiurandi.* *c)* BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 25. th. 8. n. 4. *d)* L. 34. pr. et §. 8. h. t. WERNHER P. I. obs. 214. *e)* RIVINVS tit. 8. *enuntiat.* 56. LAVTERBACH et WILDVOGEL disp. *de relatione iurisiurandi.*

circumstantiae, super quibus delatio est facta, pro confessis haberi deberent, ait praxis eum ad iurandum adhuc admittit *f)*.

in termino praefixo praestatur iuram. datur tamen exception.

§. 1934. Ad acceptatum vel relatum iuramentum praestandum iudex vel ex officio, vel ad instantiam partis, vel, vt in Saxonia, exceptis Elector. et Altenburgicis terris *g)*. ad instantiam eius, cui praestatio incumbit, praefigit terminum *h)*, in quo deferens, exigente aduersario, iuramentum calumniae *i)* sub poena remissi iuramenti delati, altera vero pars iuramentum delatum et acceptatum sub poena deserti iuramenti, seu fictae confessionis, iurare tenetur, nisi forsan *k)* deferens praestationem velit remittere, quo casu iuramentum pro praestito habetur *l)*.

praestatur in loco iudicii, in propri persona et forma delata,

§. 1935. Praestatio vero iuramenti fieri debet secundum formam, in qua delatum *m)*, et a iudice approbatum *n)*, in loco iudicii, exceptis personis egregiis et infirmis *o)*, et quidem in propria persona, non per procurato-

f) Aequitatem huius probationis lex ciuilis quodammodo agnoscit, L. 8. D. *de condit. instit.* Ast iure Saxonico haec omnia legibus sunt ordinata, P. I. *Constit. Elect.* 14. *Ordin. Proc. Elect. vet.* tit. 19. LYNCK. *de conscientiae exonerat.* c. vlt. *Cod. Frider.* P. III. tit. 21. §. 4. abrogauit probationem pro exon. conscientia. *g)* *Ord. Elect. Proc. nou.* tit. 18. §. 4. *Ordin. Proc. Altenburg.* P. I. c. 15. §. 9. *h)* CARPZOV. P. I. C. XII. def. 6. 19 WERNHER P. VII. obs. 225. *i)* L. 34. §. 4. L. 37. h. t. *k)* Iure communi, vt et in Saxonia Elect. et Ducatu Altenburgico, in casu, quo relatum est iuramentum, deferens non praestat iuramentum calumniae. BERGER *oecon. iur.* lib. IV. tit. 26. th. 8. n. 2. *l)* L. 6. h. t. MEVIVS P. IV. decis. 262. *m)* L. 3. §. 4. h. t. *n)* L. 34. §. 5. h. t. WERNHER P. I. obseru. 69. LEYSER sp. 137. m. 1. 4. *o)* L. 12. pr. et §. 4. *de rebus creditis.* L. 15. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0335
DFG

ratorem, nisi altera pars consentiat, aut obseruantia iudicii procuratoria ferat iuramenta *p)*.

iuram. necess. calumniae s. legale.

§. 1936. Transimus ad iuramentum *assertorium necessarium* (§. 1925.), quod non ex voluntate partium, sed permittente lege a iudice ex arbitrio defertur, vel calumniae arcendae causa, vel ad finiendam litem. Illud *calumniae iuramentum* dicitur. Hoc vero doctrinae causa *litis decisorium, necessarium seu legale* vocare licebit.

iuram. calumniae generale, speciale s. malitiae.

§. 1937. IVRAMENTVM CALVMNIAE est, *quo quis iurat, se credere suam causam esse iustam, seque nil facere aduersarium vexandi causa.* Diuiditur in GENERALE, *quo quis iurat, se causam suam credere iustam, et per integrum processum nil facturum, quod iuri aduersae partis fraudi esse queat q)*, et SPECIALE *quo quis intuitu singularis cuiusdam actus iurat, se calumniose haud agere.* Ante Iustiniani tempora solummodo speciale calumniae iuramentum erat in vsu, quod vero, cum variis litis protractionibus praeberet occasionem, Iustinianus abrogauit, et generale statim post litem contestatam praestari iussit *r)*. Ast ius canonicum et nostra praxis speciale iterum sub nomine iuramenti *malitiae* recepit *s)*. In Saxonia aliisque locis iuramentum generale peni-

p) L. 12. §. 4. C. *de rebus cred.* RIVINVS *de iureiur. in alterius animam.* LYNCKER *de iuramento mandatarii in animam principalis.* HENRICVS IV. Ruth. comes *de iureiur. in animam princip.* GVNDLINGIANA P. VI. n. 3. *q)* formulam huius iuram. exhibet L. 2. C. et AVTH. *in iusto iuram.* C. *de iureiur. propter calumn.* NOV. 49. c. 3. REC. IMP. de anno 1654. §. 43. *r)* NOV. 49. c. 3. *s)* c. 2. fin. *de iuram. calumn.* in 6to. FLOERCKE *de iuramento calumniae.*

penitus abrogatum, et speciale solum vsu seruatur.

de iur. calum. iudex statuit, et a quo exigi possit.

§. 1938. Iuramentum calumniae a iudice pro arbitrio defertur ad arcendam in lite calumniam. Hoc igitur iuramentum praeponit calumniae suspicionem *t)*. Haec an adsit, iudex aestumat, et pro arbitrio, parte etiam non petente, iuramentum calumniae exigit, vel parte exigente aduersa remittit *u)*. Deferri autem potest non parti principali solum, licet clericus sit *x)*, sed quoque tutori, curatori, procuratori, aduocato *y)*, in prima aeque, ac secunda instantia *z)*. Immunes tamen sunt illi, in quos non cadit calumniae suspicio, quales sunt, 1) illi, qui ex officio agunt *a)*, 2) principum et statuum ministri in dominorum suorum causis *b)*. Deinde 3) non quidem pars aduersa ab iis, quibus debet reuerentiam, bene vero iudex, existente graui calumniae suspicione, exigere potest calumniae iuramentum *c)*.

effectus iuram. vel praestiti vel recusati.

§. 1939. Is cui iuramentum calumniae a iudice impositum est, aut illud praestat, aut eius praestationem recusat. Praestatio huius iuramenti suspicionem quidem calumniae tollit, a temeritate vero litigandi, et sic quoque a condemnatione in expensas, haud liberat

t) L. 8. §. 6. *qui satisdare cogantur.* *u)* MEVIVS P. VII. decis. 387. c. 1. *de iuram. calumniae* in 6to. STRYCK *de remiss. iur. cal.* c. 3. WERNHER P. VIII. obs. 460. *x)* c. 5. 6. 7. X. *de iuram. cal.* *y)* c. 2. *de iur. cal.* 6to. L. 2. C. eod. L. 14. §. 1. C. *de iudic.* *z)* c. 2. citat. MEVIVS P. I. decis. 138. P. II. dec. 378. tale quoque est iuramentum appellationis, ORDIN. CAM. P. III. tit. 32. §. pen. *a)* GAIL. lib. I. obs. 90. *b)* REC. IMP. de anno 1654 §. 43. *c)* L. 7. §. 3. *de obsequ. parent.* L. 34. §. 4. h. t.

rat *d*). Si vero eius praestatio recusatur, actor contumax causam perdit, et reus habetur pro confesso *e*), aduocati, procuratores, et reliqui causa interdicuntur, et simul mulctam incurrunt *f*).

iuram. purgatorium, suppletorium.

§. 1940. Iuramenta necessaria, quae litis decisioni inseruiunt, sunt vel *purgatorium*, vel *suppletorium*. SVPPLETORIVM (Erfüllungs-Eyd) dicitur, *quo quis defectum probationis suae minus plene existentis supplet*. PVRGATORIVM (Reinigungs-Eyd) *vero, quo is, contra quem probatum, praesumtiones ex probatione imperfecta contra se militantes, elidit*. Cum enim probatio minus plena nec condemnationem, nec absolutionem rei operari queat, iubent leges, vt praeuia causae cognitione res iuramento decideretur *g*). Hocce iuramentum illi, qui probauit, impositum, *suppletorium*, illi vero, contra quem probatum est, impositum, *purgatorium* dicitur. Fortiores quoque praesumtiones ad iuramentum vel purgatorium vel suppletorium sufficiunt *h*).

eorum effectus.

§. 1941. Iuramenta, purgatorium aeque ac suppletorium, sunt necessaria (§. 1940.). Hinc cessat electio, et neque referri, neque per probationem pro exoneranda conscientia declinari possunt, sed praecise sunt praestanda, nisi forsan probationis fatali nondum elapso, vna vel altera pars defectum probationis velit supplere. Iniunctum iuramentum aut praestatur, aut recusatur. Si suppletorium

d) L. 79. *de iudiciis*. WERNHER P. V. obs. 228. *e*) AVTH. *principalis*. §. 5. C. *de iureiur. propr. cal.* *f*) GAIL. lib. I. obs. 89. *g*) L. 31. h. t. L. 3. C. *de rebus creditis*. c. 36. §. 1. X. *de iureiur*. c. 8. X. *de purgat. canonica*. *h*) CRELL *de iureiur. suppletorio, quod sine probatione decernitur*. MEVIVS P. V. decis. 172.

rium praestatur, probatio est perfecta, et alterius condemnationem, purgatorium vero absolutionem operatur. Recusans iuramenti suppletorii praestationem causa cadit. Qui vero purgatorium non praestat, confitetur aduersae partis intentionem. Praestito vno vel altero horum iuramentorum, si testes vel documenta inueniantur, quibus plena contra iurantem probatio fieri potest, contra iuramentum praestitum restitutio in integrum locum habet. Quibus casibus iudex vel suppletorium, vel purgatorium, decernere queat, supra titulo de probationibus fuit explicatum.

Lib. XII. Tit. III.

DE IN LITEM IVRANDO.

definitio, eiusque illustratio.

§. 1942. Ad iuramenta litis decisoria pertinet quoque IVRAMENTVM IN LITEM, (Würderungs-Eyd) quod in sensu iuris Romani est *iuramentum, quo actor id, quod sibi ex patrimonio abest, et dolo vel culpa lata aduersarii non restituitur, seu praestatur, aestumat secundum singulare pretium, quod rei ex sua tribuit affectione.* Fieri enim potest, vt quis ad dandum vel praestandum aliquid sit obligatus, ast dolo vel culpa praestare vel dare nolit, aut non possit, et inde alteri nascatur damnum, quod resarciendum est. Hocce damnum, si aliter aestumari nequeat, in subsidium per iuramentum in litem aestumatur, secundum affectionem iurantis, etiam vltra verum pretium *k*). §. 1943.

i) L. 31. h. t. STRYCK *de probat. contra praestitum iuram. legale.* In Saxonia probatio per documenta solum admittitur, BERGER *elect. disc. for.* p. 829.
k) L. 1. D. h. t.

sur, in litem iudex decernit, act. inuito non obtrudit.

§. 1943. Iuramentum in litem est remedium subsidiarium (§. 1942.). Hinc in eo solum casu locum habet, si aestumatio aliunde per testes, arte peritos, vel ex officio haberi nequeat *l)*. An vero hic casus adsit, iudicis sententia determinat. Non igitur pars parti, sed iudex, praeuia causae cognitione, defert iuramentum in litem *m)*, et quidem ipsi principali *n)*, quamuis tutor, si velit, nomine pupilli admittatur *o)*. Delatum tamen iuramentum in litem nemo inuitus praestare compellitur, sed potest aestumationem mero iudicis relinquere arbitrio, etiamsi res iudicata adsit *p)*.

admittitur in poenam doli vel culpae latae.

§. 1943. In iuramento in litem standum est aduersarii aestumationi (§. 1942.), quae praestanda est, quamuis actor rem vltra verum pretium aestumauerit. Et hoc in poenam doli seu culpae latae est introductum. Inde iuramento in litem tunc demum locus datur, si reus dolo, vel culpa lata non restituat, minime vero, si leui vel leuissima culpa res non praestatur *q)*. Ex quo porro sequitur, non, nisi lite a defuncto contestata, contra haeredes in litem iurari *r)*.

in subsidium, si rationabilis est affectio.

§. 1945. Per iuramentum in litem res aestumatur in subsidium, si aliter aestumatio haberi nequit, secundum affectionem iurantis (§. 1942.). Si igitur in re, quae alias certam habere potest aestumationem, aliquis affectionem singularem se habere affirmet, ideoque ad iuramentum in litem admitti cupiat, do-

l) L. 2. §. 1. L. 4. §. f. L. 5. §. 3. h. t. *m)* L. 4. §. 1. h. t. *n)* L. 7. h. t. *o)* L. 4. pr. h. t. *p)* L. 2. C. h. t. BERGER *elect. disc. for.* p. 854. *q)* L. 4. §. 4. L. 5. §. 3. L. 2. C. 1. h. t. *r)* L. 4. et 5. C. h. t. WERNHER P. IX. obs. 87.

docere debet, 1) rem esse talem, in quam affectio cadere potest *s)*, affectionem esse rationabilem, quippe quae ex pretiosa rei raritate, seu ex singularibus circumstantiis notabilibus, rem pretiosiorem reddentibus *r)*, minime ex vana libidine nascitur *u)*, 3) dolum vel culpam latam aduersarii (§. 1944.).

moderatio tamen iudicis locum habet.

§. 1946. In iuramento in litem actor aestumat secundum suam affectionem vltra verum pretium (§. 1942.), et quidem iurare licet in infinitum, nisi forsan iudici aequum fuerit visum, quantum iuramento asserendum, vel iam assertum, ad minus reducere *x)*. Iuratum vero et a iudice approbatum, reus soluere tenetur.

iuram. in litem affectionis vel veritatis.

§. 1947. Equidem doctores iuramentum in litem in iuramentum diuidunt AFFECTIONIS, *quo res aestumatur secundum singulare pretium affectionis*, *et* VERITATIS, *quo res secundum pretium*, *quod in vita communi habet*, *aestumatur*. Ast iuramentum veritatis Romanis proprie non est in litem *y)*, sed potius species iuramenti suppletorii *z)*. Quod locum habet, si constat, reum ad praestandum seu dandum esse obligatum, ast incerta est aestumatio, seu quantum debiti, quo casu, iubente iudice, quantum debiti seu aestumatio per modum suppletorii mediante iuramento fieri potest *a)*. Et hoc iuramentum etiam in casu,

s) L. 3. h. t. regulariter tales non sunt res fungibiles, THOMASIVS *de pretio affectionis in res fungibiles non cadente.* WERNHER P. IV. obs. 123. *t)* L. 38. D. *de minoribus.* L. 36. *de bonis libert.* *u)* L. 6. §. 2. *de operis seruorum.* *x)* L. 4. §. 2. et 3. L. 5. §. 2. h. t. *y)* L. 2. D. h. t. *z)* BOEHMER Tom. III. P. II *consult.* 322. n. 33. *a)* L. 1. § 40. *depositi.* c. 32. *de iur.* L. 5. §. 3. h. t. nec obstat L. 4. §. 5. h. t.

casu, quo culpa leuis solum commissa est, et contra haeredes locum habet.

iuram. Zenonianum et minorationis.

§. 1948. Species iuramenti in litem est iuramentum ZENONIANVM, *quo per vim laesus aestumat res sibi ablatas, et omne id, quod per factum violentum sibi abest, eo effectu, vt reus praestet quantum iuratum b).* Ast in Saxonia actor certum damni per vim dati quantum exigit, quod deinde reus per iuramentum minuit, et hoc vocatur minorationis iuramentum *c).*

LIB. XLII. TIT. I.

DE RE IVDICATA ET DE EFFECTIBVS SENTENTIARVM ET DE INTERLOCVTIONIBVS.

sententia eiusque species explicantur.

§. 1949. SENTENTIA generatim sumta est *pronuntiatum iudicis*, quod vel *ad decisionem puncti controuersi*, vel *ad cognitionem causae instruendam* facit. Ibi SENTENTIA IN SPECIE talis *d)*, hic vero INTERLOCVTIO et quidem, quae fit audita altera parte, MIXTA, *quae vero altera parte non audita pronuntiatur*, MERA *interlocutio* vocatur. *Sententia*, prout vel *causam principalem controuersam*, vel solum *incidens punctum decidit*, in DEFINITIVAM et INTERLOCVTORIAM diuiditur. *Sententia in causis summariis* lata, vocari solet DECRETVM. Germaniae quoque fora distinguunt inter Urthel, Beſcheid, Weiſung.

interlocutio mera, mixta et vtriusque effectus.

§. 1950. Per interlocutionem iudex instruit causae cognitionem (§. 1949.). Instruere causae cognitionem est partibus iniungere, quid secundum processus ordinem fieri debeat. Hinc interlocutiones dirigunt solum pro-

b) L. 9. C. *vnde vi.* *c)* DITMAR et WIDEBVRG *de iuramento minorationis.* *d)* L. 3. C. h. t.

processum, non decidunt controuersiam, nisi forsan super eo, quid secundum processus ordinem fieri debeat, inter partes fuerit controuersum, et iudex praeuia causae cognitione litem dirimat, tunc interlocutio non est mere talis, sed transit in *sententiam interlocutoriam* seu *interlocutionem mixtam*. Haec in rem iudicatam transire potest, non vero interlocutio mere talis *e)*, quae eatenus solum effectum habet, quatenus legi et ordinationi processus conuenit.

sententia a collegio ex plurali votorum ferenda, quae si paria, quid?

§. 1951. Sententia est decisio causae controuersae (§. 1949.). Hinc ferenda est a iudice competente *f)*. Qui haud raro integrum est collegium. Hoc sententias concipere debet secundum vota assessorum maiora. Si paria sunt vota, ex collegiorum obseruantia praeses decidit, in casu vero, quo huius voto annumerato, paria existunt, pro reo pronuntiatur *g)*, nisi forsan actoris causa iuris habeat fauorem *h)*. Si dissensus sit circa quantitatem, condemnatio fit in minimam summam *i)*.

inrotulatio et transmissio actorum.

§. 1952. Sententiam fert iudex competens (§. 1951.). Qui tamen non semper eam ipse concipit, sed ab extraneo collegio conceptam publicat. Apud nos enim in vsu est transmissio actorum ad dicasteria, vt sententias concipiant *k)*, quas semel latas iudex absque noua causae cognitione mutare nequit

e) L. 14. h. t. c. 60. X. *de appellat.* *f)* L. vlt. *de iurisd.* tit. C. *si non a competente iudice.* *g)* L. 125. *de R. I.* *h)* L. 38. h. t. *i)* L. 38. §. 1. h. t. *k)* Quae interdum a iudice ex necessitate fieri debet, REC. IMP. de anno 1654. §. 113. plerumque tamen ex arbitrio fit, GVNDLING *de transmiss. actorum in LL. Imp. permissa eiusque repetitione* STRVV *de commodis et incommodis transmiss. actor.*

quit *l)*. Transmissionem vero praecedere solet actorum *inrotulatio*, cui a iudice terminus praefigitur. In hoc 1) partes de supplendis actorum defectibus monere, 2) et contra collegia quaedam, quatenus lex hanc facultatem non restringit, excipere possunt, eo effectu, vt iudex ad collegia excepta transmittere nequeat acta *m)*. Minime vero in termino inrotulationis noua causae argumenta afferre licet. Caeterum citatio ad terminum inrotulationis est monitoria, et emanente citato in contumaciam proceditur.

sententia iuri et actis conformis esse debet, alias nulla est.

§. 1953. DECIDERE causam controuersam *est*, *iudicis auctoritate statuere*, *quid secundum iura et facta in actis deducta in causa controuersa fieri debeat*. Hinc sententia, quae est decisio causae, fieri debet secundum ius, acta et probata *n)*. Iudex igitur nec in facto aliquid addere, nec secundum conscientiam priuatam pronuntiare *o)*, sed factum in actis probatum secundum leges non exempla *p)*, seu cerebrinam aequitatem iudicare, nec non ea, quae iuris et a partibus omissa sunt, supplere *q)*, ideoque semper iustas habere debet decidendi rationes, quae tamen ex consilii ratione sententiae inseri non solent, et seperatim exhibitae vires rei iudicatae non habent *r)*. Sententia contra ius in thesi lata, nulla

l) THOMASIVS *de iudice sentent. ab actis remouente.* LEYSER sp. 465. m. 1. *m)* LEYSER sp. 465. m. 6. sqq. *n)* L. 6. §. 1. *de offic. praesid.* *o)* THOMASIVS *de fide iurid.* c. 2. §. 5 7. ZIEGLER *dicast. concl.* 35. *p)* L. 13. C. *de sententiis et interlocut.* *q)* L. vn. C. *vt quae part. desunt.* WILLENBERG *de supplemento iudicis in causis partium.* *r)* SCHMID *de rationum decid. vtilitate et effectibus.* KRESS *de rationibus decid. in variis iurib. et resp.*

nulla est *r)*, et quae facto non conformis, remediis interpositis corrigitur.

conclusio causae.

§. 1654. Quia sententia fieri debet secundum acta et probata (§. 1953.), sequitur, vt ante eius conceptionem acta a partibus satis instructa, et vtriusque argumenta deducta esse debeant. De quo, vt constet, praecedere solet conclusio in causa. Quae a partibus expresse ac tacite fieri, imo interdum a iudice ex officio causa pro concluſa haberi potest *t)*. Semel concluſa causa, partes quidem noua decisioni causae inseruientia argumenta afferre non possunt, ast iudex causae conclusionem, nisi lex obstet, rescindere, et vlteriorem deductionem partibus permittere non prohibetur *u)*.

sententia quomodo concipienda.

§. 1655. Per sententiam lis deciditur. Inde debet esse 1) *certa*, quoad omnia puncta inter partes controuersa *x)*, et ad sententiam instructa. Sufficit tamen certitudo relatiua *y)*; 2) *Pura*, conditiones enim extrinsecas non tolerat, nisi tales sint, de quibus absque vlteriori causae cognitione statim constare potest, an sint impletae, an non *z)*; 2) *conformis libello*, quod ad obiectum, non tamen praecise petito, sed iuri et actis conformanda est *a)*. Porro 4) sententia litem vel principalem, vel incidentem finire debet. Quod intuitu causae principalis fit, si reus vel condemnatur, vel absoluitur *b)*, pure aut sub

r) L. 1. §. 2. *quae sententiae sine appell.* L. 2. C. *quando prouoc. non est necesse.* *t)* AVTH. *iubemus.* C. *de iudiciis.* STRVV *de conclusione in causa.* LEYSER sp. 466. m. 1. sqq. *x)* L. 3. 4. C. *de sentent. quae sine certa quant.* *y)* L. 5. §. 1. L. 59. §. 1. h. t. *z)* L. 1. § 5. *quando appell.* LVDOVICI *proc. ciuil.* c. 35. §. 7. qq. *a)* L. 18. *de com. diuid.* LEYSER sp. 468. per tot. *b)* L. 1. D. h. t. L. 3. C. *de sentent.*

conditione praestandi iuramenti suppletorii vel purgatorii. Regulariter vero actor non condemnatur *c)*, quia reus proprie nil exigit, sed solummodo defendit. Exceptio tamen est quoad expensas et iudicia duplicia.

sententiae introitus et publicatio.

§. 1956. Sententia litem decidere, sicque ius facere debet inter partes, in causa, super qua lata est, perpetuo valiturum *d)*. Inde sententia 1) in introitu *partium nomina, et causam*, de qua fertur, exprimere *e)*, 2) in *scriptis* concipi *f)*, et 3) legitime partibus *publicari* debet. Fit autem publicatio vel *solenniter*, praeuia citatione, in loco iudicii, ipsis partibus *g)*, non procuratori, nisi speciale ad audiendas seutentias habeat mandatum, et alterutra parte citata absente, in contumaciam sententia pro publicata habetur; vel *minus solenniter*, transmissa sententiae copia. Super facta publicatione habetur protocollum, quod exprimere debet, *cui*, *quomodo* et *quando* publicata sit sententia *h)*.

rei iudicatae parendum est, illa tamen in quibusdam casibus potest rescindi.

§. 1957. Sententia rite publicata intra decendium quidem a viribus rei iudicatae potest suspendi *i)*; elapso vero decendio vires rei iudicatae consequitur, eique simpliciter satisfaciendum et parendum est *k)*, nec sub vllo,

c) c. 2. X. *de ordin. cognit.* RIVINVS tit. 34. en. 16. *d)* L. 207. *de R. I.* L. 63. D. h. t. L. 50. §. 1. *de legatis* 1. L. 1. C. *de re iudicata.* *e)* L. 1. C. *de sentent. et interloc.* *f)* L. 2. 3. C. *de sententiis ex peric.* Exceptio est, si admodum breues sint lites, et maxime vilium personarum et causarum. AVTH. *nisi breues.* C. eod. *g)* L. 47. h. t. L. 69. *de iudic.* *h)* LEYSER sp. 469. m. 6. sqq. *i)* NOV. 23. c. 1. *k)* L. 207. *de R. I.* L. 65. §. 2. *ad SCt. Trebell.* quod etiam in causa matrimoniali locum habet, BOEHMER I. E. P. lib. II. tit. 27. §. 43. et ne victor quidem inuito altero a sententia potest recedere, PVFENDORF T. II. obs. 153.

vllo, ne quidem nouiter repertorum instrumentorum, praetextu lis resuscitari debet *l)*, modo releuet, et litigatoris, vt vires habeat, interfit, nec contra iura et processus ordinem sit lata *m)*. Rescindi tamen potest sententia per modum restitutionis in integrum, si 1) ex falsis instrumentis vel testimoniis lata *n)*, 2) publicum interesse laedit *o)*, 3) ex iureiurando purgatorio vel suppletorio falso lata, 4) instrumenta per aduersarium subtracta non nisi post sententiam reperiri potuerint *p)*, 5) alia iusta causa restitutioni locum faciens adsit.

effectus sententiae contra tertium.

§. 1958. Quamuis vero res iudicata ius faciat inter litigantes (§. 1956.), illa tamen tertio nec prodest, nec nocet *q)*, nisi forsan 1) is, cui actio vel defensio primum competit, sequentem agere vel defendere patiatur, eoque sciente sententia inter alios lata sit *r)*, 2) si res, in quam sententia concepta, in alterum transiit *s)*, 3) si tertius a litigante causam habeat *t)*.

executio.

§. 1959. Rei iudicatae parendum est. Si igitur condemnatus non paret, victor non quidem priuato ausu, ast per iudicem hunc in finem imploratum sententiam ad executionem

l) L. 4. C. h. t. tit. C. *sentent. rescindi*, nisi causa sit publica. L. 35. D. h. t. *m)* c. 9. X. h. t. L. 4. C. *de sentent. et interloc.* BOEHMER *de sententiis in rem iudicatam haud transeuntibus. n)* L. 33. D. h. t. L. 1. 2. 3. 4. C. *si ex falsis instrum. o)* L. 35. h. t. L. vn. C. *de sentent. adu. fisc.* L. 3. C. *de iure reipubl. p)* L. 19. C. *de transact. q)* L. 63. h. t. L. 3. C. *quibus res iudic. non nocet.* L. 1. D. *de except. rei iudic.* adde tit. C. *inter alios acta et iudic.* LEYSER sp. 471. *r)* L. 63. h. t. PVFENDORF T. III. obs. 65. *s)* L. 6. §. vlt. L. 44. h. t. L. 3. §. 1. *de pignor. t)* L. 44. h. t. BAVMANN *de executione in vsumfructum debitori in re aliena competentem perficienda.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0347
DFG

nem producere debet *u*). Hic eam vel ipse, vel per alium iudicem sibi subordinatum aut extraneum requisitum peragit. Si in actu executionis noua lis oritur, de ea iudex subordinatus ad superiorem referre tenetur *x*). Extraneus vero requisitus super modo, liquido, vel exceptionibus, non de sententiae iustitia, cognoscere potest *y*).

interdum contra tertium, aduersus plures vero pro rata fit, praecedere tamen debet monitorium.

§. 1960. Quia sententia partes solum, non tertium obligat (§. 1958.), sequitur, vt executio contra condemnatum eiusue bona sit dirigenda, non contra tertium, exceptis casibus (§. 1958.) expositis. In eo quoque casu, quo condemnatus in re tertii ius habet, executio in illam potest decerni, ita tamen, vt oneris iuri annexi habeatur ratio. In plures condemnatos executio fit pro rata *z*). Actum vero executionis praecedere solet monitorium de parendo sententiae, et si hoc intra tempus praefixum non fiat, executio peragitur.

quomodo peragenda executio.

§. 1961. Quoad ipsam vero executionem distinguendum, an condemnatio facta sit ad speciem praestandam, an ad quantitatem seu factum. Priori casu res contumaci, si mandata poenalia ad speciem victori praestandam non sufficiunt, manu militari aufertur condemnato *a*). Si condemnatio in certam quantitatem facta, executio fit per pignoris capionem, vel missionem victoris in bona condemnati eorumque distractionem *b*), et quidem eo ordine, vt primo ad mobilia, deinde ad

u) L. 6. § 2. h. t. *x*) c. 15. X. h. t. *y*) c. 28. X. *de offic. et potest. ind. deleg.* HEIMBVRG *de executione sententiae alienae.* *z*) L. 43. D. h. t. L. 1. 2. C. *si plures vna sentent.* *a*) L. 68. *de R. V.* *b*) L. 2. et vlt. C. *de execut. rei iudic.* L. 1. D. *quibus ex causis in possess.*

ad immobilia, ac denique ad iura peruenia-
tur *c*). Si quis intuitu facti condemnatus est,
per mandata poenalia ad factum vel praestan-
dum vel omittendum condemnatus adigitur.

actio rei iu-
dicatae.

§. 1962. Apud Romanos sententiam fe-
rebat iudex pedaneus ex formula praescripta.
Ea vero lata, iudicis officium erat finitum *d*).
Qui proinde executionem rei iudicatae de-
cernere haud poterat. Sed per *rei iudicatae*
actionem magistratus erat implorandus pro
decernenda executione *e*). Vsus huius
actionis hodie quidem non cessat, ast regu-
lariter non per solemnem actionem, sed per
modum simplicis implorationis, executio peti
solet.

LIB. XLIX. TIT. I.

DE APPELLATIONIBVS ET RELATIO-NIBVS.

relationis
definitio et
vsus.

§. 1963. RELATIO est *expositio causae dubiae principi, seu superiori, ab inferiore eum in finem facta, vt superior declaret, quo modo in causa ius dici debeat f*). Iure anteiustinianeo, ob iurium incertitudinem, relationes erant admodum frequentes, quae deinde a Iustiniano sunt prohibitae *g*). Vbi vero ius dubium est, vt et in causis criminalibus et politiae, illae hodie vsu seruantur *h*).

remedia su-
spensiua et
deuolutiua.

§. 1964. Si iudex sententiam fert, qua vnus, vel vterque litigantium se grauatum credit, illa aut in rem iudicatam iam transiit, aut non. Ibi rei iudicatae standum est, nisi

c) L. 15. §. 2. sqq. h. t. *d*) L. 55. h. t. *e*) L. 15. L. 6. §. 3. h. t. *f*) L. 1. §. 1. h. t. L. 1. C. *de relation.* *g*) Nov. 125. §. 1. *h*) Ius canonicum eas permittit c. 68. X. *de appellation.*

illa ex iusta causa rescindi possit. Hic remedia SVSPENSIVA locum habent, *quae sententiam eo effectu, vt praeuia causae cognitione noua feratur sententia, a viribus rei iudicatae suspendunt.* Interposito vero remedio suspensiuo, noua causae cognitio, et sententia postulatur. Et quidem vel *ab eodem iudice, qui tulit grauantem sententiam, vel a superiore.* Ibi SVSPENSIVVM, hic vero, quia causae cognitio ad superiorem deuoluitur iudicem, DEVOLVTIVVM, dicitur remedium.

appellatio defin.

§. 1965. APPELLATIO est *remedium deuolutiuum quod causam, in qua lata est sententia grauans, mediante prouocatione ad superiorem ita defert, vt hic causae cognitionem de nouo instituere, et nouam ferre possit sententiam.* Appellatio igitur est 1) remedium deuolutiuum, 2) praeponit sententiam grauantem, contra quam suscipitur prouocatio, 3) defert causam ad superiorem iudicem, 4) eius finis est, vt superior causam cognoscat, et nouam ferat sententiam.

appellatio habet effectum deuolutiuum et suspensiu.

§. 1966. Appellatio est remedium deuolutiuum. Remedia deuolutiua quatenus causae cognitionem ad superiorem iudicem deuoluunt, peculiarem habent naturam, quatenus vero sententiam a viribus rei iudicatae suspendunt, sunt simul suspensiua, et quoad suspensiuum effectum eiusdem indolis cum aliis remediis suspensiuis. Inde quoque appellatio, quatenus suspensiuum effectum habet, conuenit cum aliis remediis suspensiuis. Quatenus vero causam deuoluit ad superiorem, peculiarem habet naturam. In praesente titulo generalia remediorum suspensiuorum, propria vero appellationis principia in sequentibus traduntur titulis.

§. 1967.

§. 1967. Suspensiua remedia suspendunt effectum sententiae (§. 1964.). Quia vero reipubl. interest, ne lites in longius protrahantur; et facile euenire possit, vt is, qui sententiam suspendit, remedium haud prosequatur interpositum, sicque causae finis valde protrahatur; leges et interpositioni et prosequutioni remediorum suspensiuorum certa praescripserunt fatalia et formalia, sub poena desertionis obseruanda. Et quidem fatale interpositionis omnium remediorum suspensiuorum est *decendium* (§. 1957.), a momento publicatae vel insinuatae sententiae computandum *i)*. Ipsa vero interpositio horum remediorum fieri debet iudici grauanti. Coram *notario* facta regulariter non valet, nisi forsan leges prouinciales illam admittant, aut iudicis copia iusto tempore haberi nequeat *k)*. Vtrum *viua voce*, an in scriptis interponantur, iure communi perinde est *l)*. Leges vero prouinciales, quae simul cum interpositione grauaminum deductionem coniungere iubent, oralem interpositionem non tolerant. interpositio remedior. suspensiuor.

§. 1968. Interpositionem remediorum sequitur eorum *prosequutio* seu *iustificatio*, id est, *deductio, quod remedium interpositum tam quoad formalia quam materialia recte se habeat.* MATERIALIA vero remedii *in eo consistunt, vt ex iure et facto demonstretur, sententiam latam esse grauantem.* iustificatio, et quaenam sint materialia.

§. 1969. Appellatio, et generatim remedia suspensiua, praeponunt sententiam grauantem. Vbi igitur sententia vel nulla, vel talis a grauamine extraiudiciali et interlocutione mera nulla est appellatio.

i) L. 11. C. *quomodo et quando iudic. sentent.* MEVIVS P. II. decis. 270. *k)* REC. IMP. de 1512. §. 19. c. vlt. X. h. t. *l)* L. 1. 2. h. t. ORD. CAM. P. II. tit. 29. §. 3.

talis est, quae grauamen plane non infert, remedia quoque suspensiua non habent locum *m*). Hinc 1) *prouocatio* a grauamine extraiudiciali, quam vocant appellationem extraiudicialem, proprie non est appellatio, sed prouocatio ad iudicem, quae efficit, vt ea, quae a parte aduersa contra hanc prouocationem suscipiuntur, pro attentatis habeantur *n*), 2) nec appellatio proprie talis locum habet *contra interlocutionem mere talem*, quippe quae non est sententia (§. 1950.). Si vero iudex per interlocutionem aliquid contra iura, et processus ordinem iniungat, ac praeuia remonstratione illi inhaereat, tunc interlocutio transit in sententiam, contra quam remedia suspensiua admittuntur, ita tamen, vt in scriptis sint exponenda, expresso et iustificato ex actis grauamine *o*). 3) Appellatio a iudice, qui de facto procedit, prouocatio potius ad superiorem, quam proprie talis appellatio est, et iudicem obligat, vt a via facti desistat.

vbi nullum grauamen, ibi nullum remedium suspensiu.

§. 1970. Si sententia nullum infert grauamen, remedia non admittuntur suspensiua (§. 1969.). Hinc cessant remedia, 1) si error in scribendo tantum admissus, quippe quem iudex ex officio emendare debet, 3) si aperte constat, quod grauamina sint irreleuantia *p*), 3) si quis super omni causa, id est, super omni causae cognitione, vel a sola citatione, appellat *q*), si verba sententiae ambigua et dubia sint, quia hoc casu eius declara-

m) c. 38. et 59. X. h. t. *n*) c. 5. X. et CLEM. 3. h. t. c. 11. h. t. in 6to. c. 51. h. t. LYNCKER *de grauamine extraiudicali*. STRAVS *de appellat. extraiud.* WEBER *de appellat. irregulari*. *o*) c. 1. h. t. 6to. c. 59. X. h. t. CLEM. 5. eod. *p*) c. 61. X. c. 5. h. t. in 6to. *q*) c. 2. et 18. X. h. t.

claratio peti potest *r*). Consilii tamen est, cum petitione declarationis euentualiter, et in casum, quo declaratio grauamen inferat, coniungere remedium suspensiuum. Sic quoque contra executionem decretam et condemnationem ob debita liquida, remedia non admittuntur suspensiua *s*).

§. 1971. Si grauamen ex sententia oritur, remedia locum habent suspensiua (§. 1965.) et sufficit grauamen certo futurum *t*). Potest quoque quilibet, qui per sententiam grauatus est, remediis vti, siue actor, siue reus, siue etiam tertius sit, qui per indirectum laeditur *u*). Imo in causa indiuidua pluribus commune remedium ab vno litis consorte interpositum prodest reliquis *x*). Locum autem habent haec remedia in omni causa, graui pariter ac leui, quae lege non est excepta. cui et in quanam causa appellare licet.

§. 1972. Dantur vero causae, in quibus remedia suspensiua non prosunt, et quidem 1) si *lex* eorum vsum denegat, quod sit in causis moram non ferentibus, veluti possessorii summariissimi *y*), cambii, disciplinae *z*) et si tres sententiae per omnia conformes immediate se inuicem subsequentes iam adsunt *a*), 2) si quis remediis se reddidit indignum *b*). quando appellatio non habet locum.

Quam

r) LVDOVICI *de iure declarationis.* *s*) L. 4. et 5. C. *quorum appellationes non recip.* *t*) MEVIVS P. I. decis. 61. *u*) L. 5. et 14. h. t. *x*) L. 1. C. *si vnus ex pluribus.* c. 72. X. h. t. L 10. D. h. t. *y*) L. f. C. *de appellat. recip.* L. vn. C. *si de moment. possess.* REC. IMP. NOV. §. 107. *z*) c. 3. et 6. X. *de appellat.* *a*) L. vn. C. *ne liceat in ead. causa.* Haecce vero legis dispositio in Germania non vbique obtinet, STRVBEN P. II. B. 30. WILDVOGEL et LVDOVICI disp. *de tribus sentent. conform.* *b*) c. 42. X. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0353
DFG

Quam ob causam ab eorum vsu excluditur, qui ex vera contumacia est condemnatus *c)*, aut attentatum commisit, aut remediis renuntiauit expresse vel tacite *d)*.

remedia suspensiua nouam cognitionem et sententiam requirunt.

§. 1973. Remedia suspensiua nouam requirunt causae cognitionem (§. 1965.). Hinc vtrique parti sua iura vberius deducere permittitur. Quo facto, noua fertur sententia, quae est prioris vel reformatoria, vel confirmatoria, eaque rursus, aut simpliciter talis, aut adiecta declaratione, seu addito supplemento. Si prior sententia simpliciter confirmatur, is, qui vsus est remedio suspensiuo, condemnatur in expensas retardati processus, nisi causae sint, quae a temeritatis litigandi suspicione liberant.

adhaesio.

§. 1974. Remedia suspensiua sententiam a viribus rei iudicatae suspendunt (§. 1964.) et quidem vel totam, vel partem, prout remedia vel contra totam sententiam, vel contra eius partem sunt directa. Semper vero sententia eatenus, quatenus est suspensa, vires rei iudicatae non habet, ne quidem eius intuitu, contra quem interposita sunt remedia. Inde aduersae quoque parti licet adhaerere remedio interposito et pro suo interesse reformatoriam petere *e)*. Inde oritur ADHAESIONIS remedium, quod interponitur vel intra decendium, vel eo elapso. Ibi adhaesio per se subsistit, ita, vt adhaerenti liberum sit, etiam post renuntiationem remedii principalis prosequi adhaesionem. Hic vero adhaesio instar accessorii est, et facta renun-

c) L. 1. C. *quor. appell. non recip.* Nov. 82. c. 5 HORN *de contumace non appellante.* *d)* PLOTO *de appellatione prohibit.* FALKNER *de sententiis inappellabilibus.* *e)* L. fin. C. h.t. c. 4. *de elect.* in 6to.

nuntiatione remedii principalis adhaesio corruit. Caeterum, cum adhaesio eatenus solum locum habeat, quatenus sententia a viribus rei iudicatae est suspensa: sequitur, vt illi locus non detur contra ea puncta, quae pars aduersa in rem iudicatam transire passus est *f)*.

LIB. XLIX. TIT. II.

A QVIBVS APPELLARE NON LICET.

appellatio requirit iudicem superiorem.

§. 1975. Praeter suspensiuum, appellatio quoque deuolutiuum habet effectum, et causae cognitionem ab inferiore iudice ad superiorem deuoluit. Cum enim omnis iurisdictio dependens et subordinate concessa intelligatur; superiori quoque potestas, querelas super gestis inferiorum motas cognoscendi, non potest denegari. Omnis igitur appellatio praeponit superiorem. Hoc deficiente illa non habet locum *g)*. Hinc prohibita est appellatio ab imperatore ad pontificem *h)*, vel ad vallum Iosaphat.

priuilegium de non appellando.

§. 1967. Et quidem regulariter ab omni iudice, qui superiorem habet, appellare licet, nisi *priuilegio gaudeat de non appellando*, eoque vel *absolute*, vel *secundum quid tali*. Priuilegium de non appellando absolute tale habent 1) electores, quoad terras electorales, vt

f) SCHVBERT *de adhaesione appellat. ab alio interpositae.* LVDOVICI *proc. ciuil.* c. 33. §. 26. *g)* CONRADI *ius prouocat. ex antiquit. Rom.* Apud Germanos singulare est, quod interdum appellatio fiat extra territorium ad alia, quam superiora imperii tribunalia. CRAMER *obs. iur. vniuers.* T. I. obs. 225. adde G. L. BOEHMER *de prouocation. iuris Germ.* SORBER *de natura et indole remedii deuolutiui appell. in Germ.* *b)* REC. IMP. de 20. 1654. §. 164.

vt et quidam Germaniae duces, e. gr. Saxoniae. Secundum quid omnes ſtatus priuilegium de non appellando habent, vt ab eorum tribunalibus ad ſuprema imperii tribunalia appellari nequeat, niſi obiectum litis quoad ſubſtantiam ſit CCCC. imperialium, et quoad reditus 16. imperialium. Imo plerique ſtatus per ſingularia priuilegia impetrarunt extenſionem ſummae appellabilis ad maius quantum *i)*.

quando appellatio non admittitur.

§. 1977. Dantur quoque cauſae, in quibus appellatio non admittitur (§. 1972.). Interdum ipſe ſuperior effectum appellationis in ſingulari caſu remittit, dum aliquid iniungit ſub clauſula: ihr wollet euch durch appelliren nicht hindern laſſen *k)*. Hae tamen prohibitiones neque querelam de iuſtitia minus recte adminiſtrata excludunt, neque manifeſtam iniquitatem fulciunt *l)*.

LIB. XLIX. TIT. III.
QVIS ET A QVO APPELLETVR.

ſi plures ſunt iudices ſuperiores, ad quem appellatio fit.

§. 1978. Per appellationem cauſa deuoluitur ad iudicem ſuperiorem (§. 1957.). Fieri autem poteſt, vt inferior plures habeat ſuperiores, qui vel ſibi inuicem ſunt ſubordinati, vel concurrentem habent iurisdictionem. Ibi appellatio non fit per ſaltum, ſed ad iudicem proxime ſuperiorem *m)*, niſi forſan 1) intermedius appellationi deferre nolit, aut 2) ſuſpe-

i) Statuum priuilegia de non appellando curate recenſentur in REPERT. *iuris Germ.* v. *appellatio.* vid. quoque PVFENDORF *de priuilegiis, et ſpeciatim de priuilegio de non appellando.* *k)* BRVNNEM. *de appellat. per reſcript. remot.* *l)* c. 53. X. *de appellat.* *m)* L. 1. §. 2. L. 21. *de appell.* c. 66. X. eod. STRAVS *de appell. per ſaltum.*

ſpectus ſit, aut 3) leges prouinciales permittant, quod intermedius praeteriri queat. Hic vero, quia ſuperiorum iurisdictio eſt concurrens, appellantis eſt, eligere, ad quemnam appellare velit. Semel facta electione variare non licet. Si vero appellans, quemnam eligat ſuperiorem, ſe non declarat, a iudicis inferioris pendet arbitrio, ad quem cauſam deferri velit.

LIB. XLIX. TIT. IV.

QVANDO APPELLANDVM SIT ET INTRA QVAE TEMPORA.

§. 1979. Quia per appellationem ſententia a viribus rei iudicatae ſuſpenditur (§. 1966.); illa neceſſario interponenda eſt intra decendium, quod de momento ad momentum ab eo ſtatim tempore currit, quo grauatus ſententiam ſcire potuit et debuit (§. 1967.) *n*).

LIB. XLIX. TIT. V.

DE APPELLATIONIBVS RECIPIENDIS VEL NON.

§. 1980. Appellatio deuoluit cauſae cognitionem ad iudicem ſuperiorem (§. 1967.). Nondum igitur remota appellatione, ſuſpenſa eſt iudicis inferioris iurisdictio. Qui proinde nec in cauſa progredi, nec de admittenda vel recipienda appellatione, nec de grauaminum releuantia ſtatuere poteſt. Potius inferior, qui in cauſa progreditur, aut de appellationis admiſſibilitate et grauaminum releuan-

appellatio ſuſpendit inferioris iurisdictionem.

n) Nov. 23. c. 1. c. 15. X. *de ſentent. et re iudic.* L. 1. §. 9. h. t. c. 8. *de appellat.* in 6to.

uantia ſtatuit, nulliter agit, et in poenam incidit damni litis, et decem librarum auri *o)*. Et hoc quoque locum habet in appellatione ob neglectum formalium deſerta, quamuis in appellationibus, quae a ſtatuum iudiciis ad imperii tribunalia fiunt, inter neglectum formalium, quae penes inferiorem, et eorum, quae ſemel introducta appellatione apud ſuperiorem ſunt obſeruanda, diſtinguant, et ibi in caſu deſertionis inferiorem in cauſa progredi poſſe ſtatuant, non vero hic. Imo plerumque ante inhibitionem factam manus ſibi non ligari, tribunalia ſtatuum aſſerunt *p)*.

quod tamen in quibusdam ceſſat caſibus.

§. 1981. Quia vero appellatio eo interponitur fine, vt ſententia a viribus rei iudicatae ſuſpendatur, illa non habet locum contra rei iudicatae executionem *q)*. Sunt quoque alii caſus, in quibus appellatio effectum haud producit ſuſpenſiuum (§. 1972.) *r)*. In his tamen ex reuerentia erga ſuperiorem de appellatione interpoſita relatio facienda, eiusue ratihabitio eſt expectanda.

LIB. XLIX. TIT. VI.

DE LIBELLIS DIMISSORIIS, QVI APOSTOLI DICVNTVR.

apoſtoli eorumque ſpecies.

§. 1982. Appellationis interpoſitionem ſequitur petitio apoſtolorum, qui ſunt *literae de*

o) L. 21. C. *de appellat.* Nov 82. c. 12. Nov 127. c. 3. L. 6. h. t. MEVIVS P. I. deciſ. 7. P. VI. deciſ. 13. BRVNNEMANN *proc. ciuil.* c. 28. n. 54. Ius vero canonicum inferiori iudici facultatem reiiciendi appellationem quodammodo concedit, c. 5. *de appellat.* 6to. *p)* LEYSER ſp. 655. m. 29. 35. 36. *q)* L. 4. pr. D. L. 21. C. h. t. L. 5. C. *quorum appellat. non recip.* modo omnia ſint liquida, WERNHER P. IX. obſ. 247. *r)* L. fin. h. t.

de rite et debite interpoſita appellatione datae vel a iudice, vel in ſubſidium a notario, coram quo appellatum s). *Qui a notario dantur apoſtoli,* TESTIMONIALES dicuntur. A iudice vero dantur apoſtoli vel ex conuentione partium, vel absque hac. Illi CONVENTIONALES vocantur. Hic vero iudex *cauſam vel ſimpliciter dimittit, vel addito de grauaminum iuſtitia vel iniuſtitia iudicio.* Illi REVERENTIALES, hi, *ſi grauamina refutantur,* REFVTATORII, *ſi appellationi iudex patrocinatur,* DIMISSORIALES dicuntur *t*).

quomodo peti et dari ſolent.

§. 1983. Petendi autem ſunt apoſtoli ſub poena deſertae appellationis, vel in ipſa appellationis ſchedula, vel ſeparatim, intra 30. dies, a tempore latae ſententiae computandos *u*), et quidem, vt praxis credit, ſub formula *inſtanter ac ſaepius*, ſeu *inſtantiſſime x*). Petiti vero dantur vel ſimpliciter vel in forma relationis, et pro eorum redemtione certae ſoluendae ſunt ſportulae, quarum ſolutioni in Saxonia aliisque quibusdam prouinciis certus terminus praefigitur, quo ſub poena deſertionis apoſtoli ſunt redimendi *y*).

introductio appellationis.

§. 1984. Deinde appellatio rite interpoſita apud ſuperiorem ab appellante intra tempus, quod vel lex *z*), vel hac deficiente, iudex inferior determinat, debet introduci. Fit autem introductio appellationis per literas ſupplices, quibus appellans adpoſitis apoſtolis ſibi exhibitis docet, ſe rite appellaſſe, et grauamina ſpecifice exponit, ac petitionem

s) L. 1. pr. h. t. *t*) RICHTER *de apoſtolis.* *u*) L. 24. C. *de appellat.* c. 6. eod. in 6to. *x*) L. vn. §. fin. h. t. WERNHER P. IV. obſ. 102. *y*) WERNHER P. IV. obſ. 90. P. I. obſ. 14. *z*) REC. IMP. de anno 1654. §. 67. c. 28. 33. 61. X. *de appellat.* CLEM. 6. eod. WERNHER P. I. obſ. 13.

pro recipienda appellatione et decernendis plenariis proceſſibus appellationis, vt et inhibitorialibus et compulſorialibus obtinendis addit *a*)

iuſtificatio appellat.

§. 1985. Introductionem ſequitur appellationis IVSTIFICATIO, quae quoad formalia aeque ac materialia fieri debet. Quam ob rem iuſtificandae appellationi in Saxonia et aliis quibusdam locis per iudicem, in foro autem communi plerumque per ordinationes proceſſuales, certus praefigitur terminus, qui iure Rom. et canonico eſt ſpatium annale *b*). Facta iuſtificatione, appellatus excipit, appellans replicat, ſequuntur duplicae, et in quibusdam locis triplica et quadruplica. Quibus ad acta exhibitis, ſuperior nouam fert ſententiam, quae ſi confirmatoria eſt, operatur remiſſionem cauſae ad iudicem prioris inſtantiae, ſi vero quoad cauſam principalem reformatoria eſt, acta ad inferiorem non remittuntur *c*).

noua quatenus locum habent in appellat. inſtantia.

§. 1986. In appellationis inſtantia noua fit cauſae cognitio (§. 1985.). Ad hanc inſtruendam appellanti iure Romano permiſſum eſt, nouis exceptionibus et probationibus vti. Inter caeteros enim appellationis effectus eſt quoque is, vt appellatio cauſam reducat in ſtatum, quo fuit tempore litis conteſtatae *d*). Noſtra vero iura ius Rom. reſtringunt, vt nouas exceptiones et probationes eatenus ſolum

a) INHIBITORIALES ſunt *praecepta ſuperioris, quibus inferiori iniungitur, vt ſub poena nullitatis et attentatorum ab exſequutione et vlteriori cognitione abſtineat.* COMPVLSORIALES *ſunt praecepta ſuperioris ad inferiorem de actis exhibendis.* *b*) L. fin. §. 4. C. *de tempor. appellat.* CLEM. 3. eod. *c*) c. 59. et 61. X. *de appell.* LEYSER ſp. 656. per tot. *d*) L. 4. C. *de tempor. appellat.*

solum admittant, quatenus appellans iuramento asserit, se tempore litis contestatae exceptiones, et intra terminum probatorium probationes nouas, ignorasse *e)*.

Lib. XLIX. Tit. VII.

NIHIL INNOVARI APPELLATIONE INTERPOSITA.

§. 1987. Appellatione interposita iudicis inferioris iurisdictio ita suspensa est, vt in causa progredi nequeat (§. 1980.), potius omnia eius gesta, instar spolii, sunt reuocanda *f)*.

Lib. XLIX. Tit. VIII.

QVAE SENTENTIAE SINE APPELL. RESCINDANTVR.

§. 1988. Contra sententiam, quae in rem iudicatam iam transiit, non quidem suspensiua, bene vero in quibusdam casibus *rescissoria*, locum habent *remedia* (§. 1964.). In horum numero sunt 1) Restitutio in integrum, 2) REVISIO ACTORVM, *quae est remedium iuris, eo tendens, vt grauamina contra priorem sententiam ex actis et iure deducta cum actis anterioribus conferantur, et prior sententia rescindatur.* Illa suspensiuum aeque ac rescissorium esse potest remedium et contra sententias in camera imperii latas admittitur, si intra 4. menses petita, et obiectum summam 2000. imperalium adscendat *g)*. 3) SVPPLICATIO quae

rescissoria remedia sunt restitutio, reuisio, supplicatio.

e) REC. IMP. NOV. §. 73. *f)* L. vn. h. t. c. 56. X. h. t. REC. IMP. NOV. §. 59. *g)* REC. IMP. NOV. §. 124. ORD. CAM. IMP. P. III. tit. 53. HERTIVS *de iudic. reuis.* SCHROETER *de reuis. actor.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0361
DFG

itidem est *remedium extraordinarium, quo ipse imperans in casibus, qui remedia suspensiua vlteriora non admittunt, praeuia imploratione permittit, vt causa denuo cognoscatur*, et deinde noua *pronuntietur sententia.* Illa admittitur non solum in tribunalibus statuum; sed quoque contra sententias a iudicio imp. aulico latas *h)*, modo intra quatuor menses petatur, iuramentum supplicationis praestetur, sportulae offerantur et summa sit reuisibilis *i)*. In terris Brunsuicensibus et Luneburgicis supplicatio etiam coram inferiore iudice, tanquam ordinarium remedium suspensiuum, locum habet.

remedium nullitatis.

§. 1989. Praesertim vero huc spectat QVERELA NVLLITATIS, quae est *imploratio iudicis, vt sententia nulla declaretur.* NVLLA autem est sententia, *ob defectum in essentialibus, siue sententiae ipsius, siue totius processus.* Nullitas ob defectum in essentialibus ipsius sententiae oritur, quod sententia sit vel contra ius in thesi clarum *k)*, et rem iudicatam anteriorem *l)*, vel aliquid desit, quod efficit, vt sententia non sit talis, quorsum spectat, 1) si sententia a iudice incompetente sit lata *m)*; 2) si manifestus dolus vel error iudicis voluntatem impediuerit *n)*, 3) si iniungit impossibilia *o)*,

3)

b) THEODORICI *de supplicat.* HANDWERK *de remedio supplicat. i)* INSTR. PAC. OSNAB. art. 5. §. 55. KREIDEMANN disp. *de remediis legitimis aduersus sententias praesertim in Aug. consilio imper. aulico latas. k)* L. 1. §. 2. h. t. L. 19. *de appellat.* L. 32. *de re iudic. l)* L. 1. h. t. L. 1. C. *quando prouoc. non est necesse. m)* L. 5. 6. C. *quando prouoc. non est necesse* tit. C. *si a non competente. n)* Sic nulla est sententia ob errorem calculi, L. 1. §. 1. D. h. t. L. vn. C. *de error calculi.* ex falsis instrumentis lata; de sententia contra mortuum vel pro eo lata PVFENDORF T. IV. obs. 11. *o)* L. vlt. pr. et §. 1. h. t.

4) si publicatio deficit. Ob defectum in essentialibus processus sententia est nulla, si illa contra non citatum, vel non auditum aut cuius nomine falsus procurator causam tractauit, est lata *p)*. Sententia, quae ob defectum in essentialibus processus, seu in iis, quae efficiunt, vt sententia non sit talis, se exserit, nullitatem producit, nullo vnquam tempore sanabilem *q)*. Nullitas vero, quae exinde oritur, quod sententia sit contra ius, aut iniqua, sanatur, si iusto tempore, quod lex imperii ad decendium restringit, leges vero prouinciales interdum longius extendunt, remedia haud sunt interpositа *r)*.

Lib. XLIX. Tit. IX.
AN PER ALIVM CAVSAE APPELLATIONVM REDDI POSSINT.

§. 1990. In causa, quae per alium agi potest, appellatio quoque a procuratore fieri potest *s)*. Iam vero causae ciuiles regulariter procuratorem admittunt. E. quoque in ciuilibus causis per procuratorem appellare licet. Et quidem, si mandatum facultatem appellandi expresse loquitur, res non habet dubium. Si vero illud hanc facultatem expresse haud tribuit, procurator ad primam instantiam datus remedia interponere *t)*, non tamen sine speciali mandato illa prosequi debet *u)*. In criminalibus causis, si sunt leuiores, vt et in capitalibus ex parte accusatoris per procuratorem appellare licet *x)*. Potest

p) L. 1. §. 3. h. t. L. 7. C. *quomodo et quando iudex.* *q)* Rec. Imp. nov. §. 122. *r)* Rec. Imp. nov. §. 121. *s)* L. 1. fin. h. t. *t)* c. 14. X. *de procurat.* *u)* L. 1. h. t. *x)* L. fin. *de appellat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0363
DFG

quoque tertius quilibet, etiam ignorante condemnato, contra sententiam capitalem appellare *y)*. Imo et in ciuilibus causis tertio, qui absentem in lite defendit, appellare licet *z)*.

Lib. XLIX. Tit. X.
SI TVTOR VEL CVRATOR, MAGISTRAT. CREATVS APPELLAVERIT.

§. 1991. Si quis ad munera publica, magistratus, tutelam curamue vocatus appellauerit, nec causas probauerit, ad eius periculum pertinet, si quid damni per moram appellationis acciderit, ita, vt et haeredes, si prouocans ante causam actam moriatur, appellationis causas reddere teneantur. Quod si apparauerit, eos necessario appellasse, quis ferre debeat damnum, superior aestumat *z)*.

Lib. XLIX. Tit. XI.
EVM QVI APPELLAVERIT, IN PROVINCIA DEFENDI.

Lib. XLIX. Tit. XII.
APVD EVM, A QVO APPELL. ALIAM CAVSAM AGERE COMPELLENDVM.

§. 1992. Quia appellatio iurisdictionem iudicis inferioris in ea solum causa, in qua appellatum est, suspendit (§. 1980.), sequitur, vt appellans in aliis causis iudicem a quo recusare nequeat, licet ipse appellationis causa absit, cum reipublicae causa absentibus tantum hoc concessum, vt se in loco absentiae defendere non cogantur.

Lib.

y) L. 31. §. 2. *de negot. gest.* *z)* L. 1. 2. h. t.

LIB. XLIX. TIT. XIII.
SI PENDENTE APPELLATIONE MORS INTERVENERIT.

§. 1993. Fieri potest, vt appellans ante finitam causam ex vita decedat. Quo casu eius haeredes eam continuare possunt *a)*. Quam in rem illis quatuor menses conceduntur *b)*. Nostro vero iure distinguendum, an defunctus causam egerit per procuratorem, an non? Priori casu absque dilatione procurator appellationis causam prosequi tenetur. Si vero ipse appellans causam egerit, haec tamdiu, donec eius reassumtio ab haeredibus sit facta, sistitur, sicque fatalia quiescunt, semper vero ab haeredis arbitrio pendet appellationi renuntiare, nisi forsan tertii interfit *c)*.

LIB. XLII. TIT. III.
DE CESSIONE BONORVM.

§. 1994. Condemnatus victori plene satisfacere tenetur. Iam vero fieri potest, vt eius bona ad plene satisfaciendum non sufficiant; quo casu condemnatus vrgente creditore carcerem ingredi tenetur *d)*. Quod cum iniquum videretur in debitore, qui infortunio bonis lapsus soluendo non est; a Iulio Caesare CESSIO BONORVM est introducta cessio bonorum desin. et cur introducta.

Z 5

a) L. vn. h. t. *b)* L. fin. C. h. t. *c)* L. vn. pr. h. t. *d)* L. 1. et vlt. C. *qui bon. ced. possunt.* BYNCKERSHOECK *obseru.* lib. I. obs. 1. In Germania quoque variae obtinent obaeratorum debitorum poenae, de quibus ENGAV *de traditione debitoris ad manus creditoris.* VOIGT *de addictione manus.* HOFFMANN *de iustitia poenae capitalis debitoribus obaeratis imponendae.* WERNHER *de decoctoribus.* ZEIDLER *de carcere debitor.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0365
DFG

ducta *e)*, quae est *beneficium iuris*, *quo debitor omnibus bonis se abdicare, eaque, ad effectum se liberandi a poena, creditoribus, vt secundum vires substantiae illis satisfiat, relinquere potest f)*.

est flebile beneficium, illique potest renuntiari.

§. 1995. Cessio bonorum liberat a poenis obaeratorum debitorum (§. 1994.), et inde *beneficium iuris* est, quamuis *flebile* et *miserabile q)*, dum debitor omnia sua bona, praeter vestem quotidianam, relinquere tenetur creditoribus *h)* (§. 1994.). Sicuti vero beneficiis pro se introductis, ita quoque cessionis beneficio, quilibet renuntiare potest *i)*, expresse aeque, ac tacite per cambialem et et obstagii obligationem, quae posterior tamen non vbique in Germania toleratur *k)*.

cedens quid praestare debeat.

§. 1996. Cessionis beneficio vtitur debitor infortunio obaeratus (§. 1994.). Inde necesse est, vt, qui hoc vti cupit, doceat, 1) solutioni creditorum sua non sufficere bona, 2) integrae suae substantiae consignationem exhibeat, eamque iureiurando confirmet *l)*, 3) casus fortuitos, quibus bonis lapsus est, demonstret. Quam ob rem creditores, an aliquid contra cessionem oblatam monendum habeant, sunt audiendi. Hi si consentiant, cessio quoque extraiudicialiter, imo

e) L. 1. et 4. C. *qui bonis ced. poss.* SVETON. *Caesar.* cap. 2. *f)* BEIER et LINKII diss. *de cessione bonorum.* *g)* WILDVOGEL *de aequitate flebilis beneficii cessionis bonorum.* STRVV *de flebili beneficii cessionis adiutorio.* *h)* arg. L. 6. pr. h. t. MEVIVS *disc. leuam. obaerat. debit.* cap. IV. sec. 2. n. 2. *i)* OLEARIVS *de renuntiatione cessionis bonor. a debitore facta.* *k)* REC. IMP. de anno 1577. tit. 17. §. 2. de anno 1654. §. 171. SCHILTER *de obstagio.* *l)* L. 8. D. h. t. L. 3. C. *qui bonis cedere poss.* STRVV *exerc.* 44. n. 29. sqq.

imo ab illo quoque, qui culpa bonis lapsus est, fieri potest *m)*.

cessionis effectus.

§. 1997. Per cessionem bonorum debitor omnibus se abdicat bonis (§. 1994.). Huius abdicationis effectus est, vt bona cessa a creditoribus publica auctoritate vendi, iisque ex pretio inde redacto, suo ordine, satisfieri possit *n)*, ipse vero cedens in praesenti vlterius non teneatur *o)*. Ante venditionem factam cedenti, a debitis per defensionem seu solutionem se liberare, suaque bona reuocare licet *p)*.

quaenam bona cedi possunt.

§. 1998. Cedens creditoribus ius distrahendi bona cessa concedit (§. 1997.). Hoc vero in iis solum bonis locum habet, de quibus libera disponendi facultas competit cedenti. Hinc cedi nequeunt bona, quae feudi, fideicommissi, vsusfructus iure possidentur a debitore, bene vero fructus horum bonorum, quatenus ad debitorem pertinent, obiectum cessionis constituunt *q)*.

de pacto creditorum et moratorio.

§. 1999. Quia super oblata cessione creditores sunt audiendi (§. 1996.), hi non solum ex iustis causis cessionis beneficium denegare, sed quoque debitori inducias concedere *r)*, et pacto remissorio *s)*, quod tamen hypothecariis nocere nequit, concursum praecauere possunt. Qua in re maiora vota, non tamen ex numero personarum, sed ex quantitate creditorum aestumanda, sufficiunt *ſs)*.

Ipse

m) L. vlt. D. h. t. L. 6. pr. §. 1. C. *qui bonis ced.* *n)* L. 4. C. *qui bonis cedere poſſ.* *o)* L. 4. §. 1. D. h. t. *p)* L. 3. et 5 D. h. t. L. 2. C. *qui bonis ced. poſſ.* *q)* STRVV diſp. citata cap. III. §. 3. ſqq. *r)* L. vlt. C. *qui bonis ced.*. *s)* L. 7. §. 17. L. 8. et 10. *de pactis.* PVFENDORF T. II. obſ. 164. *ſs)* L. vlt. C. eod. LVDOVICI *proc. conc.* c. 1. §. 3. CARPZOV. P. II. C.

Ipse quoque debitor ab imperante, si spes adest melioris fortunae, Moratorium impetrare potest *s)*, quod tamen contra debita postea contracta haud prodest *u)*.

cedens si ad meliorem fortunam peruenit, creditoribus adhuc tenetur, saluo beneficio competentiae, quo qui vti possunt.

§. 2000. Quamuis vero cessis bonis debitor in praesenti vlterius non teneatur (§. 1997.); ille tamen si postea ad meliorem peruenerit fortunam, debita, quae remanserunt, adhuc soluere tenetur, ita tamen, vt in bonis post cessionem adquisitis beneficium habeat competentiae *x)*. Quod interdum quoque generatim ex ipsis bonis competit cessis. Leges enim quibusdam personis hocce concedunt beneficium, idque 1) si creditor debitori in subsidium ad alimenta tenetur. Inde parentes et liberi, fratres et sorores a se inuicem recte exigunt competentiae beneficium *y)*; et cum socii instar fratrum sint, horum exemplo, sociis, ratione debitorum ex societate oriundorum, hocce beneficium competit, quod inter coniuges quoque, tanquam socios coniunctissimos eorumque haeredes, locum habet *z)*, vt et patrono, liberto, quippe qui sibi inuicem parentum et liberorum loco sunt, illud non denegatur *a)*. Porro leges concedunt competentiae beneficium 2) ex gratitudinis lege, donanti intuitu rei donatae, seu dotis promissae *b)*, 3) obvtilitatis publicae rationem gaudent hoc beficio filiusfam. intuitu obligationis durante patria

C. 22. def. 29. LAVTERBACH *de praeiudic. pacto maior. partis creditor.* *t)* BOEHMER *de litteris moratoriis.* CHLADEN *de rescriptis morator. cursum vsurar. non sistent.* *u)* PVFENDORF T. III. obs. 52. *x)* L. 4. 6. 7. h. t. *y)* L. 16. fin. *de re iudicata.* L. 63. *pro socio.* *z)* L. 20. *de re iudicata.* *a)* L. 17. eod. *b)* L. 21. sqq. eod.

patria potestate contractae, vt et miles vere talis *c)* ac aduocatus fisci.

§. 2021. Beneficium competentiae est ius singulare, ideoque extensiuam haud admittit interpretationem, nec personam egreditur, nec in haeredes transit *d)*. Et cum hoc beneficium alimentorum rationem habeat (§. 2000.), quantitas competentiae vltra necessaria vitae subsidia non extenditur, imo debitori, qui aliunde alimenta habet, plane denegatur *e)*. benef. competet, personam non egreditur.

LIB. XLII. TIT. IV.

QVIBVS EX CAVSIS IN POSSESSIONEM EATVR.

§. 2002. MISSIO est *actus, quo alicui possessio bonorum alienorum auctoritate magistratus assignatur.* Fieri autem potest missio, vel in *omnia* alicuius bona, vel in res quasdam *singulares.* In omnia bona fit missio tribus potissimum ex causis, 1) *rei seu debiti seruandi* gratia, 2) *legatorum seu fideicommissorum causa*, 3) *ventris nomine f)*. De missione, quae legatorum vel ventris causa fit, iam supra dictum. Rei vel debiti seruandi causa fit missio, si debitor neque sui copiam facit, neque defenditur; nihilque interest, ex qua causa, siue actione in rem, siue in personam, siue pure, siue sub conditione debeatur *g)*. Per hanc missio- missio, quae defin. fit in omnia bona

c) L. 6. et 18. eod. WERNHER P. VII. obs. 85. *d)* L. 24. et 25. *de re iudic.* Interdum ex iure tertii beneficium competentiae locum habet, FRANC. DE LICHTENSTEIN disp. *de beneficio competentiae ex proprio aeque ac tertii iure competente.* *e)* WIBEL *de beneficio competentiae.* WERNHER P. VII. obs. 85. *f)* L. 1. pr. h. t. *g)* L. 7. §. 16. L. 6. pr. h. t. L. 10. *de V. S.*

missionem creditor solum custodiam et ius pignoris consequitur *h)*. Si vero debitor in contumacia pergit, ille fraudandi causa latere censetur, et si actio personalis est, ad distractionem bonorum pro quanto debiti progredi licet. In actione reali missus iura dominii praetorii consequitur tamdiu, donec alter melius ius doceat *i)*. Hodie quidem non ob nudam contumaciam *k)*, sed interdum rei seruandae causa fit missio. Quam diuidere solent in missionem ex *primo* et *secundo decreto*. Illa *nudam custodiam*, haec *vendendi potestatem* tribuit.

in res singulares.

§. 2003. In singulares vero res fit missio, 1) damni infecti nomine, 2) iudicati exequendi causa. Per hanc creditor pignus consequitur praetorium, vi cuius in eius electione est, an, expulso debitore, ratione debiti et vsurarum sibi successiue ex fructibus satisfacere *l)*, an, debitore non soluente, ipsius rei distractionem per subhastationem seu auctionem vrgere velit *m)*.

LIB. XLII. TIT. V.

DE REBVS AVCTORITATE IVDICIS POSSIDENDIS.

concursus defin. et diuisio in vniuersalem et particular.

§. 2004. Cessione bonorum, vel missione facta, si bona soluendis omnibus debitis non sufficiunt, et creditores de pacto remissorio, per vota saltim maiora, non conueniunt *n)*, oritur creditorum CONCVRSVS, qui est *iudicium*,

h) L. 3. §. vlt. *de adquir. vel amitt. poss.* L. 26. pr. *de pignor. act.* *i)* L. 7. §. 1. sqq. D. L. 9. C. h. t. *k)* REC. IMP. de 1654. §. 36. *l)* L. 15. §. 2. *de re iudicata.* *m)* L. 16. *de rebus auctor. iud. possid.* *n)* L. 7. §. fin. *de pactis.* BOEHMER *de pacto remissorio moto concursu.* BAVER *de pacto remissorio ante concursum formalem.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0370
DFG

dicium, quo plures creditores solutionem vrgent, et ob bonorum insufficientiam de praecedentia inter se certant. Diuiditur in VNIVERSALEM, *qui omnem debitoris substantiam concernit et omnibus creditoribus patet*, et PARTICVLAREM, *qui super certis solum bonis inter quosdam agitur creditores o).*

differ. inter concursum formalem et materialem.

§. 2005. Porro concursus diuiditur in FORMALEM et MATERIALITER TALEM. Hic adesse censetur, simulac plures creditores solutionem vrgent, quibus ob bonorum insufficientiam debitor satisfacere nequit. Concursus formaliter talis existit, simulac bona debitoris creditoribus cesserunt *p).* Quod fit, dum vel ipse debitor bonis cedit (§.1994.), vel iudex praeuia causae cognitione bona creditoribus cessa declarauit, ideoque conuocationem omnium creditorum ad effectum sua credita ad liquidum deducendi, et de prioritate certandi, decreuit. Et cum haecce conuocatio fiat mediante citatione edictali; ICti plerumque concursus formalis initium in citatione collocant edictali *q).* Si concursus formaliter talis existit; bona debitoris, saluo eius iure ante distractionem reluendi (§.1997.), cesserunt creditoribus, ideoque debitori nulla amplius disponendi, alienandi vel oppignorandi competit facultas. Si concursus solum materialiter existit, debitori quidem stricto iure alienandi facultas adhuc competit, ast in fraudem creditorum facta alienatio rescindi po-

o) LEYSER sp. 478. m. 4. SCHOEPFF *de concursu creditor. partic.* BOEHMER *de concursu extra concurs.* p) SALGADO DE SAMOZA *in labyrintho creditor.* P. I. c. 4. §. 1. MEVIVS P. IV. decis. 104. q) LEYSER sp. 478. m. 4. LVDOVICI Concurs-Proceß. cap. 1. §. 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0371
DFG

poteſt *r)*, actione Pauliana. De qua infra §. 2022.

conc. vniuerſalis omnes ad ſe trahit lites.

§. 2006. In concurſu vniuerſali omnia debitoris bona cedunt creditoribus (§. 2004.) et ab his poſſidentur. Debitor igitur, cum nil amplius in bonis habeat, nemini ſatisfacere poteſt, ideoque omnes, qui ex quocunque iure et titulo ab eo aliquid exigere poſſunt, in foro concurſus vniuerſalis ius ſuum perſequi tenentur. Inde eſt, quod concurſus vniuerſalis ſit iudicium vniuerſale, et omnes proceſſus alibi pendentes, imo quoque concurſus particulares ad ſe trahat in eo ſtatu, quo tempore moti concurſus fuerunt in foro ſpeciali *s)*.

in quonam foro et quo proceſſus genere concurſus tractari debet, et quae ci, tatio locum habet.

§. 2007. Quia in iudicio concurſus vniuerſalis omnis generis actiones contra debitorem eiusue bona competentes ſunt inſtituendae (§. 2006.); ſequitur 1) vt tractandus ſit in foro debitoris generali domicilii, non in foro ſpeciali *t)*, 2) tale proceſſus genus requirat, quo omnis generis actiones expediri queunt, quale eſt proceſſus ſummarius *u)* 3) ea citationis ſpecies adhibenda, qua ſinguli noti et ignoti creditores citari queunt, qualis eſt edictalis citatio, quae tamen non excludit priuatam citationem, quoad notos creditores.

terminus liquidationis.

§. 2008. Exiſtente concurſu, omnes citantur creditores, ad liquidandum et deducendam prioritatem (§. 2005.), et quidem ſub poena praecluſi. Qui igitur in termino com-

r) L. 6. §. 7. *de his, quae in fraudem creditorum.* *s)* LVDOVICI *proc. conc.* C. 1. §. 6. ſqq. BRVNNEMANN *conc. cred.* c. 1. §. 8. *t)* adde WAHL diſp. *de iudice in concurſu creditorum competente.* *u)* executiuus ceſſat, PVFENDORF T. IV. obſ. 33.

comparent creditores, sua credita profiteri, et professioni, quatenus fieri potest, demonstrationem adiungere, simulque prioritatis iura, quae sibi competere putant, deducere tenentur. Quia vero responsio ad libellum, seu implorationem, ad essentialia processus pertinet, illa quoque in processu concursus abesse nequit. Inde, si ipse debitor respondere nequeat, vel a iudice ex officio, vel ex consensu creditorum, constituitur CVRATOR LITIS, seu CONTRADICTOR, *qui loco debitoris creditoribus respondet, et cum iis super professis creditis eorumque liquidis disputat.* Vices igitur rei sustinet contradictor, qui contra creditores super quantitate et veritate debitorum professorum disputat, minime vero liti super prioritate se immiscere, sed hanc ipsis creditoribus relinquere tenetur *x)*. Caeterum creditores, qui in termino praefixo sua haud profitentur credita, praeuia contumaciae accusatione praecluduntur.

sententia classificatoria, et quot classes.

§. 2009. Absolutis super liquido et prioritate disputationibus, iudex fert sententiam, qua non solum de liquido et veritate creditorum, sed quoque de eorum prioritate iudicat, omnesque creditores suo ordine, vel pure vel sub conditione locat. Ipsa vero locatio fit secundum iura, quae in foro concursus obtinent *y)*. Iure communi creditores quinque classibus disponi solent. In quarum *prima* Illi, qui ex singulari iuris fauore omnes creditores praecedere debent, in *secunda*, qui pignora qualificata habent, in *tertia*, qui simplici pignoris iure gaudent, in *quarta*

x) L. 14. pr. h. t. LEYSER sp. 491. m. 5.

y) LEYSER sp. 478. m. 10.

quarta creditores, quorum credita iure quidem personali, aſt privilegiato, innituntur, in *quinta*, creditores ius personale simplex habentes collocantur *z)*. Non tamen necesse est, vt iudex in ipsa sententia hasce classes verbis exprimat, sed sufficit, in concipienda sententia iudicem eas esse secutum.

classis I. §. 2010. In prima igitur classe vi singularis priuilegii (§. 2009.), collocantur 1) *sumtus concursus*, quo et curatoris litis et bonorum salarium pertinet. In Saxonia vero aliisue locis sumtus concursus, si insufficiens est massa, creditoribus percipientibus pro rata deducuntur *a)*, 2) *impensae* in funus debitoris, vel eorum, quos hic sepelire debuit, factae *b)*, quibus vsu fori annumerantur sumtus vltimi morbi, quo debitor occubuit *c)*. In Saxonia aliisque locis ad primam quoque classem referri solent, 3) *famulorum merces*, qui in conuictu debitoris fuerunt, sibique pro operis praestandis certam mercedem stipulati sunt *d)*, 4) *onera realia*, quibus et annui reditus annumerantur, 5) *pecunia haereditaria*, si ex eius, qui illam debet, non vero, si ex tertii bonorum haereditariorum possessoris bonis petitur *e)*, 6) *pecunia ex venditione seu alio contractu debita*, cuius intuitu dominium seu hypotheca reseruata, 7) creditores, qui, antequam res ad debitorem peruenit, ius hypothecae iam habuerunt *f)*.

z) LVDOVICI *proc. conc.* cap. 10. RICHTER *de iur. et priuileg. creditor.* BEIER *de incommod. quibusd. concursus in Saxon.* *a)* quod et iure Marchico obtinet, C. Frid. P. IV. tit. 9. §. 31. *b)* L. 17. pr. h. t. *c)* WALCH *de priuilegio medicorum creditorum in concursu.* *d)* STRVBEN R. B. P. III. obs. 107. *e)* RICHTER *de priuil. cred.* p. 211 WERNHER P. VII. obs. 26. *f)* ORD. PROC. SAX. ELECT.

C.

§. 2011. In *secunda classe* locum inueniunt illi, qui pignore gaudent qualificato (§. 2009.). Quaenam vero pignora qualitatem habeant, et quonam ordine plura pignora qualificata inter se locari debeant, iam supra §. 934. exposuimus. Saxones vxorem ratione dotis iis quidem, qui tacitam, non iis, qui expressam publicam habent anteriorem hypothecam, praeferunt *g*). classis II.

§. 2012. In *tertia classe* locantur hypothecarii simplices, quibus etiam annumerantur illi, qui tacitum pignus ex lege, vel praetorium per immissionem in bona (§. 2002.) seu per arrestum sunt consequuti. Hi vero, quo ordine inter se sint locandi, supra (§. 935.) diximus. In *quarta classe* occurrunt credita personalia, ea ratione, vt aliis personalibus creditis praecedant priuilegiata (§. 2009.). Talia sunt 1) *respublica* vel *ecclesia* creditor *h*), 2) *sponsa* ratione dotis, si nuptiae non secutae *i*), 3) qui *ad emendam rem immobilem*, absque speciali pignore credidit *k*), 4) *deponens*, si res deposita non amplius existit *l*). Addunt quoque 5) *alimenta*, non expresso fundo (§. 937.) promissa, salaria, et ea, quae sine vsuris credita, nec minus ea, quae miserabilibus debentur personis *m*). In hac *classe* deponens alios praecedit *n*), reliqui omnes pro rata sine discrimine temporis concurrunt *o*). Quod etiam obtinet in *quinta classe*, qua omnes creditores, qui ex iure personali classis III. IV. V.

C. 42. GOTHANA P. I. cap. XVIII. §. 7. ALTENBVRG. P. I. cap. 37. §. 13. *g*) CARPZOV. P. I. Const. 28. def. 64. *h*) L. 38. § 1. h. t. L. 23. C. *de S. S. eccles.* *i*) L. 74. *de iure dot.* L. 17. §. 1. L. 18. sqq. h. t. *k*) L. 26. et 34. h. t. *l*) L. 24. §. 2. h. t. *m*) LAVTERBACH *de priuilegio creditorum personal. simplici.* *n*) L. 7. §. 2. 3. *depositi.* *o*) L. 32. h. t.

ſonali non priuilegiato credita habent, pro rata, ſine diſcrimine temporis, admittuntur *p*), iisque ſolus poſtponitur fiſcus ratione mulctae ex delicto debitae *q*).

vſurae quo loco debeantur.

§. 2013. Vſurae iure communi vna cum ſorte, cuius acceſſorium habentur, aſſignantur *r*). In Saxonia vero aliisue locis regulariter omnibus creditis poſtponuntur *s*).

ad officium iudicis ſpectat conſtitutio maſſae

§. 2014. Durante concurſu iudicis officium in eo potiſſimum verſari debet, vt maſſa bonorum ad concurſum pertinentium conſtituatur, conſeruetur et diſtrahatur. Conſtitutioni maſſae inſeruit 1) *iudicialis obſignatio, et inuentarii confectio*, ſeu in caſu, quo debitor praeſens eſt, ſpecificationis iuratae exactio, 2) *manifeſtatio iurata*, ab iis, in quos fraudis et doli cadit ſuſpicio, praeſtanda, 3) eorum, quae ad bona debitoris non pertinent, *ſeparatio*, et 4) eorum, quae debitoris ſunt, vt et nominum, *exactio et reuocatio t*). Diſtractio maſſae fit per auctionem vel ſubhaſtationem.

LIB.

p) L. 6. C. h. t. *q*) L. 17. et 37. *de iure fiſci.* interdum tamen leg. prouinciales fiſco ratione mulctae ex concurſu debitae tacitam hypothecam tribuunt, veluti in Saxonia. *r*) L. 18. *qui potiores in pign.* L. 9. §. 2. *de pactis.* trium annorum vſurae ſimul cum ſorte locantur, iure Cod. Frid. P. IV. tit. 9 §. 28. *s*) HEIMBVRG *an is, qui iure praelationis quoad ſortem in concurſu creditorum eſt munitus, eodem quoad vſuras quoque gaudeat.* SCHNADERBACH *de petendis ex concurſu vſuris.* *t*) Huc quoque ſpectat pignorum reluitio. Pignoris vero poſſeſſor ad extraditionem pignoris non tenetur, ni ſolutum accipiat creditum, aut creditores priores appareant, qui ex maſſa bonorum ſuum non recipiunt, PVFENDORF T. III. obſ. 60. RIVINVS *de iure pignoris moto concurſu.* P. W. SCHMID *de iure retentionis circa pignus in tantum ceſſante.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0376
DFG

LIB. XLII. TIT. VI.
DE SEPARATIONIBVS.

ius separationis.

§. 2015. Sequuntur tria beneficia, quae creditoribus obaerati debitoris competunt, quorum primum est IVS SEPARATIONIS, *vi cuius peti potest, vt bona, quorum intuitu alicui ius potius competit, a reliquis debitoris bonis seiungantur*, quo magis sibi exinde prae aliis satisfiat.

separatio ex iure dominii.

§. 2016. Ius separationis petere possunt, quibus ius potius quorundam bonorum intuitu competit (§. 2015.). Ius vero potius vel ex dominio, vel ex crediti natura profluit, et inde ius separationis vel ex dominii, vel ex crediti ratione competit. IVRE DOMINII fit separatio, *si creditores adsunt, qui bona sua propria a debitore communi possessa ex concursu vindicant u)*. Rei enim vindicatio instituenda est contra possessorem. Bona vero, quae in debitoris possessione fuerunt, orto concursu possidentur a creditoribus (§. 2006.), et inde actio publiciana aeque, ac rei vindicatio in foro concursus instituenda, ibique verum, vel quasi dominium demonstrandum est *x)*.

ex iure crediti, vnius debitoris creditores.

§. 2017. IVRE CREDITI petitur separatio, vel ideo, quia *diuersorum debitorum* adsunt creditores, vel ideo, *quia vnius quidem creditores concurrunt*, debitor vero bona possidet, quae tanquam corpora separata vi legis

u) Huc spectant *res depositae, commodatae, pignori datae, dos et illata vxoris, liberorum peculia*, quatenus in specie adhuc exstant, secus si consumtarum pretium exigitur. BRVNNEMANN *conc. credit.* c. 5. §. 5. sq. RICHTER *de iure credit.* c. 2. m. 1. n. 1. sqq. LVDOVICI *conc. credit.* c. 9. §. 3. *x)* LEYSER sp. 479. m. 1. 2.

gis considerari debent. Posterioris generis separatio obtinet, 1) si mercator diuersam exercuit negotiationem in diuersis tabernis, illiusque intuitu diuersa credita contraxit *y)*, si quis cum milite intuitu peculii castrensis *x)* vel 3) cum vasallo intuitu feudi contraxit *a)*.

creditores haereditarii quatenus separationem vrgere possint.

§. 2018. Inter diuersorum debitorum creditores obtinet ius separationis (§. 2017.), si debitor alterius debitoris haeres extitit. Hoc enim casu fieri potest, vt defuncti, non vero haeredis bona, creditoribus sufficiant, Inde defuncti creditores, praesertim chirographarii, recte exigunt, vt bona defuncti et haeredis separentur, quo magis ex illis sibi satisfiat *b)*. Et haec separatio non quidem per rem iudicatam inter haeredis creditores bene vero per nouationem, qua fidem haeredis secuti sunt creditores haereditarii, excluditur *c)*; modo intra tempus a lege praescriptum, quod iure communi est quinquennium, ab adita haereditate computandum, sit petita *d)*.

petentibus solum conceditur, eaque concessa regressus locum non habet.

§. 2019. Separatio bonorum est beneficium iuris (§. 2015.). Hinc non obtruditur; sed datur solum petentibus, nisi leges prouinciales illud ex officio dari permittant *e)*. Facta vero separatione, illi, qui eam impetrarunt, ad haeredis bona regressum non habent,

y) L. 5 §. 15. et 16. *de tribut. action.* *z)* L. 7. *de pecul. castrens.* *a)* HELLFELD *de iure cred. allod. intuitu feudi et concursus feudalis*, §. 15. sqq. *b)* L. 1. §. 3. h. t. WERNHER P. IV. obs. 4. *c)* L. 1. §. 10. sqq. h. t. LEYSER sp. 489. m. 5. *d)* L. 1. §. 13. h. t. LEYSER sp. 489. WERNHER P. IV. obs. 431. LVDOVICI *conc. cred.* c. XI. §. 5. BECHMANN *de beneficio separ. bonor.* LAVTERBACH *de separatione.* *e)* L. 1. §. 7. 16. h. t. MEVIVS P. I. decis. 254.

bent, quod vero supereſt, lucro cedit creditoribus haeredis, seu debitoris principalis *f)*.

LIB. XLII. TIT. VII.
DE CVRATORE BONIS DANDO.

curator bonorum a quo et quis eligi potest.

§. 2020. Bona, quae creditoribus orto concursu cesserunt, vsque ad eorum alienationem rite sunt administranda. *Is, cui bonorum administratio est commissa,* CVRATOR BONORVM dicitur. Quem, vel ipsi creditores, si omnes consentiunt, priuato eligunt arbitrio *g)*, vel si dissentiunt, ex consensu maioris partis creditorum vel etiam ex officio, constituit magistratus, apud quem pendet concursus iudicium *h)*. Et quidem creditori aeque, ac extraneo *i)*, vt et debitori eiusue vxori idonee satisdanti haecce demandari potest cura *k)*.

officium curatoris bonor. et actiones contra eum.

§. 2021. Curator bonorum est administrator bonorum (§. 2020.). Differt igitur a curatore litis, seu contradictore (§. 2008.), quamuis vtriusque officium haud raro in vna sit persona. Eius officium idem est, ac administratoris. Hinc tenetur ad inuentarium conficiendum *l)*, ad satisdationem *m)*, ad mediam diligentiam *n)*, et rationes reddendas *o)*, imo plures curatores in solidum agunt, et conueniuntur, nisi per regiones fuerint constituti *p)*. Quam ob rem a creditoribus

f) L. 1. §. 17. L. 3. §. 2. et L. 5. h. t. *g)* L. 5. D. h. t. *h)* L. 2. pr. h. t. *i)* L. 2. §. 4. h. t. *k)* LVDOVICI *proc. conc.* c. 4 §. 4. LEYSER spec. 491. med. 3. STRYCK *in notis ad* BRVNNEM. *conc. cred.* c. 1. §. 6. *l)* L. 15. *de rebus auctor. iud. possid. m)* L. 3. C. *post lim. reuers. n)* L. 1. § 2. *de ventre in poss. mitt. o)* L. 1. C. *vbi de ration. p)* L. 2. §. 2. 5. L. 3. h. t. DE CRAMER obs. 856.

actione *mandati*, seu *negotiorum gestorum*, a debitore vero actione *in factum* recte conueniuntur *q)*.

LIB. XLII. TIT. VIII.

QVAE IN FRAVDEM CREDITORVM FACTA SVNT, VT RESTITVANTVR.

actio Pauliana ob quasnam alienationes locum habet.

§. 2022. Facta bonorum cessione, seu missis creditoribus (§. 2003.), debitori nulla amplius de suis rebus disponendi et alienandi facultas competit (§. 2005.); sicque omnes eius alienationes ipso iure sunt nullae. Alienatioes vero cuiuscunque generis ante cessionem seu missionem factae non quidem ipso iure sunt nullae, sed quatenus in fraudem creditorum sunt, per *actionem Paulianam r)* rescinduntur, et in pristinum reducuntur statum, ita, vt ius amissum, simul cum actione, vel reali vel personali, exinde competente restituatur creditoribus cum omni causa *s)*. Hinc actio *Pauliana* speciebus restitutionis in integrum annumerari potest *t)*, nec duplici iudicio, rescindente et rescissorio, opus est, sed ipsa actio amissa statim instituitur potest, allegata simul restitutionis causa.

quaenam alienationes in fraudem creditorum factae dicuntur.

§. 2023. Illae vero alienationes solum reuocari queunt, quae factae in fraudem creditorum (§. 2022.), quales sunt, quibus debitor in eum reducitur statum, quo suis satisfacere nequit creditoribus. Sicuti vero in vniuersitatibus pretium in locum rei succedit; ita quoque regulariter fraus non fit creditoribus per alienationes onerosas, si pretium

q) L. 9. §. 3. 5. *de reb. auctor. iud. possid.* L. 1. §. 22. *de ventre in poss. mitt.* *r)* Nomen huius actionis est in L. 38. §. 4. *de vsuris.* *s)* L. 10. §. 22. h. t. *t)* G. L. MENCKEN *de actione Pauliana.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0380
DFG

tium in creditorum ceſſit vtilitatem *u*). Si vero debitor, vel pro viliori alienauit pretio, vel acceptum dilapidauerit pretium, contra eum, qui fraudem non ignorauit, actio competit, ad reuocandam alienationem, nec pretii reſtitutio a reo vrgeri poteſt, niſi illud adhuc ſit in bonis debitoris *x*). Secus ſi fraudis inſcius fuerit *y*). Liberalitates vero, quas in fraudem creditorum exercuit debitor, indiſtincte reuocari poſſunt, ſiue fraudis conſcius fuerit, ſiue inſcius, qui ex liberalitate adquiſiuit *z*). Caeterum ſemper requiritur, vt vera adſit alienatio, qualis non eſt in nuda omiſſione adquiſitionis lucri *a*).

contra eum, qui ex cauſa oneroſa poſſidet, locum non habet niſi fraudis particeps.

§. 2024. Contra eum, qui ex cauſa non lucratiua, ſed oneroſa, rem a debitore accepit, actio Pauliana non habet locum, niſi fraudis ſit particeps (§. 2023.). Iam vero fraus imputari nequit creditori, qui pecuniam ſibi debitam recipit a debitore. Ergo quoque contra huiusmodi creditorem ceſſat actio Pauliana. Sibi enim vigilauit, et alii creditores negligentiae ſuae expenſum ferre debent. Modo ante concurſum formaliter talem, id eſt, antequam bona a creditoribus ſint poſſeſſa (§. 2005.), ſolutionem acceperit. Poſt bona poſſeſſa nemo ſuum creditum praecipere debet, cum iam omnium par ſit conditio creditorum *b*) (§. 2005.). Caeterum actio Pauliana ad exemplum reſtitutionis eſt annalis *c*),

u) L. 10. §. 1. 2. h. t. *x*) L. 8. h. t. *y*) L. 6. §. 8. L. 10. §. 14. h. t. L. 5. C. *de reuoc. his, quae in fraudem.* *z*) L. 6. §. 11. D. h. t. et L. 5. C. *de reuoc. his, quae in fraudem.* *a*) L. 6. pr. h. t. L. 134. *de R. I.* L. 1. §. 6. *ſi quid in fraudem patroni.* *b*) L. 6. §. 7. L. 24. h. t. *c*) L. 1. pr. L. 6. §. f. L. 10. §. 18. h. t. Ad hunc titulum conferri queunt LEYSER *de geſtis per debito-*

et iure recentiori per quadriennium durat a die alienationis computandum.

SVBSECTIO II.
IVDICIVM CRIMINALE.

LIB. XLVII. TIT. II.
DE FVRTIS.

furti definitio.

§. 2025. Delicta priuata iure Rom. sunt furtum, rapina, iniuria et damnum iniuria datum. FVRTVM Romanis est *contrectatio fraudulosa vel ipsius rei, vel etiam vsus eiusue possessionis animo lucrandi inuito domino facta d)*. Ex mente igitur Roman. furtum absoluitur contrectatione fraudulosa, et tam ipsius rei, quam vsus, possessionisue rei *e)*.

est delictum priuatum, huius poenam laesus exigit, et quam.

§. 2026. Quia furtum ad delicta priuata refert ius Rom. (§. 2025.), eius poenam non respublica, sed laesus exigit. Laesus vero censetur is, cuius interfuit, non furripi rem *f)*. Actio, quae laeso ad poenam consequendam competit, *furti* dicitur, et differt a condictione furtiua. Ipsa poena furti, quod manifestum, id est, tale est, quo fur deprehenditur, antequam rem furtiuam ad locum destinatum transferre potuit *g)*, est quadruplum. Quod nec manifestum est, dupli poena coercetur *h)*.

§. 2027.

bitorem obaeratum tam ratis, quam irritis. KNEVSEL *de actione Pauliana.* STRVV *de actione Pauliana.* OELTZE *de cred. sibi vigilante.* *d)* L. 1. §. 3. h. t. *e)* Hinc, qui iumenta sibi commodata longius eduxerit, alienaue re inuito domino vsus sit, furtum facit, L. 40. h. t. creditor, qui pignore vtitur, furti tenetur, L. 54. h. t. *f)* L. 10. 11. 12. h. t. *g)* L. 3. et 8. h. t. *h)* §. 5. I. *de obl quae ex delicto nasc.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0382
DFG

§. 2027. Apud nos furtum est ablatio rei alienae inuito domino animo lucrandi facta. Ablatio est translatio rei ex possessoris custodia. Nuda igitur contrectatio, si res ex possessoris custodia non transfertur, furtum non facit *i)*. Porro apud nos furtum in ablatione ipsius rei consistit. Hinc vsus possessionisue furtum proprie haud statuimus *k)*. In omni tamen furto necesse est, vt 1) fiat ablatio rei alienae, 2) animo, lucrandi, 3) inuito domino *l)*. essentialia furti.

§. 2028. Quia furtum in rei alienae ablatione, et haec in translatione ex possessoris custodia consistit (§. 2027.), colligere licet, quod 1) rerum mobilium, naturaliter talium, solummodo detur furtum *m)*, 2) qui rem ex possessoris custodia auferre quidem voluit, attentati tantum furti reus fit; 3) fures proprie tales non sint, qui rem sibi traditam lucri causa interuertunt *n)*, 4) rei propriae *o)* et domino carentis *p)* non sit furtum. in rebus mobilibus alienis committitur.

§. 2029. Furtum fit ablatione inuito domino animo lucrandi (§. 2027.). Hinc furum numero annumerari nequit, 1) qui consentiente domino rem aufert, licet putet, ablationem fieri domino inuito *q)*, 2) is, qui aufert inuito, quem tamen consentire putat *r)*, absque lucrandi animo non est furtum.

3)

i) ENGAV *elem. iur.* lib. I. §. 93. *k)* C. CR. CAR. art. 170. *l)* L. 46. §. 7. h. t. *m)* Quia rei immobilis naturaliter talis non datur ablatio. *n)* CONST. CAR. art. 170. *o)* equidem obstare videtur §. 10. *de obligat. quae ex del.* ast hic paragr. intelligendus est de furto possessionis, quale hodie non habemus. *p)* Inde nec ablatio rei ex haereditate iacente pro furto habetur, L. 68. h. t. L. vlt. *de expil. haered.* *q)* §. 8. I. *de oblig. quae ex delicto.* *r)* L. 46. §. 7. L. 76. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0383
DFG

3) qui lucrandi animum non habet *s)*, sed solum libidinis, petulantiae, iniuriae, aut veritatis occultandae causa rem abstulit *t)*, aut pro re invito ablata aliam eiusdem pretii reddidit. Sufficit tamen ablationem lucri causa semel esse factam, licet postea fur plane nullum, vel minimum percepit lucrum. 4) Qui pro sui suorumque conseruatione, quae aliter obtineri non potuit, id est, ex summa necessitate, aliquid abstulit, itidem fur non est.

furtum est l. simplex l. qualificatum, illiusque poena.

§. 2030. Poena furti, quae hodie publica est, variat pro diuersa ratione. Est enim furtum vel *simplex*, vel *qualificatum*. *Qualificatur* vero furtum, *quod tali ratione commissum est, vt exinde periculum vitae hominum imminuerit u)*. Furtum *absque periculo vitae hominis metuendo commissum*, SIMPLEX dicitur. Simplex, rursus vel *tertia vice* reiteratum est, vel non. Ibi poena laquei lege quidem indistin-

s) L. 39. et 53. L. 82. §. 2. h. t. L. 16. *ad L. Corn. de falsis.* *t)* CONST. CAR. art. 166. LEYSER sp. 537. m. 1. 2. *u)* Inde hoc furtum vocari solet *periculosum*, gefährlicher Diebstahl, in *rubric.* C. Cr. art. 159. Recte iam obseruauit BOEHMER obs. 1. *ad Carpzou. pr. crim. quaest.* 79, periculum vitae imminens furtum efficere periculosum, seu qualificatum. Tres enim casus furti qualificati, quos proponit Const. Car. art. 159. verbis: in seine Behausung bricht, steigt, oder mit Waffen, damit er jemand verletzen möchte, zu stehlen eingeht ꝛc. ita sunt comparati, vt exinde periculum vitae sit metuendum. Non enim quaeuis effractio facit qualificatum furtum, sed requiritur violentia, et talibus instrumentis facta, quibus hominis vitae a fure tam audace periculum est metuendum. Itidem adscensio, quae admotis scalis fit, audaciam furis satis prodit, quia deprehensus in actu furandi ob refugium difficile desperata quaeuis suscipit, BOEHMER l. c. obs. 5. furtum allatis armis peractum semper periculosum est, HEIMBVRG disp. *de furto armato.*

ſtincte eſt ſtatuta *x)*, aſt vſus fori furtum tertia vice reiteratum tunc demum laqueo punit, ſi fur iam punitus et furtorum poſtea commiſſorum quantum V. ſolidos excedit *y)*. Furtum ſimplex primum et ſecundum, vel magnum eſt, vel paruum. MAGNVM eſt, *vbi rei furtiuae aeſtumatio, ſecundum pretium commune facienda, ad V. ſolidos, quos praxis pro ducatis habet, adſcendit, vel eos ſuperat.* E contrario PARVVM dicitur, *cuius aeſtumatio V. ſolidorum quantum non attingit.* Furtum magnum, niſi cauſae adſint mitigantes, laqueo punitur *z)*. In paruum dupli vel quadrupli poena eſt ſtatuta *a)*; aſt hodie, prout pretium rei furtiuae quantum V. ſolidorum vel proxime attingit, vel non, carcer, relegatio, et fuſtigatio locum habet *b)*.

§. 2031. Furtum qualificatum, quod ſimul magnum eſt, laqueo punitur *c)*. Furti qualificati, non ſimul magni, poena itidem eſt laqueus, ita tamen, vt iudicis arbitrium non ſit penitus excluſum *d)*. Cauſae vero mitigantes furto magno propriae in furto qualificato non proſunt. Hinc nec quantitas rei furtiuae minor, nec remiſſio, nec reparatio laeſionis ad mitigandam poenam allegari queunt *e)*. poena furti qualificati.

§. 2032. Cauſae furti poenam mitigantes ſunt vel *communes* omnibus furti ſpeciebus, tum cauſae mitigantes.

x) *Conſt. Cr.* art. 162. *y)* LEYSER ſp. 435. m. 12. BERGER *El. iurispr. crim.* p. 40. BOEHMER ad Carpzou. qu. 78. obſ. 10. FEYGA diſp. *de iuſtitia poenar. capital. praeſertim in crimine furti periculoſi et tertii.* *z)* *Conſt. crim. Car.* art. 160. *a)* *Conſt. Car.* art. 157. *b)* CARPZOV. *iurispr. crim.* P. II. quaeſt. 78. n. 79. *c)* *Conſt. Car.* art. 160. fin. *d)* *Conſt. Car.* art. 159. *e)* ob verba cit. art. 159. der Diebſtahl groß oder klein.

vel *propriae*. *Communes* sunt exceptio doli in totum vel in tantum cessantis, corporis delicti deficientis, vel incerti, furti attentati tantum, coniugii vel cognationis vinculi cum laeso intercedentis *f)*. *Causae propriae*, furti magni poenam mitigantes sunt, exceptio damni vel in totum, vel saltim ita cessantis, vt quod laeso abest, valorem V. aureorum non attingat, aestumationis incertae, spei emendationis *g)*.

sociorum poenae.

§. 2033. Furum socii, qui furtum ad existentiam promouerunt, vt fures puniuntur. Hinc, si qualitatem participarunt, poenam laquei ferunt *h)*. Furti non qualificati quantum pro rata cuilibet socio imputatur, et si rata cuiuslibet quantitatem V. solidorum conficit, poena furti magni cuilibet iniungitur *i)*. Reiteratio furti, in vno existens, in altero deficiens, poenam sociorum efficere potest inaequalem. Qui furtum iam commissum recipiendo, occultando aut res furtiuas scienter emendo, participant, arbitrarie puniuntur *k)*.

LIB. XLVII. TIT. III.
DE TIGNO IVNCTO.

§. 2034. Furto quoque auferri potest TIGNVM, id est, *materia aedificio vel vineae necessaria*. Huiusmodi materia, si aedificio vel vineae actu iuncta existit, vindicari nequit, bene vero illius domino *actio de tigno iuncto* in duplum, vt et actio *ad exhibendum*, non quidem ad dissoluendam materiam, sed quia

f) *Const. crim.* art. 165. *g)* *Const. crim.* art. 160. *h)* LEYSER sp. 535. m. 17. *i)* CARPZOV. *iurispr. cr.* quaest. 78. n. 93. sqq. ibique BOEHMER obs. 5. *k)* CARPZOV. l. c. qu. 87.

quia possessor dolo malo fecit, quo minus exhiberi queat, ad id, quod interest, competit *l)*. E contrario, si materia aedificio, vel vineae non cohaeret, illa potest vindicari *m)*.

LIB. XLVII. TIT. IV.

SI IS, QVI TESTAMENTO LIBER IVSSVS ERIT, POST MORTEM DOMINI ANTE ADITAM HAEREDITATEM, SVRRIPVISSE AVT CORRVPISSE QVID DICITVR.

§. 2035. In casu, quem rubrica proponit, intra annum actio in duplum datur.

LIB. XLVII. TIT. V.

FVRTI ADVERSVS NAVTAS, CAVPONES, STABVLARIOS.

Quae ad hunc titulum faciunt, supra (§. 1627.) adduximus.

LIB. XLVII. TIT. VI.

SI FAMILIA FVRTVM FECISSE DICATVR.

§. 2036. Sub FAMILIA hic intelliguntur *omnes serui vnius Domini*. Hos, si coniunctim furtum fecerant, dominus aut omnes noxae dare, aut tantum offerre tenebatur, quantum, si vnus liber furtum fecisset, dedisset *n)*.

LIB.

l) L. 1. h. t. *m)* L. 2. h. t. *n)* L. 1. 3. h. t. L. 32. *ad L. Aquil.*

LIB. XLVII. TIT. VII.
ARBORVM FVRTIM CAESARVM.

§. 2037. Contra eum, qui arborem lucri faciendi animo inuito domino caesit, et abstulit, furti actio locum habet. Praeterea contra eum, qui arborem deglabrauit, subsubsecuitque, actio in duplum datur *o)*.

LIB. XLVII. TIT. VIII.
DE VI BONORVM RAPTORVM ET DE TVRBA.

rapina eiusque a furto differentia.

§. 2038. Alterum delictum priuatum, RAPINA nempe, est *furtum vi factum.* Quae igitur de furto in genere valent, valent quoque de rapina, sicque rapina est ablatio rei alienae, (§. 2027.) mobilis (§. 2028.) inuito domino, animo lucrandi facta (§. 2027.). Hinc rapina non est, 1) si quis rem suam alteri extorserit *p)*, 2) si rem alienam immobilem vi inuaserit *q)*. Quamuis et hoc casu ad coercendam vim non desint alia iuris remedia. Vis furtum a rapina distinguit.

actio de vi bonorum raptorum.

§. 2039. Praeter rapinam aliud quoque damnum coadunatis hominibus per vim fieri potest. Propter hoc *r)* aeque, ac rapinam actio de vi bonorum raptorum competit domino, eique, cuius interest, eiusque haeredi *s)*, aduersus eum, qui dolo malo rapuit, vel damnum coadunatis fecit hominibus, non aduersus haeredes, intra annum in quadruplum, post annum in simplum. Quadruplum vero ipsam rei aestumationem continet *t)*.

§. 2040.

o) L. 1. 7. 8. h. t. *Const. Car.* art. 168. *p)* L. 7. C. *vnde vi.* L. 13. D. *quod metus.* *q)* L. 2. §. 1. h. t. *r)* L. 2. pr. §. 2. 3. sqq. h. t. *s)* L. 2. §. 22. 23. h. t. *t)* L. 2. pr. h. t. pr. Inst. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0388
DFG

§. 2040. TVRBA est *concursus plurium, et ad minimum decem hominum, nocendi causa factus.* Si per turbam damnum fit, omnes, qui dolo in turba fuerunt, eam concitarunt, promouerunt, ad damnum resarciendum, intra annum in duplum, post annum in simplum, tenentur *u*). turba.

§. 2041. Apud nos rapina publicum est delictum, in quod gladii poena est statuta, siue magni, siue minimi pretii res sit ablata *x*). E contrario eos, qui turbam excitarunt, aut in illa damnum fecerunt, poena manet arbitraria *y*). rapina apud nos gladio, turba arbitrarie punitur.

LIB. XLVII. TIT. IX.

DE INCENDIO, RVINA, NAVFRAGIO, RATE, NAVE EXPVGNATA.

§. 2042. Propter ablationem fraudulosam incendio, naufragio, rate, naue expugnata factam, vt et receptionem harum rerum ablatarum itidem actio in quadruplum locum habet *z*). Quae hodie, salua poena publica, in simplum competit.

LIB. XLVII. TIT. XI.

DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBVS.

§. 2043. Sequuntur *publica delicta*, quorum poena ad rempublicam pertinet. De his vel iudicio publico agitur, vel non. Illa publica delicta in specie talia, haec vero extraordinaria vocantur. Iudicia publica sunt, quae crimina extraordin. quae? et quomodo a publicis differunt,

u) L. 4. h. t. *x*) *Const. Carol.* art. 126. quem tamen textum ex L. 28. §. 10. D. *de poenis* explicandum putant. *y*) LEYSER sp. 140. *z*) L. 1. h. t.

quae ab ipso populo, vel ex speciali eius seu imperantis concessione super delictis, in quae poena publica lege, stricte sic dicta, vel SCtis determinata est, exercentur *a*).

sunt duplicis generis.

§. 2044. Delicta extraordinaria duplicis generis sunt. Alia priuatorum, alia reipublicae saluti principaliter aduersantur. Propter illa principaliter laeso, imo in subsidium aliis quoque, ast propter haec cuilibet ex populo, accusare licet *b*).

abactio partus.

§. 2045. Ad crimina extraordinaria, quorum mentio fit hoc titulo, refertur I) *abactio partus*, seu procuratio abortus, quae est *factum, quo quis dolo efficit, ne partus in vtero matris latens prodeat viuus.* Huius poena iure Rom. erat exilium *c*). Ius vero carolinum *d*), si partus iam fuerit vitalis *e*), in masculum abortus procuratorem gladium, in foeminam culeum, si partus nondum vitalis fuit, arbitrariam poenam statuit. Poena quoque capitalis in eos est statuta, qui sterilitatem procurarunt *f*).

alia crimina extraordinaria nominantur.

§. 2046. Huc quoque spectat II) *sollicitatio alienarum nuptiarum, et matrimoniorum interpellatio*, quae, etsi effectu potiri non potuerit, extra ordinem punitur *g*). III) *Inquinatio* fimo corrupto facta, quae non solum lege Aquilia, sed quoque extra ordinem coercetur *h*). IV) *Aquarum publicarum* corruptio

a) L. 1. D. *de publ. iud.* L. 3. §. 3 D *de praeuaric.* *b*) L. 3. pr. *de sepulchro viol.* L. 3. *de termino moto.* *c*) L. 4. h. t. ad mortem tamen extendi poterat, L. 38. §. 5. L. 39. *de poenis.* MERIL. lib. I. obs. c. 16. *d*) art. 133. *e*) distinctio inter vitalem et non vitalem partum ob textum *Exod.* cap. XXI. v. 22. iure canonico approbata, c. 20. X. *de homicid.* c. 9. C. 32. qu. 2. in Carolinam transiit. BOEHMER obs. ad CARPZOV. qu. 21. *f*) C. C. *Car.* art. 133. *g*) L. 1. pr. h. t. *h*) L. 1. §. 1. h. t. L. 27. §. 18. *ad L. Aquiliam.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0390
DFG

tio *i*). V) SCOPELISMVS, *quo quis per positionem lapidum certi cuiusdam generis alicui mortem minabatur, si agrum, cui impositi lapides, coluisset k*). VI) *Disruptio aggerum Niloticorum l*). VII) *Circulatorum nequitia m*). VIII) *Dardanariatus*. IX) *Falsificatio mensurarum*. Insuper extra ordinem puniuntur X) *sacculatii*, qui vetitas in sacculo artes exercentes, partem subtrahunt, vt et *directarii*, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo. Hi aeque ac illi aut ad tempus in opus publicum dantur, aut fustibus castigantur, aut ad tempus relegantur *n*). Hodie vero tanquam fures puniuntur. XI) Qui puero stuprum, abducto ab eo vel corrupto comite, persuasit, aut mulierem puellamue interpellauerit, quidue impudicitiae gratia fecerit, donum praebuerit, pretiumue, quo is persuadeat, perfecto flagitio, punitur capite; imperfecto, in insulam deportatur. Corrupti comites summo supplicio adficiuntur *o*).

LIB. XLVII. TIT. XII.

DE SEPVLCHRO VIOLATO.

violatio sepulchrorum

§. 2047. Romanis sepulchra erant loca religiosa, et factum religioni, sepulchris debitae contrarium, delictum est, quod nomine violati sepulchri venit *p*). Inde I) contra eum, qui sepulchrum dolo malo diruit, mortuum inuito domino infert, cadauera vel reliquias contrectat, dabatur actio sepulchri violati, ad id, quanti aequum videbatur *q*).

i) L. 1. §. 1. h. t. L. 11. pr. *quod vi aut clam*. *k*) L. 9. h. t. *l*) L. 10. h. t. *m*) L. 11. h. t. *n*) L. 7. eod. *o*) L. 1, §. 2. h. t. C. C. *Car.* art. 123. *p*) L. 1. C. h. t. *q*) L. 2. 3. §. 3. L. 4. et 5. C. h. t.

II) Contra eos, qui in sepulchro dolo malo habitant, aedificiumque aliud, quam quod sepulchri causa factum sit, ibi habent, cuilibet ex populo datur actio ad CC. aureos *r)*. III) Qui corpora ipsa extrahunt vel ossa eruunt, si humiliores sint, summo supplicio adficiuntur, honestiores in insulam deportantur *s)*.

spoliatio cadauerum.

§. 2048. Cum violatione sepulchrorum concurrit interdum spoliatio cadauerum. Quae, si more latronum armis fit, capite punitur; si sine armis, arbitraria poena, vsque ad damnationem in metalla extendenda, locum habet *t)*. Qui saxa, marmora, aut alia monumenta de sepulchro auferunt, X pondo auri fisco inferre coguntur *u)*.

poena hor. delictor.

§. 2049. Hodie loco priuatae poenae ob sepulchri violationem obtinet arbitraria. Poenae vero in eos, qui corpora vel ossa extrahunt, aut cadauera spoliant, si leges speciales desunt, non sunt extra vsum *x)*. Illi, qui de sepulchro aliquid auferunt, tanquam fures puniuntur *y)*.

LIB. XLVII. TIT. XIII.

DE CONCVSSIONE.

§. 2050. CONCVSSIO est *crimen, quo quis per comminationem malorum, auctoritate publica inferendorum, aliquem ad dandum vel faciendum compellit.* A priuato aeque ac magistratu concussio fieri potest. Poena vero arbitraria est *z)*. LIB.

r) L. 3. pr. et §. 6. h. t. *s)* L. fin. h. t. *t)* L. 3. §. 7. h. t. *u)* L. 4. C. h. t. *x)* Quid in Sax. El. obtineat, disponit *Constit. El Saxon.* P. IV. *constit.* 34. adde CARPZOV. *pr. rer. crim.* quaest. 83. n. 53. sqq. *y)* BOEHMER ad CARPZOV. quaest. 83. obs. 4. *z)* L. 1. 2. h. t. COCLENIVS *de crim. concuss.*

LIB. XLVII. TIT. XIV.
DE ABIGEIS.

abigei quinam sint.

§. 2051. ABIGEI sunt *fures pecorum in pascuis, armentis vel gregibus existentium a)*. Cum igitur 1) abigei sint fures, sequitur, vt pro abigeis haberi nequeant, qui iusta ex causa abacta animalia sua crediderunt. Porro cum abigeorum et furum differentia in eo sit, quod illi pecora ex pascuis vel gregibus furentur, sequitur, 2) vt abigeus non sit, qui bouem aberrantem, vel equos in solitudine relictos abduxerit *b)*, 3) prout pecora abacta sunt vel iumenta, vel non, ita et vnius abactio abigeatum constituit, vel non *c)*.

eorum poena.

§. 2052. Ob vtilitatis publicae rationem, et quia abigei sunt fures periculosi, abigeatus crimen furto durius punitur *d)*, et quidem gladio, damnatione ad opus publicum, et honestiorum relegatione, imo et damnatione ad bestias, si qui cum gladio abegerint *e)*. Receptatores abigeorum ad decem annos relegantur *f)*. Hodie, nisi speciales adsint leges prouinciales, abigei, vt fures, puniuntur *g)*.

LIB. XLVII. TIT. XV.
DE PRAEVARICATIONE.

praeuaricator quis?

§. 2053. PRAEVARICATOR est, *qui in causa, quam alterius nomine defendendam suscepit, in detrimentum eius, cuius causam gerit, dolo partem adiuuat aduersam.* Proprie praeuaricator dicitur accusator, qui causam ita

a) L. 1. §. 1. h. t. *b)* L. 1. §. 4. eod. *c)* L. 3. pr. h. t. *d)* L. 2. h. t. *e)* L. 1. h. t. PAVL. *recept. sentent.* V. 18. 2. *f)* L. 3. §. 2. h. t. CARPZOV. *pr. crim.* qu. 86. n. 39. THOMASIVS *de abigeis.* §. 91.

agit, vt accusatus absoluatur. Improprie vero praeuaricator est, qui contra officium, quod suscepit, adiuuat causas eorum, quibus aduersari deberet *h)*. Hinc aduocati, procuratores, delatores publici, imo et iudices praeuaricationis criminis rei fiunt, si adiuuant causas, quibus aduersari debuissent *i)*. Minime vero notarii ab vtraque parte in eadem causa adhibiti *k)*.

eius poena.

§. 2054. Poena praeuaricatorum proprie talium, praeter infamiam *l)*, est extraordinaria *m)*, ita tamen, vt in criminibus, quae extra ordinem obiiciuntur, eadem adficiantur poena, qua tenerentur, si ipsi in legem commisissent, quia reus per praeuaricationem absolutus est. Praeuaricatores improprie tales arbitrarie pro ratione circumstantiarum puniuntur, et poena vsque ad fustigationem extendi potest. Insuper praeuaricatores damnum, quod dederunt, resarcire tenentur *n)*.

LIB. III. TIT. VI.
DE CALVMNIATORIBVS.

definitio.

§. 2054. *a.* CALVMNIATOR in genere est, *qui alteri calumniosam litem mouet vel saltim minatur.* CALVMNIOSA LIS dicitur, *lis mota ab eo, qui scit, se nullum plane ius habere* α).

calumniator in specie talis.

§. 2054. *b.* CALVMNIATOR in specie dicitur, *qui pecuniam accipit, vt calumniosam litem*

b) L. 1. pr. et §. 1. h. t. *i)* BOEHMER ad CARPZOV. *pr. crim.* qu. 93. obs. 4. LEYSER sp. 554. *k)* RICHTER dec. 85. fin. *l)* L. 4 h. t. *m)* L. 2. h. t. *n)* L. 2. h. t. C CR. CAR. artic. 115. adde tamen LEYSER sp. 554. m. 31.

α) Calumniatores appellati sunt, quia per fraudem et frustrationem alios vexant litibus. Inde et *cauillatio* dicitur calumnia, L. 233. *de V. S.*

tem moueat, vel non moueat β). Non igitur is solum calumniator est, qui pecuniam accipit, vt moueat talem litem, sed quoque is, qui pecuniam accipit, ne moueat litem calumniosam. Sponte enim homines abstinere debent a flagitiis, non pecunia accepta.

actio ob calumn.

§. 2054. *c.* Calumniator ex proposito aliis taedia et damna infert. Hinc aequum est, vt eius calumnia debito coerceatur modo. Datur igitur actio non solum contra calumniatorem, sed quoque contra eum, qui dedit pecuniam, vt lis moueretur calumniosa. Et quidem contra hunc actio iniuriarum, contra illum vero actio poenalis in quadruplum competit γ), quamuis effectus non fuerit secutus δ). Tertius vero, qui dedit, ne lis moueretur calumniosa, condictione ob turpem causam data repetit ε).

vsus action. poenal.

§. 2054. *d.* Hodie ius puniendi magistratui, minime vero priuatis, competit. Inde actiones poenales, et sic quoque illa de calumnia, in quadruplum hodie non amplius praestant vsum ζ). Magistratus vero in calumniatores poenam pro arbitrio statuit, et laeso ad solam laesionis reparationem, et danti pecuniam, ad repetitionem, *condictio ob turpem causam* competit.

LIB. XLVII. TIT. XVI.
DE RECEPTATORIBVS.

§. 2055. RECEPTATORES sunt, *qui facinorosis hominibus scienter refugium praestant.*

β) L. 3. h t. L 7. h t. RHETIVS *de calumnia.* γ) L. 1. pr. L. 5. §. 3. h. t. δ) L. 3. §. 1. h. t. ε) L. 5 §. 1. h. t. ζ) Vsum actionum poenalium merito negant STRVV *exercit* 7. ad D. §. 6. THOMASIVS *de vsu actionum poenal. in foris Germ.* Earum vero vsum defendunt Wittebergenses apud WERNHER P. VI. obs. 367. BERGER *de vsu actionum poenalium.*

Hi aut eo animo recipiunt, vt delictum perpetrari queat, aut non. Ibi, ob consensum in delictum, eadem, quae delinquentes manet, poena locum habet *o)*. Hic vero ii, qui parte lucri accepta, facinorosos recipiunt et dimittunt, in pari reatu sunt cum ipsis facinorosis *p)*, minime vero, qui absque lucri parte receperunt, quippe qui arbitraria adficiuntur poena *q)*. Insuper receptatio furum et latronum operatur indicium societatis ipsius delicti *r)*.

LIB. XLVII. TIT. XVII.
DE FVRIBVS BALNEARIIS.

§. 2056. Quamuis furti poena iure Rom. esset priuata (§. 2026.); grauius tamen agebatur cum furibus balneariis, qui vestimenta sarcinasque eorum, qui in balneis publicis lauant, surripiunt. Hi, vt fures nocturni, poena adficiebantur publica, quae tamen operis publici temporarii modum egredi non debebat *s)*. Quod et hodie obtinet, ita tamen, vt poena mortis locum habere queat, si furtum sit magnum *t)*.

LIB. XLVII. TIT. XVIII.
DE EFFRACTORIBVS ET EXPILATORIBVS.

expilatores qui? eorumque poena.

§. 2057. EXPILATORES, qui sunt *fures atrociores*, *in opus* publicum, vel perpetuum vel

o) L. 1. C. *de his, qui latrones.* CARPZOV. qu. 134. n. 41. *p)* L. 1. h. t. LEYSER sp. 555. m. 1. *q)* BOEHMER ad CARPZOV. qu. 134. obs. 3. Mitius quoque agitur cum eo, qui adfinem seu cognatum recipit, L. 2. h. t. *r)* C. *Cr. Car.* art. 40. *s)* L. 1. h. t. *t)* STRYCK *V. M.* h. t. SCHILTER exercit. 49. §. 411.

vel temporarium, tradi solent. Honestiores autem ordine ad tempus moueri, aut fines patriae excedere iubentur *u)*. Hodie expilatores pro facti atrocitate mox capitali, mox alia arbitraria poena coercentur *x)*.

effractores eorumque poena.

§. 2058. EFFRACTORES dicuntur, *qui parietes vel fores aedium ob illicitum finem effringunt*. Non effractio per se, sed eius finis, efficit delictum. Si enim furti causa fit effractio, nocturnus effractor fustibus caesus in metallum, diurnus vero in opus perpetuum vel temporarium datur *y)*. Hodie furtum cum effractione coniunctum pro ratione vis adhibitae et instrumentorum, quibuscum illud peractum est, relegatione, fustigatione, laqueo punitur *z)*.

effractio carceris.

§. 2059. Huc quoque spectat carceris effractio animo se ipsum vel incarceratos liberandi facta. Qui de carcere eruperunt, siue effractis foribus, siue conspiratione, capite, leuius vero, si per negligentiam custodum euaserunt, sunt puniendi *a)*. Hodie non capitalis, sed arbitraria solum poena locum habet *b)*. Commentariensis, qui dolo incarceratum dimisit, eam poenam, quam dimissus meruit, subire tenetur. Qui vero per negligentiam fugae causam praebuit, pro gradu negligentiae arbitraria poena coercetur *c)*.

u) L. 1. §. 1. h. t. CUIACIUS obs. XV. 31. *x)* STRYCK *V. M.* h. t. §. 10. *y)* L. 2. h. t. *z)* CARPZOV. *pr. crim.* qu. 79. *a)* L. 1. pr. h. t. Insuper augentur indicia, *C. C. Car.* art. 25. *b)* *C. C. Car.* art. 180. Poena tamen talionis, extra casum criminis perduellionis, in delictis capitalibus hodie est rarissima, et fustigatio substituitur, CARPZOV. quaest. 111. n. 108. adde tamen LEYSER sp. 564. m. 5. sqq. *c)* *C. Car.* art. 180.

continuatio §. 2060. Exteri, qui, effringendo carcerem, incarceratum effugere fecerunt, capite puniuntur, si effractio per seditionem facta est, alias, pro ratione doli et violentiae adhibitae, arbitraria locum habet poena *d)*.

LIB. XLVII. TIT. XIX.
EXPILATAE HAEREDITATIS.

§. 2061. Crimen EXPILATAE HAEREDITATIS est *ablatio rei ex haereditate iacente seu nondum possessa.* Cum enim rei in nullius possessione existentis ablatio proprie non sit furtum (§. 2028.). Romani hancce ablationem nomine expilationis notarunt, eamque extra ordinem poena arbitraria coerceri volunt *e)*. Hodie expilationis crimen eadem ratione, ac furtum, punitur *f)*. Mitius tamen agitur cum vxore, et cohaerede, ex haereditate aliquid auferente *g)*.

LIB. XLVII. TIT. XX.
STELLIONATVS.

De stellionatu infra sub titulo ad *L. Corn. de falsis* §. 2128. dicemus.

LIB. XLVII. TIT. XXI.
DE TERMINO MOTO.

De crimine termini moti, eiusque poena, iam supra (§. 505.) dictum.

LIB. XLVII. TIT. XXII.
DE COLLEGIIS ET CORPORIBVS.

§. 2062. COLLEGIVM est societas ad certum quendam finem inita. Huiusmodi colle-

d) ENGAV *Elem. iur. crim.* lib. I. §. 537. STRYCK *V.M.* h. t. §. 8. *e)* L. 1 2 3. h. t. *f)* STRYCK *V.M.* h. t. SCHILTER exerc. 49. §. 48. *g)* L. 5. h. t. CONST. CR. CAR. art. 165.

collegia in ciuitate exiſtunt vel *ex approbatione imperantis*, vel *non*. Haec *illicita*, illa *licita* dicuntur *h)*. De licitis collegiis valent ea, quae ſupra de vniuerſitatibus diximus. Illicita vero diſſoluuntur *i)*, et inſuper ſodales, ſi ob noxium finem fuerint ſociati, puniuntur arbitrarie, pro diuerſitate detrimenti, quod exinde reipublicae accidit vel accidere potuit *k)*.

LIB. XLVIII. TIT. I.
DE PVBLICIS IVDICIIS.

§. 2063. De delictis publicis ſtricte talibus agitur in iudiciis publicis. Haec, quaenam ſint, ſupra diximus (§. 2043), ſuntque vel *capitalia*, vel *non capitalia*. Ibi de capite vel naturali, vel ciuili, hic de pecuniaria, vel alia corporis adflictiua poena agitur *l)*. Porro publica iudicia ea ſolum crimina tractant, quae lege ſtricte ſic dicta, ſeu SCto, poena notantur publica *m)*. Proceſſus quoque ſolennis locum habet, et publico iudicio damnatum ſequitur infamia, nec procuratores admittuntur *n)*.

LIB. XLVIII. TIT. II.
DE ACCVSATIONIBVS ET INSCRIPTIONIBVS.

proceſſus accuſatorius, inquiſitorius, et denuntiatorius, horumque vſus.

§. 2064. *Proceſſus, quo cauſae peraguntur criminales*, eſt vel *accuſatorius*, vel *inquiſitorius*. ACCVSATORIVS eſt, *quando accuſator contra delinquentem proceſſum perſequitur*. INQVISITORIVS vocatur, *quando iudex ex officio in veritatem et auctorem criminis inquirit*. PRO-

b) L. 3. §. 1. h. t. L. 1. *de offic. praeſid.* *i)* L. 3. pr. h. t.
k) L. 2. h. t. L. 1 4. *ad L. Iul. Maieſt.* *l)* L. 2. h. t.
m) L. 1. h. t. *n)* L. 7. h. t. *o)* L. 13. §. 1. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0399
DFG

PROCESSVS DENVNTIATORIVS, *quando quis iudici crimen, vt in illud inquirat, denuntiat*, non tam separatum processus genus quoad persecutionem criminalem constituit, quam solum inquisitorio processui per denuntiationem causa suppeditatur, licet in eo denuntiatorius processus aliquid singulare habeat, quod denuntianti interesse priuatum simul persequi liceat. Romanis processus inquisitorius non quidem plane incognitus *p*), ast accusatorius iis potissimum in vsu fuit *q*). Hodie ob incommoda, quae accusatorem premunt, accusatio, sicque accusatorius processus, rarior, inquisitorius frequentior est. In quibusdam tamen German. prouinciis, absoluta inquisitione, constituitur a iudice accusator, qui accusatorium processum instituit.

accusatorius incipit a libelli oblatione, et quomodo hic concipi debet, vt et de inscriptione in crimen,

§. 2065. Incipit processus accusatorius ab accusatione, quae fit per oblationem LIBELLI, *quo iudici delictum ab accusato commissum cum circumstantiis loci et temporis addito petito exponitur*. Articulatus libellus (§. 1780.) et petitum generale toleratur (§. 1783.). Insuper quoque accusator suum nomen subscribere tenetur. Libellus tali modo conceptus et subscriptus inscriptionem in crimen constituebat, cuius effectus erat, vt accusator ad subeundam eandem poenam, quae in crimen accusatum statuta est, obligaretur, in casu, quo de falsa accusatione constaret *r*).

qui accusare possunt.

§. 2066. In iudiciis publicis accusare poterant omnes, qui lege non prohibentur *s*). Accusare autem prohibentur, 1) qui suspicio-

p) NOV. 128. cap. 21. L. 7. C. *de accus.* LEYSER sp. 560. m. 10. *q*) B. BRISSONIVS *sel. antiq.* lib. II. cap. 1. eius ordinem exhibet. *r*) L. 3. 7. D. L. fin. C. h. t. *s*) L. 8. pr. h. t.

cione malae fidei vel calumniae laborant, quales sunt *inimici t*), *infames*, grauium *delictorum rei*, *pauperes*, qui minus, quam L. aureos habent, vt et illi, qui turpi quaestu ad accusandum ducuntur, aut falsum testimonium dixerunt *u*). 2) Qui rem vel *plane non*, vel *non satis intelligere* creduntur, vtpote *pupilli*, *mulieres x*), 3) ob reuerentiam vel pietatem accusando debitam, veluti *liberi*, *liberti y*), *vasalli z*), *fratres a*), 4) ob potestatem, qua gaudent, veluti *magistratus maiores b*). Hi tamen omnes, si propriam iniuriam exequantur, mortemque propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur *c*). Inter plures, qui simul accusant, iudex praestantiorem eligit *d*).

§. 2067. Accusari autem possunt omnes, qui ob delicta puniri queunt. Hinc accusare non licet 1) furiosos, mente captos, infantes et infantiae proximos *e*), 2) mortuos, nisi poena sit talis, quae etiam post mortem effectum habere queat, e. gr. in crimine perduellionis *f*) 3) absentes *g*), nisi poena sit talis, quae et absenti irrogari possit *h*), 4) magistratus maiores *i*), legatos, et qui superiorem non agnoscunt, 5) iam ab alio ob idem crimen accusatos, aut per sententiam plene absolutos, nisi nouae adsint probationes, aut collusio absolutionem promouerit *k*). quinam accusari nequeunt.

§. 2068. Inscriptio in crimen apud nos extra vsum est. Bene vero accusator satis dare cautio.

z) c. 7. X. h. t. *u*) L. 5. 8. 9 10. h. t. *x*) L. 1. 8. h. t. *y*) L. 8. h. t. *z*) II. F. 33. §. 1. *a*) L. 13. 18. C. h. t. *b*) L. 8 h. t. *c*) L. 11 pr h. t. *d*) L. 16. h. t. *e*) L. 5. *de poenis*. L. 12. *ad L. Corn. de sicar.* *f*) L. 20. h. t. *g*) L. 6. C. h. t. *h*) L. 5. pr. *de poenis*. *i*) L. 12. pr. D. h. t. *k*) L. 7. §. 2. L. 11. §. 2. D. L. 9. C. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0401
DFG

dare tenetur de accusatione prosequenda *l)*, vt et in casu, quo sufficientia delicti ab accusato commissi indicia statim haud probat, et reus incarceratus est, de sumtibus litis, damnis et iniuria realiter cauere, aut, si hoc nequeat, vna cum accusato carcerem, donec caueat, ingredi tenetur *m)*.

exceptiones et responsio

§. 2069. Accusato exceptiones dilatoriae contra iudicis, vel accusatoris personam, vt et contra libellum, cautionem, et modum procedendi directae non denegantur. His vero remotis, ad libellum singulaque eius puncta, specialiter respondere tenetur accusatus. Exceptiones peremtoriae responsioni adiungi queunt, omissae tamen omni tempore adhuc admittuntur. Qui plane non, vel non categorice respondet, pro qualitate delicti, carcere, vel tortura ad rite respondendum cogitur *n)*.

confessio accusati quotuplex, eiusque effectus.

§. 2070. Responsione facta, reus aut confessus est crimen aut illud negauit. Confessio vel pura, vel exceptionibus peremtoriis additis est facta. Exceptionem confessioni additam reus probare, aut in grauioribus delictis sub tortura asserere debet *o)*. Alias pro pura habetur. Pura confessio iudicialiter facta, si clara ac euidens, et deliberato animo facta ac probabiliter vera est, vt et de veritate delicti commissi, quae corpus delicti vocatur, constat, condemnationem operatur *p)*. Extraiudicialis confessio legitime probata, si de corpore delicti constat,

l) CONST. CRIM. art. 15. *m)* CONST. CRIM. art. 11. 12. 14. *n)* KAYSER *proceſſ. crimin.* p. 279. CARPZOV. qu. 113. n. 56. ibique BOEHMER. *o)* arg. C. C. C. art. 131. 141. *p)* L. 1. §. 17. *de quaeſtion.* LEYSER ſp. 561. m. 1. ſqq. BOEHMER ad CARPZOV. quaeſt. 114. obſ. 1.

ſtat, nec per ea, quae ſupra (§. 1739.) dicta ſunt, elidi poteſt, indicium quidem criminis commiſſi, minime vero plenam certitudinem efficit. Ficta confeſſio in leuioribus delictis, minime vero in capitalibus, ad condemnationem ſufficit. Tacita confeſſio vix alicuius momenti eſt in criminalibus.

negata libelli capita probari debent, et quomodo fiat haecce probatio.

§. 2071. Si libelli fundamentum vel totum, vel pro parte negatum eſt, accuſator probationem ſuſcipere debet. Ipſa vero probatio, vt in proceſſu ciuili, fieri poteſt, vel *artificialiter*, per argumenta et praeſumtiones ſeu indicia, vel *inartificialiter*, per teſtes, inſpectionem ocularem, et documenta *q)*. Delatio iuramenti non admittitur (§. 1928.), nec iuramentum ſuppletorium locum habet *r)*. Indicia et praeſumtiones medio eruendi veritatem locum faciunt, minime vero ad poenam capitalem ſeu corporis adflictiuam ſufficiunt *s)*.

reprobatio et ſententia

§. 2072. Reprobatio accuſato non denegatur *t)*. Qua exhibita, et deductione probatorum vtrinque facta, ſequitur ſententia vel *interlocutoria*, ad medium eruendi veritatem directa, vel *definitiua*, condemnatoria aut abſolutoria.

§. 2073.

q) Inſtrumenta, quorum confectio per ſe crimen conſtituit, ſi per exceptiones probatas animus delinquendi haud remouetur, plene probant. Aliis vero inſtrumentis, quae delictum a ſcribente commiſſum ioquuntur, eaedem exceptiones, quae confeſſioni extraiudiciali, obſtant. REINHARD *de eo, quod circa probat. delictor. per documenta iuſtum eſt.* *r)* L. 25. C. *de probatione.* *s)* C. C. CAR. artic. 22. Praeſumtiones vero violentae, quae delictum vere commiſſum certo loquuntur, ſufficiunt ad probationem, L. 25. C. *de probation.* REINHARD *de reo ex praeſumt. conuincendo.* *t)* CONST. CAR. art. 74. et 151.

inquisitio l. generalis l. specialis, eaque vel summaria l. solennis.

§. 2073. *Inquisitorius processus* formatur ex officio a iudice per inquisitionem (§. 2064.). Quae est vel generalis, vel specialis, GENERALIS INQVISITIO dicitur: *qua iudex in corpus delicti, eiusque circumstantias et indicia, quae hanc vel illam personam delicti commissi suspectam reddere queunt, ad protocollum inquirit.* SPECIALIS INQVISITIO est, *qua iudex speciatim contra eum, quem indicia generali inquisitione eruta de crimine commisso suspectum reddunt, per examen articulatim conceptum inquirit.* Processus inquisitorius diuiditur in SVMMARIVM, *quo delinquens et testes ad protocollum examinantur*, et SOLENNEM, *quo examen delinquentis et testium ad articulos fit.* Ille in leuioribus, hic in grauioribus delictis adhibetur.

ordo processus inquisitorii.

§. 2074. Quo magis vero formari queat specialis inquisitio, iudex absentem reum edictaliter citat, et literis arrestatoriis persequitur, praesentem carceri includit. Interdum pro auertendo carcere, vel auertenda inquisitione, defensio admittitur. Inquisitio specialis tali fit ordine, vt reus ad articulos ex generali inquisitione formatos respondeat categorice. Hos si affirmat, ei permittitur defensio in scriptis exhibenda. Si vero negat, iudex probationem ex officio instruit, et peragit, delinquentem cum testibus, vel cum sociis confrontat, ac deinde, exhibita a reo defensione, ad sententiam ferendam acta transmittit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0404
DFG

LIB. XLVIII. TIT. III.

DE CVSTODIA ET EXHIBITIONE REORVM.

§. 2075. Reus, ne fuga se subtrahat poenae, sub custodia detinetur. *Locus, quo reus, ne effugere queat, iudicis auctoritate u) custoditur,* dicitur CARCER. Qui licet interdum poenae nomine imponatur, principaliter custodiae reorum, de fuga suspectorum, inseruit. Hinc ita comparatus esse debet, ne poena *x)* sit, neue cruciatum, aut vitae seu sanitati incarceratorum periculum adferat. Illi quoque carceri solum dari debent, qui ob delictum indiciis satis grauati de fuga sunt suspecti. Fugae autem suspicio cadit in omnes, qui delictorum rei sunt capitalium, aut poena corporis aflictiua notatorum *y)*. In reliquis delictis illi solum, qui non satis possessessionati, aut non in spectabili officio sunt, pro suspectis habentur, et nisi satisdent, incarcerantur *z)*. carcer quid, et quinam incarcerari queunt.

§. 2076. Incarcerari tamen non debent, qui a iudice impetrarunt SALVVM CONDVCTVM, qui est *instrumentum, quo iudex se profitetur obligatum, vt securitatem reo praestet, eumque carceri, antequam sententia criminalis condem-* saluus conductus.

u) priuati incarcerare nequeunt, sub poena laesae maiestatis, L. 1. C. *de priuat. carcerib.* emendationis tamen causa incarcerari possunt personae, quae potestati nostrae subsunt, L. 3. 4 C. *de P. P.* L vn. C. *de emend. seruor. x)* L. 1. C. *de custod. reor.* L. 8. §. 9. D. *de poenis.* CONST. CAR. art. 11. Inde quoque honestiores in loco honesto incarcerari, vel militibus tradi debent. CARPZOV. quae. CXI. n. 42. sqq. adde L. 1. h. t. *y)* L. 3. D. L. 2. 6. h. t. *z)* L. 3. h. t. LEYSER sp. 563.

condemnatoria fuerit lata, non includat, modo se stiterit iudicio et quiete viuat. Diuiditur in *generalem* et *specialem.* Ille ad dies iuridicos est restrictus, hic vero reum quouis tempore ab iniuriis et carcere praestat securum. Huiusmodi saluus conductus cuilibet facinoroso, cuius copia haberi nequit, praestita cautione, de iudicio sisti, concedi solet, eiusque effectus durant tamdiu, ac conductus quiete se tenet, et sententia nondum lata est criminalis condemnatoria *a).*

remissio delinquentis.

§. 2077. Deprehensus reus, quatenus a iudice deprehensionis ad forum domicilii seu delicti commissi remittendus sit, supra (§. 1651.) diximus.

LIB. XLXII. TIT. IV.
AD LEGEM IVLIAM MAIESTATIS.

crimen laesae maiestatis eiusque species explicantur.

§. 2078. *Crimen* LAESAE MAIESTATIS in genere sic dictum, est *factum contra dignitatem, vel securitatem ipsius summi imperii a subdito dolo subsceptum.* In specie vero *factum dignitatem summi imperii laedens*, LAESAE MAIESTATIS, et *factum contra securitatem reipublicae susceptum*, PERDVELLIONIS crimen vocatur *b).*

contra quem et a quo committi possit.

§. 2079. Vtrumque, maiestatis et perduellionis crimen committitur a subdito contra imperium seu imperantem, cui subest (§. 2078). Sicuti vero subditi Germaniae plerique duplici subsunt imperio, communi nempe imperatoris et imperii, ac prouinciali statuum imperii; ita quoque crimen laesae maiesta-

a) LEYSER sp. 628. CARPZOV. *pr. crim.* qu. 112. n. 55. sqq. BRVCKNER, ROMANVS, *de saluo conductu.* *b)* L. 1. et 11. h. t.

ieſtatis et perduellionis contra imperatorem, Regem Romanorum, vt et electores, tanquam imperatoris conſiliarios intimos, committi poteſt *c)* a quolibet imperii Germ. ſubdito. Contra ſtatus imperii vero eorum ſolum ſubditi horum criminum rei fieri poſſunt.

poena perduellionis.

§. 2080. Poena perduellium eſt, vt 1) omnibus bonis allodialibus et feudalibus priuentur, et illa fiſco, haec vero domino directo applicentur *d)*, 2) in quatuor partes diſſecentur maſculi, foeminae culeo inſuantur, ſi contra ipſius imperantis vel reipublicae ſecuritatem directo fecerunt *e)*. Gladio vero puniuntur, qui de nece eorum, qui imperatoris vel reipublicae ſalutem conſiliis vel armis immediate adiuuant, conſilia inierunt *f)*. 4) Eorum memoria damnetur *g)*; 4) liberi ab omni ſucceſſione in cuiuscunque haereditatem, nobilitatem, titulo et nomine paterno excludantur *h)*. Eadem poena adficiuntur ſocii perduellionis *i)*.

ſingularia huius criminis.

§. 1081. Singularia huius criminis ſunt, 1) quod attentatum pro conſummato habeatur, 2) mortuus accuſari, 3) abſens damnari, et 4) in flagranti crimine deprehenſus a quolibet occidi queat; 5) quod conſcius criminis, ſi illud non reuelauit, et intercedens pro perduelle, ſocius criminis habeatur *k)*, 6) teſtes audiantur inhabiles, quibus tamen plena fides haberi nequit *l)*.

c) L. 5. C. h. t. AVREA BVLLA cap. 24. *d)* L. 11. D. L. 8 C. h. t. CONST. CAR. art. 28. *e)* CONST. CAR. art. 124. *f)* L. 5. C. h. t. AVREA BVLLA cap. 24. *g)* L. 6. et 8. C. h. t. *h)* L. 5. §. 1. ſqq. *i)* A. B. cap. 24. §. 6. *k)* A. B. cap. 24. §. 2. 7. 8. 10. *l)* L. 7. §. 1. C. h. t. adde LEYSER ſp. 568. m. 14.

laesae maiestatis in specie talis tres sunt classes, eorumque coercitio ad ipsum imperantem pertinet,

§. 2082. Per crimen laesae maiestatis in specie tale laedi potest dignitas summi imperii, verbis aeque ac factis. Verbis laeditur dignitas summi imperii per maledicta in imperantem seu rempublicam. Horum tres classes constitui queunt. Ad primam maledicta in principem, qua priuatum, ad alteram maledicta in principem, qua principem, ad tertiam maledicta in principem, quae simul securitatem reipublicae periculo exponere possunt, referenda sunt *m)*. Maledicta tertiae classis ad crimen perduellionis accedunt, et capite puniri possunt *n)*. Prioris classis maledicta ad iniurias atroces magis, quam crimen laesae maiestatis, pertinent. Secunda igitur classis potissimum huc spectat. Quia vero maledicta diuersi generis sunt, eorum quoque poena variat. Inde cognitio et arbitrium poenae ad ipsum imperantem pertinet *o)*.

poena.

§. 2083. Factis laeditur maiestas, si subditi contumelioſa facta in ipsum imperantem vel rempublicam, suscipiunt, aut iura, quae imperanti, qua tali, competunt, sine permissione exercent, aut illa imperanti dolo denegant *p)*. Poena pro grauitate criminis arbitraria est *q)*. Insuper in crimine laesae maiest. in specie tali, nec mortui accusantur, nec bona fisco applicantur *r)*.

blasphemia

§. 2084. Huc quoque referunt BLASPHEMIAM, quae est *iniuria dolo in Deum commissa*. Quia blasphemia iniuria est, illa *realis* aeque ac *verbalis*, *scripta* et *nuncupata*, *directa*

m) LEYSER sp. 569. m. 6. *n)* L. 1. §. 1. h. t. L. 28. §. 3. *de poenis*. *o)* L. vn. C. §. 1. *si quis imper. maled.* *p)* arg. L. 2. C. *de falsa monet.* *q)* L. 34. et 40. *de poenis*. *r)* L. 11. h. t.

recta et *obliqua* esse potest. DIRECTA est, *quando Deo tribuuntur, quae eius proprietatibus non conueniunt, seu denegantur, quae eius maiestati, insunt.* OBLIQVA vocatur, *quando personae seu rei iniuria infertur, quae ob singularem relationem in ipsum Deum redundat s).* Vt vero blasphemia crimen constituat, dolus adesse debet. Omnes, qui doli haud sunt capaces (§. 1534.), aut ex ignorantia, et errore blasphema protulerunt verba, blasphemiae criminis, saltim in foro humano, non sunt rei *t).*

§. 2085. Poena blasphemiae iure Romano est vltimum supplicium *u).* Iure vero Carolino arbitraria locum habet, quae tamen pro gradu doli et blasphemiae atrocitate ad mortem potest extendi *x).* Eadem quoque poena in eos statuta est, qui verba blasphema, quae audiuerunt, deferre, aut delata punire, noluerunt *y).* eius poena.

LIB. XLVIII. TIT. V.

AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIIS COERCENDIS.

§. 2086. Lex Iulia de adulteriis ab Augusto imp. lata *z)* pleraque carnis delicta vindicat. Et quidem 1) ADVLTERIVM, quod iure Rom. legis autor et adulterii defin. Romana et iuris canonici, vt et diuisio in simplex et duplicatum

s) ENGAV *de blasphemia illiusque crimine. t)* e. gr. Iudaei blasphema verba contra Christum proferentes. Qui tamen tanquam turbatores aliorum puniri queunt arbitrarie. BOEHMER *de cauta Iudaeor. tolerantia. u)* NOV. 77. cap. 1. §. 2. *x)* *Const. crim.* art. 106. adde *Rec. imp.* de ao. 1548. tit. von Gotteslästern. ORD. POL. de ao. 1577. tit. 1. §. 2. *y)* ORD. POL. IMP. de ao. 1577. tit. 1. § 5. 6. *z)* L. 1. h. t. Capita huius legis collegit BARN. BRISSONIVS *in com. ad L. Iul. de adulteriis.*

Rom. est *concubitus cum alterius vxore a)*. Hinc congressus mariti cum soluta non adulterium, sed stuprum est *b)*. Hodie ex principiis iuris canonici ADVLTERIVM est *concubitus, quo fides coniugalis violatur c)*. Et prout vel *vterque coeuntium*, vel *vnus ex illis*, *in coniugio est*, *et fidem frangit* in SIMPLEX et DVPLICATVM diuiditur.

adulterii consummatio, et quomodo de ea constat.

§. 2087. Adulterium est concubitus (§. 2086.). E. consummatur per immissionem seminis masculini in vas foeminae. De qua, vel ex confessione vtriusque partis, vel aliunde certo constare debet *d)*. Ea nondum secuta, attentatum manet crimen. Deinde cum fidei coniugalis violatio concipi nequeat, nisi vel vterque coeuntium, vel vnus saltim in matrimonio viuat, adulterium quoque praeponit, vt de matrimonio coeuntis copula sacerdotali et carnali consummato, et tempore commissi adulterii adhuc persistente, constet. Iure tamen Romano etiam cum alterius sponsa *e)* adulterium committi potest.

crimen adulterii dolum requirit.

§. 2088. Quia verum crimen non est sine dolo (§. 1539.), colligere licet, quod cri-

a) L. 6. §. 1. L. 38 §. 1. h. t. *b)* arg. L. 18. C. *de adulteriis*. MATTHAEI *de crim.* tit. 3. cap. 1. n. 12. BOEHMER ad CARPZOV. quaest. 52. obs. 3. *c)* c. 15. C. 32. qu. 5. *d)* Vnius confessionem non sufficere putant, ob L. 1. §. 27. D. *de quaestionibus*. Quod tamen de simplici et nuda confessione solum verum est, BOEHMER ad CARPZOV. quaest. 60. obs. 1. dissentit BAYER *de veritate criminis perperat. corpus delicti vocari solita in adulterio*. Seminis immissionem ad corpus delicti in adulterio constituendum necessariam non esse, putat BOEHMER ad CARPZOV. quaest. 61. obs. 1. *e)* L. 13. §. 3. h. t. Hodie concubitus cum alterius sponsa durius stupro, mitius adulterio, puniri solet. CARPZOV. quaest. 56. ibique BOEHMER.

crimen adulterii vere tale non sit, 1) si quis tempore concubitus adulterini vel rationis et intellectus vsu, vel voluntatis libertate fuit priuatus (§ 1534), 2) si quis credidit, se cum sua concumbere vxore *f)*, aut 3) personam, cum qua carnaliter congressus est, pro innupta habuit *g)*. Porro, cum delictum sine facto contra leges poenales susceptο non detur (§. 1531.), pro adultero quoque haberi nequit, qui adulterium quidem committere voluit, aſt reuera non commisit. Bene vero pro socio criminis adulterii habetur persona soluta, quae sciens cum coniugata concumbit.

poena adulterii.

§. 2089. Lege Iulia adultera relegatione in insulam, et insuper dimidia dotis, et tertia bonorum parte, coercebatur. Adulter vero dimidia bonorum parte et relegatione in insulam puniebatur *h)*. Postea Constantinus M. adulterium gladio vindicari statuit *i)*, quod ratione adulterae Iustinianus mutauit. Dum eam verberare et in monasterium detrudere, ibique ad vitae tempus, nisi intra biennium maritus eam receperit, retinere iussit *k)*. Noua haecce Iustinianea dispositio et notio, quam ius Romanum, a iure canonico diuersam, de adulterio format, apud nos admodum incertam reddit adulterii poenam. Cum enim monasteriorum conditio, praesertim apud protestantes, non ferat, vt iis adulterae includantur; poena a Iustiniano statuta commode applicari nequit. Hinc ICti relegationem, eamque vel perpetuam, vel

f) c. 5. C. 34. qu. 1. *g)* L. pen. h. t. L. 18. C. eod. *h)* PAVLLVS *recepr. sent.* lib. II. tit. 26. n. 14. *i)* L. 30. §. 1. C. h. t. adde §. 4. Inst. *de publ. iud.* *k)* NOV. 134. c. 10. HOFFMANN *ad L. Iul. de adulter. coercendis.*

vel temporariam, ſubſtituere ſolent. Porro, cum iniquum videatur, maſculorum conditionem duriorem eſſe conditione foeminarum: *ICti* gladii poenam, in maſculos ſtatutam, aboleuerunt *l)*. Hanc incertitudinem non tollit Carolina Conſtitutio *m)*, quippe quae vnice ad ius Iuſtinianeum remittit. Poenas, quae facto ob adulterium diuortio, nocentem coniugem ſequuntur, vide ſupra (§. 217.).

cauſae poenam mitigantes.

§. 2090. Ceſſat poena adulterii, ſi adulterium plane non eſt commiſſum, aut ob defectum doli et culpae plane imputari nequit. Mitigatur vero, 1) ſi dolus in totum vel in tantum deficit, quale fit, ſi adulterans ex furore amoris, quem cohibere, vel facto coniugis, vel ex improuiſo oblata occaſione, fuit impeditus, deliquit *n)*, 2) ex fauore matrimonii, quod innocens coniux, poſtquam iniuriam ſibi adulterio illatam cognouit, vel ipſo facto continuat, vel continuare promittit *o)*, aut, quia adulterans compenſationem habet, continuare obligatur *p)* (§. 210.).

ex officio inquiri poteſt in hoc crimen, et quibus eius accuſatio permiſſa.

§. 2091. Quia iudices ex officio in delicta apud nos inquirunt (§. 2065.), idem quoque in adulterii crimine locum habet. Accuſatio vero permittitur marito laeſo, deinde patri, fratri et auunculo *q)*, imo et recentiori iure vxori *r)*, minime vero aliis *s)*.

§. 2092.

l) HOFMANN *de diſſenſu iuris in puniendo adulterii crim.* *m)* art. 120. In Saxonia poena adulterii capitalis eſt, ſoluta vero cum marito concumbens fuſtigatur, CONST. EL. 19. c. 4. Variarum prouinciarum iura circa adulterii poenam exhibet ENGAV *El. iur. crim.* §. 197. ſqq. *n)* NOV. 74. c. 4. pr. LEYSER ſp. 589. per tot. *o)* LEYSER ſp. 580. m. 10. ſqq. *p)* L. 13. §. 5. h. t. *q)* L. 14. §. 2. D. et L. 6. et 30. C. h. t. *r)* CONST. CAR. art. 120. *s)* L. 30. C. h. t.

§. 2092. Praeterea, cum in casu, quo imminens periculum iudicis auxilio auerti nequit, quilibet, etiam cum alterius internecione, sibi ius quaerere possit (§. 1666.); et periculum ex adulterio familiae metuendum tale sit, cui auertendo iudicis auxilium non semper sufficit, leges patri aeque ac marito permittunt vindictam priuatam, ita vt marito occidere liceat, non quidem vxorem, bene vero adulterum, vilioris conditionis in domo sua deprehensum, imo etiam adulterum honestioris conditionis, si post trinas dehortationes eum cum vxore conuenientem in sua, aut ipsius vxoris, aut adulteri domo, aut in popinis aut suburbariis inuenerit *t)*. Pater vero adulteram, in sua potestate constitutam, simul cum adultero domi suae in ipso adulterii actu occidere potest *u)*. vindicta adulterii priuata.

§. 2093. Alterum crimen, quod lex Iulia coercet est BIGAMIA, quae est *delictum, quo quis coniugem iam habens legitimum, cum alio societatem coniugalem, accedente copula sacerdotali et carnali, iniit.* Ex hac definitione liquet, quod criminis bigamiae vere talis non sit reus, 1) qui coniugem legitimum non habens alteri se coniunxit matrimonio; 2) qui coniugem legitimum habens, alteri matrimonium solum promisit, illud vero copula sacerdotali, et carnali nondum consummauit *y)*; 3) qui dolo caret (§. 1539.), licet ob culpam quasi criminis bigamiae reus sit, et extra ordinem puniabigamia quid?

C 5

t) L. 24. h. t. NOV. 117. c. 15. CONST. CAR. art. 150 Maritus, qui vxorem in adulterio deprehensam occidit, non quidem ab omni, attamen a capitali poena liberatur, et extraordinarie punitur, L. 1. §. 5. *ad L. Corn. de sicar.* *u)* L. 20. 21. 22. 23. h. t. *x)* CARPZOV. *pr. crim.* quaest. 66. ibique BOEHMER obs. 4. 5.

niatur, quale fit in iis, qui deserti sunt a priori coniuge, aut ignorant priorem adhuc viuere, aut prius matrimonium inualidum vel rescissum putarunt *y)*.

eius poena. §. 2094. Bigamia non solum adulterium, sed simul quoque falsum, et pessimum, adulterium ad dies vitae continuandi, animum inuoluit. Inde iure Rom. poena bigamiae eadem, quae adulterii est *z)*, et Carolus V. imp. itidem iussit, ne bigamiae poena sit mitior poena adulterii *a)*. Et licet adulterii poena hodie secundum ius commune sit admodum dubia (§.2089.), bigamiae tamen poena semper criminalis esse debet *b)*.

sodomia. §. 2095. Tertium crimen, quod sub L. Iul. continetur, est nefanda venus s. SODOMIA, quae est *delictum, quo contra naturam illiusque ordinem per voluntariam seminis emissionem libido exercetur c)*. Cum enim natura velit, vt libido exerceretur cum persona diuersi sexus, per coniunctionem membrorum ad generationem destinatorum, sequitur, vt omne libidinis exercitium, quod fit cum brutis, aut personis vnius eiusdemque sexus, aut non per coniunctionem membrorum ad generationem destinatorum, sit nefanda libido. Eius poena iure Rom. est gladius *d)*. Iure vero Caro-

y) LEYSER sp. 587. m. 7. sqq. *z)* NOV. 117. c. 11. *a)* CONST. CRIM. art. 121. Inde in Saxonia bigamiae poena est capitalis (§.2089.) CONST. ELECT. P. IV. constit. 20. *b)* Bigamiae poenam esse gladium, plures defendunt, LEYSER sp 587. THOMASIVS *de crimine bigamiae.* ast contra clara verba CONST. CAR. BEIER ad citat. artic. §. 3. sqq. GRIEBNER *de interceff. coniugis in crim. bigamiae.* KRESS *com. ad C. C Car.* art. 121. *c)* LEYSER sp. 589. m. 1. *d)* L. 31. C. *ad L. Iul. de adulteriis.* L. 1. §. 2. D. *de extraord. cognit.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0414
DFG

Carolino sodomia cum bruto vel cum persona vnius sexus commissa poena viuicomburii coercetur *e)*. Praxis sodomiam cum bruto viuicomburio, cum persona vnius sexus gladio punit *f)*. Eam vero, quae non per coniunctionem membrorum ad generationem destinatorum fit, fustigatione et interdum relegatione coercet *g)*. Ob dolum in totum vel in tantum cessantem mitigantur hae poenae.

stuprum eiusque differentia a fornicatione.

§. 2096. Huc quoque pertinet STVPRVM, quod est *coitus soluti cum soluta sibi sanguine vel affinitate haud coniuncta et honeste alias viuente.* Stuprum igitur committitur 1) coitu, sicque consummatur immissione seminis; qua non facta, attentatum solum est. Porro stuprum praeponit 2) personas solutas et 3) sanguine vel affinitate sibi haud coniunctas, sicque ab incestu et adulterio differt, 4) foeminam honeste viuentem, siue virgo, siue vidua sit *h)*. *Coitus cum meretrice*, FORNICATIO dicitur. Meretrix vero est, quae vagam exercet libidinem *i)*.

vtriusque poena.

§. 2097. Fornicationis, praeter infamiam, quae meretrices sequebatur *k)*, nulla erat poena. Apud nos meretrices famosa adficiuntur poena. Fornicator poenam stupri patitur. Stupratorum poena apud Romanos erat in honestioribus, dimidiae bonorum partis publicatio, viliores, corporis coercitione et relegatione puniebantur *l)*. Stuprata arbitra-

e) CONST. CR. CAR. art. 116. Brutum quoque ad memoriam delendam e medio tollitur, CARPZOV quaest. 76. n. 50. sqq. *f)* BOEHMER ad CARPZOV. quaest 76. obs. 5. ENGAV *El. iur. crim.* lib. I. §. 252. *g)* KRESS ad artic. 116. §. 2. et 4. LEYSER sp. 589. m. 11. sqq. *h)* §. 4. I. *de publ. iudic.* *i)* L. 41. et 43. D. *de ritu nuptiar.* *k)* L. 43. §. 4. D. *de ritu nuptiar.* *l)* §. 4. I. *de publ. iudic.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0415
DFG

bitrariam luebat poenam *m*). Hodie ſtupri poena legibus prouincialibus plerumque determinata eſt. His deficientibus, poena carceris, vel temporariae relegationis locum habet. Publicatio bonorum partis hodie ceſſat *n*). Si ſtupro aliae circumſtantiae delictum aggrauantes accedunt, poena ad fuſtigationem et mortem extendi poteſt *o*).

ſtupratae debetur ſatisfactio.

§. 2098. Ob fragilitatem ſexus muliebris foemina a maſculo ad ſtuprum ſeducta praeſumitur. Hinc leges obligant ſtupratorem ad ſatisfactionem ſtupratae praeſtandam *p*). Quae in eo conſiſtit, vt electiue ſtupratam vel ducat, vel ſecundum conditionem et dignitatem ſuam dotet *q*), ac inſuper partui alimenta praeſtet naturalia. Exinde vero, quod haec ſatisfactio ſolum ſeductae foeminae praeſtetur, colligere licet, illam exigere non poſſe eam, quae congreſſui cauſam dedit, ſtupratori ſuo facto electionem ademit, aut mercedem pacto definitam pro coitu accepit *r*).

ſtuprum violentum.

§. 2099. *Stuprum diſſentienti illatum dicitur* VIOLENTVM. Quod in foeminis honeſtis ſolum locum habet (§. 2096.), diſſentiens vero habetur, quae nullo modo conſentit in ſtuprum. Vis corporalis non praeciſe eſt neceſſaria, ſed ſufficit, vt nullo modo conſenſerit femina. Quae ab initio quidem repugnauit, ex poſt vero, licet in ipſo actu, certo modo conſenſit *s*), vt et illa, quae vim,

m) L. 20. C. h.t. *n*) C.C. art. 218. *o*) LEYSER ſp. 581. *p*) LEYSER ſpec. 583. m. 10. 11. *q*) EXOD. cap 23. v. 17. BOEHMER ad CARPZOV *pr. crim.* qu. 68. obſ. 2. PVFENDORF P. I. obſ. 44. *r*) HOEFFT *de virgine ſtuprata a ſtupratore non dotanda.* LEYSER ſp. 581. m. 12. *s*) LEYSER ſp. 8. 9. 10. 11. 12.

vim, si voluisset, repellere potuisset, pro dissentiente haberi nequit. Ad huius delicti consummationem praxis quidem feminis immissionem requirit, ast illa necessaria haud videtur. Quia hoc delictum magis ex lege Iulia de vi publica aestumatur *t)*.

eius poena. §. 2100. Poena stupri violenti consummati est gladius *u)*. Quae ob atrocissimas circumstantias extendi *x)*, ob dolum in totum vel in tantum cessantem, vt et ob incertitudinem corporis delicti, et si de consummatione non satis constat, minui potest *y)*. Per vim stuprata ab omni poena immunis est.

lenocinium. §. 2101. Vindicat quoque Lex Iulia LENOCINIVM, quod est *delictum, quo quis foeminam prostituit z)*. PROSTITVTIO fit, *si foeminae honestae ad illicitam venerem occasio procuratur*. Diuiditur in *proprium*, quod lucri causa fit, et *improprium*, quod sine lucro fit. Sub lucro intelligitur omne commodum. LENO igitur proprie talis est, *qui foeminae honestae ad illicitam venerem propter quoduis commodum dolo procurat occasionem*. Nihil vero interest, foemina sit coniugata, vel non, virgo vel vidua *a)*.

poena lenocinii. §. 2102. Lenocinium, prout foemina prostituta potestati prostituentis subest, vel non, in *simplex* et *qualificatum* diuiditur. Poena lenocinii, praeter infamiam, si qualificatum, eadem, quae adulterii *b)*, si vero simplex,

t) L. 3. §. 4. *ad L. Iul. de vi publ.* L. 29. §. f. h. t. *u)* L. 1. §. 2. *de extraord. cognit.* CONST. CAR. art. 119. CONST. SAX. EL. P. IV. const. 31. *x)* LEYSER sp. 584. m. 18. 19. *y)* CONST. CAR. art. 119. *z)* BOEHMER ad CARPZOV. quaest. 71. obs. 1. *a)* L. 5. *de condict. ob turpem caus.* L. 29. §. 4. h. t. *b)* L. 8. 29. pr. h. t. Nov. 134. c. 10. CONST. CAR. art.

plex, relegatio vel fustigatio est *c)*. Qui inuitas puellas prostituunt gladio puniuntur. Lenones impropie tales arbitraria poena afficiuntur *d)*.

incestus. §. 2103. An sub lege Iulia contineatur crimen incestus, dubium videtur *e)*. Est autem INCESTVS *concubitus eorum, quos ob cognationem seu affinitatem matrimonio iungi lex vetat.* Consummatur hoc crimen inter consanguineos et affines per commixtionem seminis *f)*. Deinde, cum delictum vere tale non sit sine dolo (§. 1530.), criminis incestus vere talis non sunt rei, qui concubuere in statu, quo doli non fuerunt capaces, aut affinitatis seu consanguinitatis vinculum ignorarunt.

eius poena. §. 2104. Poenam incestus Ius Carolinum non definit, sed vnice ad Ius Romanum remittit *g)*. Hoc vero itidem incertum est *h)*. Inde factum est, vt ius Saxonicum *i)* auctoritate CARPZOVII vbique fere in Germania vsu fuerit receptum, sicque incestus inter adscen-

art. 122. adde BOEHMER ad CARPZOV. qu. 71. obs. 2. LEYSER sp. 588. m. 6 In Saxonia capitale crimen est lenocinium qualificatum, CONST. EL. P. IV. const. 29. *c)* CONSTIT. CAR. art. 123. CONST. EL. SAX. 29. P. IV. *d)* CONST. SAX. citata. LEYSER sp. 583. m. 1. 2. 3. *e)* ob L. 4. *de quaestionibus.* ast contrarium docet PAVLLVS lib. II. tit. 19. § 5, tit. 26. §. 15. *f)* CARPZOV. qu. 72. n. 51. *g)* CONST. CAR. art. 117. *h)* Equidem Pandectarum leges inter incestum *iuris Gentium*, qui inter consanguineos et affines, in linea adscendente et descendente, committitur, L. fin. *de ritu nupt.* et ciuilem distinguunt. Illius poena est in honestioribus deportatio cum confiscatione bonorum, in vilioribus vero deportatio praeuia fustigatione, NOV. 12. c. 1. huius tamen poena incerta est. *i)* P. IV. *Const. elect.* 22. et ad illam CARPZOV. *iurispr. for.*

scendentes et descendentes, sanguine tales, gladio, inter collaterales, quibus ius diuinum nuptias prohibet, fustigatione; inter eos vero, quibus lege ciuili matrimonia interdicuntur, relegatione, punitur. Inter affines adscendentes et descendentes fustigationis, inter reliquos vero relegationis vel carceris, poena locum habet *k)*. De concubinatu supra.

LIB. XLVII. TIT. VI.
AD LEGEM IVLIAM DE VI PVBLICA.

vis publica quae? eiusque poena.

§. 2105. VIS PVBLICA est, *quae omnibus ciuibus* vel *membris vniuersitatis periculosa est.* Omnibus vero periculosa est vis, 1) quae infertur personae publicae, veluti legato, aut magistratui, in officio peragendo occupato *l)*, 2) quae fit per abusum auctoritatis publicae, vtpote si magistratus, a quo prouocatum est, necauerit, verberauerit, aut aliud per vim iniustam fecerit *m)*, aut si quis sine permissu principis milites sustinet, carcerem aut vectigalia exercet *n)*, 3) quae fit modo omnibus periculoso, qualis est vis per arma aut coadunatis hominibus, et per seditionem facta *o)*; 4) quae fit violandae legis publicae causa. Inde stuprum violentum, et crimen raptus hac lege coercentur *p)*. Poena vis publicae in regula, et nisi vis peculiare delictum speciali poena notatum constituat, est proscriptio *q)*.

raptus.

§. 2106. Vis publica fit per raptum. Est autem RAPTVS *deductio violenta honestae personae*

k) LEYSER sp. 586. m. 7. *l)* L. 7. et 10. D. h.t. *m)* L. 7. h.t. *n)* L. 5. 10. L. 12. h.t. *o)* L. 3. 5. 11. h.t. *p)* L. 3. §. 4. L. 5. §. 2. h.t. *q)* L. 10. §. 2. h.t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0419
DFG

nae alterius sexus animo explendi libidinem facta. DEDVCTIO est *transportatio personae de loco in locum remotiorem*, id est, talem, *quo abducta persona auxilio suorum destituta est.* VIOLENTA deductio est, *quae fit sine consensu raptae, vel eorum, in quorum potestate illa existit.* Raptus igitur 1) in honestas solum personas, non vero in meretrices, committitur *r)*, 2) fit per transportationem raptae in alium locum, quo auxilio suorum destituta est, 3) fit sine consensu raptae, vel saltim eius, in cuius potestate illa est. Hinc raptus esse potest, licet abductio ex voluntate raptae fuerit peracta, si nempe rapta non sui, sed alieni iuris est, et illi, in quorum potestate rapta existit, v. gr. pater, vel maritus, non consentiant *s)*. Qui sine tutorum vel curatorum consensu personam consentientem abducit, raptus non fit reus *t)*. 4) Abductio fieri debet libidinis explendae causa, et perinde est, siue raptor matrimonialem societatem appetat, siue non. Tandem per se constat, absque dolo non dari verum raptus crimen (§. 1539.).

eius poena. §. 2107. Raptor eiusque socii gladio puniuntur eorumque bona raptae addicuntur *u)*. Si delictum vel non consummatum, vel dolus in tantum desit, aut rapta in libertate constituta raptoris matrimonium petat, ex principiis iuris Canonici *x)*, minime vero iuris Romani, mitigatur poena (§. 188.).

r) L. vn. C. *de raptu.* ibi *bonestarum.* CONST. CAR. art 118. ibi unverläumdte Jungfrau. *s)* L. 2. §. 2. C. C. art. 118. verbis: Ohnangesehen, ob die Ehefrau oder Jungfrau ihren Willen darein giebet. LEYSER. sp. 593. m. 4. *t)* Partim quia pupilli et minores sunt sui iuris, partim quia Carol. patri et marito solum permisit accusationem. BOEHMER ad CARPZOV. qu. 40. obs. 3. *u)* L. vn. C *de raptu.* CONST. CAR. art. 118. *x)* c. fin. X. *de raptoribus.*

§. 2108. Vim publicam facit, qui coadunatis hominibus armisque vim infert (§. 2105.). Hinc violatio pacis publicae ad ſpecies publicae vis referri poteſt. Eſt vero PAX PVBLICA *illa imperii conſtitutio, qua ſub comminatione poenarum omnes imperii Germ. ciues prohibentur coadunatis hominibus armisque ſibi non ſubiectos aggredi.* Poena fractae pacis publicae eſt bannum imperii, et amiſſio omnium bonorum, iurium priuilegiorumque *z)*. Priuati vero, ſi poſt bannum declaratum inueniuntur, gladio puniuntur *a)*.

pax publica eiusque violatio, et violatorum poenae.

§. 2109. Species fractae pacis publicae ſunt diffidationes, Abſagungen, et obſeſſiones viarum, Weglagerungen: DIFFIDATIO eſt *comminatio ſeria vniuerſitati ſeu collegio cuidam a priuato facta de malis per arma incendiumque inferendis b)*. Crimen OBSESSIONIS VIARVM generatim eſt, *quo quis prope viam publicam ſe occultat animo laedendi viatores.* In ſpecie vero eſt *crimen, quo quis coadunatis hominibus viam obſidet publicam, animo, contra membra ciuitatis ſeu vniuerſitatis cuiusdam hoſtiliter agendi.* Poſterius crimen ad ſpecies fractae pacis publicae pertinet *c)*. Prius vero, delictum, cui praecedit, aggrauat *d)*.

diffidatio et obſeſſio viarum.

LIB.

y) Prima pax ſtabilis publica facta eſt ſub Maximil. I. 1495. et continetur in R. I. de anno 1495. §. 1. 13. Quae deinde in comitiis aliquoties, et potiſſimum 1555. emendata, eiusque diſpoſitio ad pacem religioſam eſt extenſa. *z)* Rec. imp. de an. 1495. §. 3. *a)* CONST. CAR. art. 128. *b)* CONST. CRIM. art. 129. *c)* CONST. CRIM. art. 128. *d)* SIMON. *de obſeſſ. itineris.* BOEHMER ad CARPZ. quaeſt. 40. obſ. 5.

LIB. XLVIII. TIT. VII.
AD LEGEM IVLIAM DE VI PRIVATA.

§. 2110. *Vis, quae non ciuibus, sed solum priuato cuidam periculosa est*, dicitur PRIVATA. Huc refertur, si quid ex naufragio direptum *e)*, si quis possessionem alterius absque armis ingreditur, si quis per vim non armatam debitori suo debitum, vel aliam rem extorquere conatus est *f)*. Poena huius criminis iure Rom. erat publicatio tertiae partis bonorum *g)*, hodie vero arbitraria obtinet. Insuper ius, quod per vim agenti competit in re ablata, amittitur (§. 1019.).

LIB. XLVIII. TIT. VIII.
AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIIS ET VENEFICIS.

auctor huius legis, quae homicidas concernit, et quinam proprie sicarii sunt.

§. 2111. Lex Cornelia, a L. Cornelio Sulla dictatore lata *h)*, ad sicarios et veneficos pertinet. SICARII erant, *qui sica homines furtim interimebant i)*. Hic vero intelliguntur *illi, qui hominis necandi causa cum telo ambulant*. Non vero ad hos solum, sed ad omnes homicidas spectat lex Cornelia. Est autem HOMICIDIVM, in genere, *delictum, quo homo homini mortem infert*, et prout *dolo, culpa, casu* factum est, in *dolosum, culposum, casuale* diuiditur.

homicidium casuale.

§. 2112. Pro delictis haberi nequeunt facta inuoluntaria (§. 1534), et quae non sunt contra legem (§. 1530.). Hinc in delictis non est

e) L. 1. §. 12. h. t. L. 9. *ad L. Rhod. de iactu.* *f)* L. 5. 7. 8. D. L. 5. C. h. t. *g)* L. 1. et 8. D. L. 2. C. h. t. *h)* L. 2. §. 32. *de O. I.* *i)* IOSEPH. *antiq. iudaic.* XX. 7.

est homicidium, quod permittente lege fit (§. 1092.), aut nullo modo a nostra pendet voluntate (§. 1534.). Sic homicidium *mere casuale* non est crimen *k)* (§. 279.). Secus, si culpa praecedens casui occasionem praebuerit *l)*. Idem dicendum est de internecione ob defensionem necessariam.

moderamen inculpatae tutelae.

§. 2113. DEFENSIO NECESSARIA dicitur, *in qua seruatur modus, qui vnice propellendo periculo sufficit.* Si igitur periculum vitae, membris, pudicitiae, bonisque imminens, non aliter, quam per internecionem aggressoris, auertere possumus, internecio est defensio necessaria. Iam vero defensio, etiam per vim, omni iure est permissa, modo vis periculo sit proportionata (§. 1668.). Hinc defensio, quae sit cum internecione alterius, si periculum vitae, membrorum, pudicitiae, bonorum, nobis aeque ac aliis imminens, alio modo auerti nequit, legi non contrariatur *m)*; sicque caedes ob defensionem necessariam, seu, vt alii loquuntur, ex moderamine inculpatae tutelae facta, non crimen, sed extra omnem poenam est *n)*, etiamsi praeter intentionem occiderit innocentem *o)*.

qui illud allegare nec queunt.

§. 2114. Vbi periculum vel plane nullum est, vel existens lenioribus remediis, quam per internecionem aggressoris, auerti potest, non est necessaria defensio. Haec igi-

k) L. 1. C. h. t. *l)* Inde pro mere casuali homicidium tunc demum haberi potest, si ab eo factum est, qui in re licita, licito loco, modo et tempore versatus est. Const. Car. art. 146. *m)* L. 3. *de iustit. et iur.* L. 4. pr. *ad L. Aquil.* *n)* *Const. Car.* art. 140. et 150. *o)* *Const. Car.* art. 155.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0423
DFG

igitur ceſſat, 1) vbi nulla eſt offenſio *p*), 2) ſi quis iudicis aliorumque auxilium pro auertendo periculo habere potuit, aut 3) occaſionem diſcedendi arripere noluit, cum tamen ſine periculo vitae, corporis et honoris potuerit *q*). Qui in periculo vere exiſtens, animo ſe defendendi alterum occidit, dum leniora habuerat remedia, non quidem capitali, aſt alia extraordinaria poena adficitur *r*). Caeterum is, qui defenſionem pro ſe allegat neceſſariam, illam vel per praeſumtiones vel aliunde debet probare *s*).

poena homicidii.

§. 2115. DOLOSVM homicidium dicitur, *quod ex propoſito, ſeu animo occidendi eſt factum.* Animus occidendi, prout voluntas occiſoris vel pure, vel ſolum euentualiter in caedem fuit directa, in *directum*, vel *indirectum t*) diuiditur. Poenae vero intuitu, homicidium aut *praedeliberato* aut *praecipitante* animo eſt factum. Hic gladii, ibi rotae poena *u*) locum habet. Eadem gladii poena in homicidio, quod indirecto animo commiſſum eſt, locum inuenit.

§. 2116.

p) Sufficit tamen, quod periculum vere immineat. De hoc ſi conſtat, non neceſſe eſt, vt quis primum ictum expectet, L. 2. C. h.t. *Conſtit. Carol.* art. 140. *q*) *Conſt. Carol.* art. 140. verbis: und der benöthigt, kann ſogleich ohne Fährlichkeit und Verletzung ſeines Leibes, Lebens, Ehre und guten Leimuths nicht entweichen. *r*) LEYSER ſp. 600. m. 9. 29. ſqq. *s*) De hac probatione vide *Conſtit. Carol.* art. 141. 142. 143. adde LEYSER ſp. 650. m. 35. ſqq. *t*) Animus occidendi indirectus adeſt in eo, qui ſcit, facti ſui conſectarium exiſtere poſſe caedem. Sic qui vult vulnerationem, indirecte quoque occidendi animum habet. NETTELBLADT *de homicidio ex intentione indirecta commiſſo.* *u*) *Conſt. Carol.* art. 137. de praeſumtione animi occidendi L. 1. §. 3. h.t. LEYSER ſp. 604. m. 10.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0424
DFG

§. 2116. Species homicidii praedelibe- latrocinium, assassinum, homicidium proditorium, et poena.
rato animo facti sunt: 1) LATROCINIVM, seu *homicidium animo lucrandi factum.* Si igitur caedes animo lucrandi vere secuta est, latrocinium est consummatum, licet vel maxime latro nil plane lucri perceperit. 2) ASSASSINIVM *seu homicidium ex alterius voluntate ob promissionem mercedis peractum.* Promissio igitur mercedis et ob hanc secutum homicidium, constituit assassinium, licet merces non sit soluta. 3) HOMICIDIVM PRODITORIVM, quod est *homcidium sub amicitiae simulatae tegmine, praemeditato animo factum.* Hae singulae homicidii species non solum praemeditatum occidendi animum, sed quoque insignem malitiae gradum produnt, ideoque eorum poena est rota. Quae tamen augetur, si homicidium in personam, cui reuerentia, aut fides, debetur, vel saepius, aut magna saeuitia commissum est, dum hoc casu homicida ante executionem poenae forcipibus laceratur, aut trahae impositus ad locum executionis defertur *x)*. Assassinator, qui promissione mercedis alterum ad caedem induxit, merito rotae poenam subire deberet, ast praxis plerumque gladium substituit *y)*.

§. 2117. Huc quoque referri potest 4) veneficium.
VENEFICIVM, quod est, *crimen, quo per propinationem veneni, animo necandi factam, vitae seu sanitati hominis nocetur.* Fit hoc delictum per propinationem veneni, sub quo intelliguntur omnis generis arsenica et mineralia, *) quae corpori hominis illata mortem accelerare queunt. Deinde requiritur animus ne-

x) CONST. CAR. art. 137. *y)* Quia homicida dolosus est, L. 15. h. t. adde BOEHMER obs. 2. ad CARPZOV. quaest. 19. *) vegetabilia etc.

candi, minime vero necesse est, vt mors actu sit secuta, sed sufficit, sanitati esse nocitum z). Poena huius criminis iure Romano est gladius a), iure vero Carolino in masculis rotae, in foeminis culei poena obtinet b). Quae ex causis adductis exacerbari potest. Venditio veneni, quatenus animo necandi facta et mors secuta est, capitali poena, et quae absque hoc animo imprudenter facta est, arbitraria poena coercetur c). Qui pascua veneno inficiunt, si exinde reuera damnum secutum, iure Saxon. igne puniuntur d).

magia. §. 2118. In alio significatu veneficium MAGIAE CRIMEN continet, *quo quis malis et arcanis artibus ad damnum aliis inferendum vtitur.* Huiusmodi arcanae artes exercentur vel ope societatis cum diabolo, vel naturali quadam cognitione. Ibi diabolica, hic naturalis magia est. Diabolica, si ex vero pacto cum diabolo damnum datum, viuicomburii, si vero ex imaginario pacto diabolico malis artibus nocitum est, gladii, et si nullum damnum datum, arbitraria poena locum habet e). Haec quoque obtinet, si malis naturae arcanis damnum factum est f). Magia diuinatrix, quae in vaticiniis dicendis occupata, arbitrarie punitur g).

§. 2119.

z) Clara sunt verba C. CAR art. 130. durch Gift am Leib oder Leben beschädiget. adde BOEHMER obs. 5. ad CARPZOV. qu. 21. LEYSER sp. 609. m. 6. a) L. 1. §. 1. et L. 3. §. 5. h. t. b) CONST. CAR. art. 130. c) LEYSER sp. 609. m. 11. BOEHMER quaest. 1. ad CARPZOV. quaest. 20. adde CONST. CAR. art. 37. d) CONST. SAX P. IV. Const. 8. e) CONST. CAR. art. 109. iuris Rom. poenas disce §. 5. I. *de publ. iudic.* L. 3. 5. 6. C. *de maleſic. et mathem.* f) CARPZOV. quaest. 50. g) LEYSER sp. 608. m. 11. sqq.

culposi homic. poena,

§. 2119. Quamuis vero dolosum homicidium capite puniatur, minime tamen pro doloso homicidio haberi potest illud, quod culpa lata est commissum (§. 1087.), sed homicidium culposum semper extra ordinem punitur, et poena pro gradu culpae modo maior, modo minor est *h)*.

vt homicidii poena sit capitalis, requiritur. vt caedes ex vulnere sit secuta, nec dolus pro facto punitur.

§. 2120. Sicuti vero solo animo factum, quod delictum constituit, plene non est absolutum, delictum haud consummatur (§. 1531. 1538.), ita quoque crimen homicidii non est consummatum, si caedes ex facto non est secuta. Equidem in Lege Cornelia dolus pro facto accipitur, et voluntas spectatur, non exitus, ideoque, qui animo occidendi vulnerauit, pro occisore punitur *i)*: Ratio tamen apud nos diuersa aliud suadet, cum apud nos homicidii dolosi poena sit capitalis, legis Corneliae autem poena non semper capitalis, sed in insulam deportatio et bonorum ademtio erat *k)*. Hinc apud nos, vt poena capitalis locum habeat, de lethalitate vulneris ex iudicio medicorum, iuramento adstrictorum, ad acta constare debet *l)*. Nec tamen absoluta quaeritur lethalitas, sed sufficit, si animus necandi adfuit, et positis iis circumstantiis, quae intuitu vulnerati existunt, mors ex vulnere non potuit non sequi *n)*.

homicid. in turba.

§. 2121. Is, ex cuius voluntate homicidium peractum, vt et is, qui suo facto effecit animo occidendi, vt homicidium perfici potuerit, tanquam socius criminis eadem, qua homicida, poena capitali adficitur (§. 1535.).

b) *Const. Car.* art. 134. 136. LEYSER sp. 612. *i)* L. 7. et 14 D. L. 7. C. h. t. *k)* L. 3. §. 5. et L. 26. h. t. *l)* *Const. Car.* art. 147. 149. *m)* LEYSER sp. 597. m. 20. et sp. 598. tot.

Si vero absque praeuio consilio in turba homo occisus sit, respiciendum est, an constet, quisnam vulnus lethale inflixerit, an non. Priori casu, is solum, qui lethaliter vulnerauit, morte punitur, et si plures vulnera lethalia inflixerint, is, qui primum fecit, et si de hoc non constet, omnes lethaliter vulnerantes mortis poenam subire tenentur. Si non liquet, a quo sint vulnera lethalia, omnes extra ordinem puniuntur *n*).

extensio legis Cornel.

§. 2122. Insuper lex Cornelia ad eum quoque pertinet, qui hominem castrauit *o*), aut thlibias fecit, aut thlasias *p*), imo et qui poculum amatorium praebuit, vnde mors secuta *q*). Ipse quoque Carolus sterilitatem dolo procuratam poena capitali puniri iubet *r*). Hodie tamen in casibus hic propositis arbitraria poena locum habet *s*).

incendii crimen.

§. 2123. Tandem lex Cornelia incendiarios quoque tangit. INCENDIVM autem est *factum, quo ignis excitatur periculosus.* Excitat ignem periculosum, qui efficit, vt incensis aedibus periculum vitae hominis seu bonis alienis immineret. Qui igitur aedes incendit, sicque efficit, vt vitae hominis vel alienis bonis periculum immineret, incendiarius est, et, prout dolosum vel culposum est incendium, punitur. In eum, qui dolo incendium excitat, ignis poena est statuta *t*), modo crimen sit consummatum, id est, aedes reuera arserint, et periculum vitae seu bonis alienis immi-

n) *Const. Car.* art. 148. *o*) L. 3. §. 4. h. t. *p*) L. 5. h. t. L. 128. *de V. S.* *q*) L. 38. §. 5. *de poenis.* *r*) *Const. Car.* art. 133. Respicere videtur hic textus c. 5. X. *de homicidio.* *s*) KRESS et BEYER ad C. C. C. art. 133. ENGAV *elem. iur. crim.* lib. I. §. 403. *t*) L. 9. *de incendio ruin. naufr.* C. CAR. art. 125.

imminuerit. Culposum incendium pro gradu culpae fustigatione, relegatione, carcere punitur, et damnum resarciri debet *u)*.

LIB. XLVIII. TIT. IX.

DE LEGE POMPEIA DE PARRICIDIIS.

parricidium vel proprium vel improprium.

§. 2124. Parricidium triplicis est significatus. Denotat enim 1) homicidium *x)*, 2) caedem personarum sibi consanguinitate vel affinitate coniunctarum *y)*, 3) caedem eorum, qui in linea adscendente vel descendente occisori sunt coniuncti *z)*. Hic *proprium*, ibi *improprium* est parricidium.

poena parricidii.

§. 2125. Poena parricidii proprie talis, quod inter adscendentes et descendentes locum habet, si dolo committitur, iure Rom. est culeus, cui simul canis, gallus gallinaceus, vipera et simia immittitur. In parricidium improprium legis Corneliae de sicariis poena est statuta *a)*. Ius Carolinum culei poenam in crimine infanticidii a matre commissi retinuit, ast in reliquis parricidiis poena homicidii ordinaria, quae vel rota, vel gladius est (§. 2105.) *b)*, augetur modo, quem diximus (§. 2106.) *c)*. Imo ad coniuges extenditur parricidii poena *d)*.

corpus del. in parricidio, speciatim in infanticidio.

§. 2126. Sicuti vero in quolibet homicidio, ita quoque in parricidio, ad effectum ordinariae poenae de caede ex facto secuta constare debet. Inde inspectio ocularis per

u) BOEHMER ad CARPZOV. quaest. 39. obs. 3. *x)* L. 2. §. 23. *de orig. iuris. y)* L. 1. pr. L. 3. 4. h. t. *z)* L. 6. I. *de publ. iud.* L. 9. h. t. L. vn. C. *de his, qui par. et liber. a)* L. 8. D. h. t. §. 6. I. *de publ. iudic.* L. vn. C. *de his, qui parentes et liberos. b)* *Const. Car.* art. 131. *c)* *Const. Car.* art. 137. *d)* *Const. Car.* art. 137. *Const. El. Saxon.* P. VII. const. 3.

medicos inſtituenda eſt (§. 2110.), praeſertim in crimine infanticidii, vbi circa vitalitatem et caedem curate omnia ſunt examinanda *e*), nec ſimpliciter matri, quae vterum celauit, et clam peperit, credendum, ſi vel partum viuum ex vtero haud prodiiſſe, aut ſtatim poſt natiuitatem ex accidenti periiſſe, aſſerit *f*).

expoſitio infantis.

§. 2127. Huc quoque ſpectat infantum EXPOSITIO, quae eſt *derelictio infantis loco vel tempore periculoſo*. Exponitur autem infans vel animo, vt pereat, vel non. Priori caſu, ſi mors ſecuta, in matre culei, in perſona extranea, gladii, ſi mors non ſecuta, fuſtigationis poena locum habet. Poſteriori caſu, ſi perierit infans, fuſtigatio, ſi non perierit, relegatio, vel perpetua vel temporaria, locum habet *g*).

LIB. XLVIII. TIT. X.

DE LEGE CORNELIA DE FALSIS ET DE SCTO LIBONIANO.

falſum deſ. eiusque poena et differentia a ſtellionatu.

§. 2128. FALSVM, eſt *factum, quo veritas dolo immutatur, vel ſupprimitur in detrimentum tertii*. Iam vero modi, quibus veritas vel immutatur vel ſupprimitur in tertii detrimentum, ſunt multiplicis generis. Quidam ex his a lege falſi poena nominatim ſunt notati, alii vero non. Illi falſa proprie talia ſunt *h*), hi

e) CONST. CAR. art. 35 36. de pulmonum experimento ENGAV *Elem. iur. crim.* lib. II. § 38. LEYSER ſp. 611. m. 14. ſqq. *f*) CONST. CAR. art. 131. *g*) CONST. CAR. art. 132. LEYSER ſp. 613. *h*) Lex Cornelia, quae potiſſimum ad falſa teſtamentaria et teſtimonialia pertinebat, ideoque *teſtamentaria* dicitur, L. 40. h. t. §. 7. I. *de publ. iudic.*

in

hi vero ſtellionatus *i)*, nomine veniunt. Falſi proprie talis poena per legem Corneliam, et, quae huic legi accedebant, reſcripta et edicta, erat determinata, ac de illa in iudicio publico agebatur; aſt ſtellionatus poena extraordinaria erat, eiusque cognitio extra ordinem fiebat. Hodie vtriusque et falſi et ſtellionatus poena eſt arbitraria, et differentia inter publica et extraordinaria crimina nullius eſt momenti, ideoque inter ſtellionatum et falſum nulla fere ſupereſt differentia *k)*.

ſpecies falſariorum.

§. 2129. Ad falſarios quoque referendi ſunt, 1) qui falſum teſtimonium perhibuerunt, pecuniamue eo nomine acceperunt, pactiue ſunt *l)*, 2) qui falſis nominibus, diplomatibus, inſignibus vſi ſunt *m)*, 3) qui menſuras vel pondera corruperunt, vel falſificarunt *n)*, 4) qui falſum partum ſuppoſuerunt *o)*. Horum poena arbitraria eſt, et pro diuerſitate gradus doli et damni dati quantita-

in eum, qui teſtamentum, vel aliud inſtrumentum falſum ſcripſerit, ſignauerit, recitauerit, ſubiecerit, vel ſignum adulterinum fecerit, ſculpſerit, expreſſerit ſciens dolo malo, ſi liber homo fuerit, deportationis, ſi ſeruus, vltimi ſupplicii poenam ſtatuit. §. 7. I. *de publ. iudic.* L. 2. et 30. h. t. Quod deinde SCto Liboniano extenſum eſt ad eos, qui ſibi ipſis in teſtamento aliquid adſcribunt (§. 711.). L. 1. §. 7. L. 6. et 14. 15. h. t. *i)* Sic ad ſtellionatum referunt leges, 1) ſi quis rem alienam pignori dedit, L. vlt. *de ſtell.* 2) ſi quis aes pro auro oppignorauerit, L. 16. §. 1. L. 36. *de pignor. act.* 3) ſi quis merces ſuppoſuerit, vel obligatas auerterit, vel corruperit, L. 3. §. 1. et f. *de ſtellion.* *k)* BOEHMER ad CARPZOV. qu. 93. obſ. 2. *l)* L. 1. pr. ſqq. L. 27. §. 1. 2. h. t. *m)* L. 13. pr. L. 27. §. 3. h. t. L. vn. C. *de nom. mutat.* *n)* L. 23. §. 1. h. t. *o)* L. 19. §. 1. L. 30. §. 1. L. 10. C. h. t. hodie ſuppoſitio partus poena fuſtigationis coercetur, CARPZOV. qu. 93. n. 27. ſqq. LYNCKER *de partu ſuppoſito*,

titate, mox carcer, mox relegatio, fuſtigatio, imo interdum capitalis poena, locum habere poteſt *p*). De periurio ſupra (§. 1924.).

crimen falſae monetae, et qui eius ſint rei.

§. 2130. Ad falſi ſpecies etiam crimen falſae monetae pertinet, quod ſimul in crimen laeſae maieſtatis incidere poteſt. Cum enim ius monetandi regalium numero ſit, is, qui absque imperantis conceſſione eo vtitur, in crimen laeſae maieſt. incidit. Falſum vero circa monetam committitur ab iis, qui ex reproba materia aut liga ſuperhabita, nummos cudunt, vel cuſos tingunt, radunt, alioue modo corrumpunt aut reflant *q*).

poena.

§. 2131. Poena criminis falſae monetae eſt diuerſa. Is enim, qui falſam monetam cudit, aut iure monetandi gaudet, aut non. Priori caſu poena eſt priuatio iuris monetandi *r*). Poſteriori caſu moneta aut ex proba materia et iuſto pondere eſt cuſa, aut non. Ibi poena arbitraria locum habet *s*). Hic vero is, qui iure monetandi deſtitutus, ex vitioſa materia vel falſo pondere monetam cuſit, et doloſe expendit, igne punitur *t*).

Qui

p) CONST. CAR. art. 112. 113. Falſi poena licet raro, interdum tamen capitalis eſſe poteſt, e. gr. ſi quis falſo teſtimonio fecit, vt innocens morte fuerit punitus, CONST. CAR. art. 107. Alia exempla vide apud CARPZOV. qu. 93. n. 95. ſqq. BOEHMER ad h. l. obſ. 7. LEYSER ſp. 617. m. 6. *q*) ENGAV diſp. *de delictis monetariis*. *r*) *Conſt. Car.* art 111. fin. *s*) *Conſtit. Carol.* l. c. verbis: ohne habende Freyheit münzte, ſoll nach Rath an Leib oder Gut, nach Geſtalt der Sachen, geſtraft werden. *t*) Poena ignis, L. 2. C. *de falſa moneta* ſtatuta, etiam in Carolina approbata eſt, ita, vt non ſolum in eo, qui falſos nummos cudit, ſed quoque in eo, qui illos expendit, locum habeat. Aſt in praxi ad ignis poenam vtrumque, vt nempe cuſi et expenſi ſint falſi nummi,

Qui talem monetam cudit quidem, aſt non expendit, gladio punitur *u*). Qui falſam monetam, a ſe non cuſam, doloſe expendit, ſi in ſocietate eſt cum falſis monetariis, poena capitali, et extra caſum ſocietatis fuſtigationis poena coercetur *x*). Qui probos nummos tingunt, radunt, reflant, alioue modo corrumpunt, arbitrarie puniuntur *y*).

LIB. XLVIII. TIT. XI.
DE LEGE IVLIA REPETVNDARVM.

§. 2132. Hac lege tenentur illi, qui cum in magiſtratu vel officio publico eſſent, pecuniam acceperunt, quo magis, vel minus, quid ex officio ſuo facerent *z*). Poena huius legis praeter pecuniae redditionem, eſt extraordinaria, plerumque vel exilii, vel durior, et quandoque capitalis *a*), ſi v. c. ad hominem necandum pecuniam acceperit.

LIB. XLVIII. TIT. XII.
DE LEGE IVLIA DE ANNONA.

§. 2133. ANNONAE nomine *res omnes, quae ad victum neceſſarium pertinent*, complectimur. Huiusmodi annona vel publica, vel priuata eſt. Fraudes circa publicam commiſſas annonam vindicat lex Iulia, qua potiſſimum

mi, requiritur, KRESS *ad art.* III. §. 2. CARPZOV. quaeſt. 42. n. 26. ſqq. Imo in imperialibus ſolum nummis poenam ignis admittunt. *u*) CARPZOV. quaeſt. 42. n. 28. KRESS l. c. *x*) LEYSER ſp. 618. m. 3. ſqq. BOEHMER ad CARPZOV. qu. 42. obſ. 2. *y*) *Conſt Car.* cit. art. *Rec imp.* de ao. 1559. §. 161 ſqq. *z*) L. 3. et 4. h. t. dicitur hoc crimen *Barattaria*, *repetundarum*. MENCKEN *de crim. baratt.* *a*) L. 7. §. vlt. h. t. LEYSER ſp. 619.

mum cauetur, ne quid fiat contra annonam, eiusque taxam ſtatutam, et poena XX. aureorum ſtatuitur *b)*. Priuati vero, qui auaritia inducti, malis artibus caritatem annonae inferunt, dardanarii vocantur. Quales ſunt, qui merces ad victum neceſſarias coemtas ſupprimunt, aut, qui ipſi huiusmodi rebus abundat, aliis iuſto pretio vendere nolunt, aut, vt caritatem efficerent, vbicunque coemunt, et carius, vel adulterinis ſtateris vendunt. Poena dardanariatus eſt, vt negotiatio interdicatur, ſi ſint mercatores, inſuper relegatio et in vilioribus, damnatio ad opus publicum locum habet *c)*. Hodie poena in publicatione annonae ſuppreſſae et poena arbitraria conſiſtit *d)*.

LIB. XLVIII. TIT. XIII.

AD LEGEM IVLIAM PECVLATVS, ET DE SACRILEGIIS ET RESIDVIS.

peculatus

§. 2134. PECVLATVS eſt *furtum pecuniae, ſeu rei publicae, aut ſacrae non ab eo factum, cuius periculo fuit e)*. Diuiditur in peculatum in ſpecie talem et ſacrilegium. Peculatus in ſpecie dicti poena ex Lege Iulia fuit aquae et ignis interdictio *f)*, in quam ſucceſſit deportatio *g)*; et, ſi ipſe magiſtratus tempore adminiſtrationis pecuniam ſubtraxerit, iure nouo poena eſt capitalis *h)*. Hodie peculatus poena eadem eſt, quae furti *i)*.

§. 2135.

b) L. 2. et 3. h. t. *c)* L. 6. *de extraord. cognit. d)* *Ord. Polit.* de ao. 1548. tit. 18. §. 2. 5. et de ao. 1577. tit. 18. §. 1. BRVNNEM. *de dardanariis.* STRVVE *de annona* *e)* L. 9. § 2. L. 4 pr. h. t. § 9. I. *de publ. iud.* *f)* L. 3. h. t. §. 9 Inſt. cit. *g)* L. vn. C. *de crim. pecul.* §. 9. I. cit. *h)* L. 7. h. t. *i)* THEODOR *crim.* cap. IX. th. 3. fin.

§. 2135. SACRILEGIVM est *furtum rei sacrae vel in loco sacro perpetratum k).* Valet igitur de sacrilegio, quod de furto in genere valet, et solum rei vel loci qualitas furtum a sacrilegio distinguit. Iure Rom. poena sacrilegii erat extraordinaria, et plerumque capitalis *l).* sacrilegium

§. 2136. Constitutio Carolina *m)* quoad poenam sacrilegii distinguit inter furtum capsulae, cui panis consecratus inest, et aliud sacrilegium. Illud igne punitur. In reliquis sacrilegii speciebus rursus distinguitur, inter furtum qualificatum et simplex. Qualificatum, capitale est. Simplici vero sacrilegio, aut vasa aurea, et argentea, calices et patenae auferuntur, aut non. Ibi itidem capitalis, hic vero eadem, quae in furto, poena locum habet, ita tamen, vt resarcitio damni non prosit furi ad poenae mitigationem. Protestantes vero sacrilegos cuiuscunque generis non aliter, ac fures puniunt, ita tamen, vt in admittendis causis, quae alias poenam mitigant, sint difficiliores *n).* eius poena.

§. 2137. *Crimen de* RESIDVIS committitur ab iis, *qui pecuniam publicam in suos vsus conuertunt, et apud quos aliquid ex pecunia publica resedit o).* Hoc crimine damnatus amplius tertia parte, quam debet, punitur *p).* Apud nos plerumque specialibus constitutionibus durior poena statuta est. crim. de residuis.

LIB.

k) BOEHMER *de variis sacrilegii speciebus ex mente iuris canon. l)* L. 4. §. 2. L. 6. pr. L. 9. pr h. t. *m) Const. Car.* art. 172. 173. 174. *n)* BOEHMER ad CARPZOV. qu. 89. obs. 1. KRESS ad *Const. Car.* artic. 174. BERGER *El. iurispr. crim.* p. 63. sqq. LEYSER sp. 620. m. 1. 2. 3. sqq. *o)* L. 2. L. 4. §. 3. 4. h. t. *p)* L. 4. §. 5. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0435
DFG

LIB. XLVIII. TIT. XIV.
DE LEGE IVLIA DE AMBITV.

§. 2138. CRIMEN AMBITVS est, *quo quis illicitis artibus dignitates et honores sibi adquirit.* Huius criminis poena vi legis ab Augusto latae *q)* est deportatio, quae postea mutata est in poenam relegationis et amissionis dignitatum et bonorum *r)*. *Ambitus circa munus ecclesiasticum commissus*, SIMONIA vocatur. Huius poena est remotio ab officio. Qui participant de simonia, amissione iuris patronatus, aut si illo non gaudent, remotione ab officio puniuntur *s)*.

LIB. XLVIII. TIT. XV.
DE LEGE FABIA DE PLAGIARIIS.

§. 2139. PLAGIVM est *delictum, quo quis dolo hominem inuitum animo sibi habendi detinet t)*, et perinde est, siue liber, siue seruus sit. Lex Fabia huius criminis poenam pecuniariam esse voluit. Postea vero arbitraria poena, et plerumque in metalla damnatio est statuta *u)*. Si vero liber homo venditur, et emtor et venditor, qui scienter emit vendiditque, poena capitali fit obnoxius *x)*.

LIB. XLVIII. TIT. XVI.
AD SCTVM TVRPILLIANVM ET DE ABOLITIONIBVS CRIMINVM.

calumniatorum poena.

§. 2140. Calumniatorum temeritas se exserit per calumniam, praeuaricationem, et tergi-

q) SVETON. *Aug.* cap. 34. *r)* L. vn. C. h. t. Nov. VIII. c. 1. 7. 8. *s)* HAHN *de ambitu eccles. s. simonia.* FERTSCH *de crim. simoniae.* *t)* L. 6. §. 2. h. t. *u)* L. 7. h. t. *x)* L. 1. h. t. §. 10. I. *de publ. iud.* c. 9. X. *de furtis.* RECHENBERG *ad L. Fab. de plagiariis.*

tergiuersationem *y)*. De praeuaricatione iam supra. In calumniam vero, qua innocenti dolo malo falsa crimina intenduntur *z)*, poena talionis, et hodie arbitraria, est statuta *a)*.

tergiuersatio.

§. 2141. TERGIVERSATIO fit, *quando quis ad accusandum habilis, non impetrata venia aut abolitione, ab accusatione vere publica penitus desistit b)*. Tergiversantibus, quia accusator causam reipublicae agit, ideoque pro arbitrio ab accusatione desistere nequit, SCtum Turpillianum poenam V. librarum auri irrogat, eosque in posterum ad accusandum inhabiles declarat *c)*.

abolitioRomana.

§. 2192. Cessat SCti Turpilliani poena abolitione (§. 2141.). Haec alia ratione apud Romanos, alia apud nos obtinet. Romanorum ABOLITIO est *decretum imperantis seu magistratus, quo accusatus ex reorum numero eximitur, et accusatori ab accusationis prosecutione desistere permittitur d)*. Accusator enim pro arbitrio ab accusatione desistere non poterat (§. 2141.), ideoque, vt impune desistere queat, permissione imperantis, vel magistratus competentis, seu abolitione, opus erat. Haec dabatur, vel ad instantiam accusatoris, vel non. Ad instantiam actoris datur abolitio, vel ex necessaria causa, v. gr. impedito accusatore, aut reo mortuo, vel non. Illo casu abolitio dicitur legitima *e)*. Hoc casu, illa intra XXX. dies, postquam reus custodiae

y) L. 1. pr. h. t. *z)* L. 1. §. 1. h. t. olim calumniatoribus vi legis Remmiae littera K. fronti inurebatur L. 1. §. 2. h. t. BRENKMANN *Lex Remmia* T. III. *thes. Orton. a)* L. 17. C. *de poen.* L. vlt. C. *de accus.* L. vlt. C. *de calumn.* L. 3. h. t. *b)* L. 1. §. 1. h. t. *c)* L. 3. §. vlt. *de praeuar.* L. 2. D. et L. 2. C. h. t. *d)* L. 12. h. t. *e)* L. 10. pr. L. 15. §. 3. h. t.

diae traditus fuerat, petenda erat. Elapso hoc tempore, dari non poterat inuito reo *f)*. Interdum quoque vltro ab imperantis voluntate dabatur *publica* seu *generalis* abolitio certorum criminum *g)*.

abolitio hodierna.

§. 2143. Hodie ABOLITIO est *constitutio specialis, quo reus liberatur a persecutione criminali instituta, vel instituenda.* Ex notione constitutionis sequitur, vt abolitiones solus imperans, non magistratus subalternus, concedere queat (§. 1706.) gratis ac interueniente pretio, in quibuslibet criminibus. Effectus vero abolitionis est, vt processus criminalis tollatur, ideoque nec inquisitio, nec poena locum habeat. Stricte tamen intelligenda est abolitio, ideoque nec ad delicta, quorum mentionem non facit, trahi, nec tertio ius quaesitum auferre potest *h)*.

LIB. XLVIII. TIT. XVII.

DE REQVIRENDIS VEL ABSENTIBVS DAMNANDIS.

processus crim. contra absentem.

§. 2144. Absentem delinquentem iudex conquirere, et, si eum deprehendere nequit, edictaliter citare potest (§. 1724.) *i)*. Ad hanc citationem, aut reus se sistit, aut non. Ibi processu vel accusatorio vel inquisitorio contra reum proceditur. Hic vero, si delicta sunt leuiora, in quae non est poena relegatione grauior statuta, reus in contumaciam tanquam confessus et conuictus condemnatur. Si vero poena relegatione grauior

f) L. 18. D. L. 3. C. h. t. *g)* L. 8. 9. 12. D. h. t. tit. C. *de gener. abolit. h)* ENGAV *de abolitione.* WILDVOGEL *de abolitionibus, et iure tertii circa illas.* GERHARD *de abol. crim. i)* L. 5. §. 1. sqq. h. t.

uior sancita est, reus condemnari nequit *k)*. Bene vero eius bona interim annotantur et obsignantur, ac, quae mora deteriora futura sunt, venduntur *l)*. Si reus intra annum, ex quo annotatio, vel edicto vel literis ad magistratus factis, publice innotuit, se purgat, vel satisdat, bona annotata et pretium distractorum recipit *m)*. Post annum, bona ob contumaciam in fiscum, salua poena, rediguntur, nec restituuntur, licet postea reus se defendere paratus sit *n)*. Contra poenam vero defensio nullo tempore reo praecluditur *o)*.

§. 2145. Apud nos eadem obtinent principia. In eo tamen recedimus a iure Romano quod bona annotata post annum fisco non simpliciter *p)*, sed tunc demum illi cedant, si instituto processu bannitorio, qui tamen non vbique obtinet, reus proscriptus, eiusque patrimonium fisco addictum est *q)*. vsus hodiernus.

LIB. XLVIII. TIT. XVIII.
DE QVAESTIONIBVS.

§. 2146. QVAESTIO seu TORTVRA est *actus, quo illi, qui de delicto atrociore commisso sufficientibus indiciis grauatus est, cruciatus inferuntur, eo fine, vt per illos ad veritatis confessionem cogatur.* Fit igitur tortura 1) per cruciatuum illationem, 2) locum habet in delictis atrocioribus, 3) sufficientia indicia contra torquendum existere debent, 4) finis torturae est, vt veritatis confessio obtineatur *r)*. tortura defin.

k) L. 5. pr. *de poenis*. *l)* L. 5. pr. et §. 1. 2. h. t. *m)* L. 1. §. 3. D. L. 1. C. h. t. *n)* L. 2. C. h. t. modo fiscus intra XX. annos bona occupauerit. Post lapsum XX. annorum fisco obstat praescriptio. L. 2. §. 1. L. 3. h. t. *o)* L. 4. §. 2. h. t. *p)* CONST. CAR. art. 106. *q)* Peinlicher Sächs. Inquisitions- und Rechts-Proceß p. 247. *r)* L. 1. §. 1. h. t.

gradus torturae.

§. 2147. Cruciatus, quibus peragitur tortura (§. 2146.), infertur per instrumenta. Qualia apud nos recepta sunt 1) die Daumen-Stöcke, 2) die Schnure, 3) spanische Stiefeln, 4) die Leiter, et in quibusdam prouinciis 5) das Mecklenburgische *s)* und 6) das Bambergische Instrument *t)*. Quinam ex hisce cruciatibus applicari debeant, iudex ex grauitate delictorum, et indiciorum, vt et personae torquendae qualitate determinat.

applicari nequit, si per illam veritas haberi nequit, et corpori nocetur.

§. 2184. Quia finis torturae vnice in eo est, vt veritas eruatur (§. 1246.), sequitur, vt 1) illa locum non habeat, si reus de crimine iam plene conuictus *u)*, vel legitime confessus est, vel facile conuinci potest. 2) Torqueri nequeant illi, de quibus constat, quod veritas ab iis expectari nequeat, 3) ita adplicanda sint instrumenta, ne noceant vitae seu sanitati torquendi *x)*, aut vtero *y)*.

graue delictum et corpus delicti certum.

§. 2149. Tortura ob delicta atrociora solum applicatur (§. 2146.). Hinc ob leuiora nemo torquetur, sed ad minimum tale requiritur delictum, quod fustigatione coerceri potest *z)*. Necesse quoque est, vt de corpore delicti satis constet *a)*, et reus singulari priuilegio a tortura non sit immunis *b)*.

s) De his vberiorem expositionem vide apud HEIL *iudex et defens.* cap. V. p. 256. sq. ESTOR von Abfassung der Urtel. p. 1239. GRVPEN *de applicatione tormentorum.* *t)* de hoc vide MECKBACH Erl. der peinl. Hals-Ger. Ordn. in appendice. *u)* Equidem non desunt, qui praeter conuictionem etiam confessionem ad condemnationem rei desiderant, ast iis obstat CONST. CAR. art. 9. 22. 67. 69. *x)* Hinc torqueri non debet illa pars corporis, quae non est sana, C. CAR. art. 59. L. 7. h. t. *y)* L. 3. *de poenis.* *z)* CONST. CAR. art. 8. CARPZOV. qu. 119. n. 11. *a)* L. 1. §. 24. *ad SCt. Silan.* CONST. CAR. art. 6. *b)* Tale priuilegium habent episcopi, presby-

§. 2150. Vt tortura locum habeat, sufficientia adesse debent indicia (§. 2146.). Sunt autem INDICIA *circumstantiae, a quarum existentia in subiecto quodam argumentari licet, ab eo delictum esse commissum.* Et quidem argumentum ex circumstantiis deductum, vel *plenam efficit certitudinem*, vel *solum verisimilitudinem.* Ibi *violentia*, hic *verisimilia* sunt indicia. Haec rursus sunt vel *proxima*, vel *remota.* PROXIMA sunt, *vbi circumstantiae adsunt, quae in subiecto absque concursu ad delictum existere non possent c).* REMOTA vocantur, *si ex circumstantiis existentibus ad concursum delicti certo argumentari non licet.* Remota indicia rursus sunt vel SIMPLICIA, *quae per se nil efficiunt*, ast, *suspicionem ex aliis indiciis ortam augent d)*, QVALIFICATA sunt, *quae per suspicionem delicti commissi excitari queunt e).* vt et sufficientia indicia praeponit, quorum definitio et diuisio explicatur.

§. 2151. Vnum indicium proximum a lege agnitum in delictis grauioribus ad torturam sufficit *f).* Si vero solum vnum vel alterum remotum adest, tortura non habet locum. Plura vero remota qualificata, si reus quaenam indicia ad torturam sufficiant.

presbyteri, L. 8. C. *de episc.* *milites*, L. 8. C. h. t. *nobiles*, L. 11. C. h. t. *doctores et professores*, L. 6. C. *de prof. et medic.* Iussu tamen principis priuilegiati quoque torqueri possunt. *c)* Talia tradit C. CAR. art. 129. 144. *d)* Talia sunt physiognomia mala, mali mores, abnegatio nominis, patriae, familiae, etc. *e)* Huc refertur vita antea in delictis eiusdem generis male acta, HORN tr. *de semel malo semper malo.* societas cum delinquentibus, mala fama ab hominibus fide dignis orta, C. C. art. 25. fuga statim post delictum secuta, cuius iusta causa dari nequit, suspecta praesentia in loco delicti, C. C. art. 25. antecedentes inimicitiae capitales vel speciales minae, C. C. art. 25. 26. inculpatio moribundi non suspecta, KLEIN *de in- et exculpatione moribundi.* *f)* CONST. CAR. art. 129. 144.

persona per se suspecta est, ad torturam sufficiunt *g*). Quaecunque tamen sint indicia, illa legitime et plene per duos testes omni exceptione maiores debent esse probata, nec per probationem contrariam elisa *h*).

actus torturae.

§. 2152. Decreta a iudice per sententiam tortura, pro ea auertenda defensio quidem admittitur *i*), ast indiciis per defensionem non sublatis, iudex ad ipsum actum progreditur, et in locum iudicii consueto reum de confessione facienda et vitando torturae cruciatu admonet *k*). Si vero haecce admonitio frustranea est, reus ad locum torturae deducitur, ibique praesentibus iudice, actuario et scabinis, torquetur modo, quem sententia praescribit *l*). In ipso torturae actu inquisitus generaliter solum, an confiteri velit interrogatur *m*), et si confessionem offert, relaxanda sunt tormenta, et deinde examen faciendum *n*), ita tamen, vt suggestiones euitentur *o*), omniaque curate annotentur, in quorum veritatem iudex postea exacte inquirere debet *p*). Actus torturae nec vltra horae spatium regulariter extendi debet *q*).

ratificatio, et quae eam sequuntur.

§. 2153. Confessio per torturan extorta, nisi post duos vel tres dies in loco iudicii ordinario ratificatione (die Urgicht) confirmetur, ad

g) CONST. CAR. art. 127. 128. *h*) CONST. CAR. art. 20. 28. *i*) CONST. CAR. art. 47. *k*) C. C. art. 46. *l*) Haec vberius illustr. HEIL *iudex et def.* cap. V. §. 42. *m*) HOMMEL *de reo sub tormentis specialiter non interrogando.* *n*) C. C. art. 58. *o*) BOEHMER ad CARPZOV. qu. 113. obs. 4. *p*) C. C. art. 53. 55. 56. *q*) BERGER *elem. pr. cr.* suppl. P. I. obs. 175. iudicis tamen arbitrium non penitus videtur excluſum. WILDVOGEL *de arbitrio iudicis circa torturam.* LEYSER sp. 631.

ad condemnationem non sufficit r). Si igitur reus ratificationem denegat, et iustas confessionem reuocandi causas non habet, tortura continuatur s). Ratificatione vero secuta, sequitur sententia condemnatoria. Reus, qui sub tormentis in negando persistit, indicia elidit, et per sententiam absoluitur, nisi forsan extra torturam quaedam confessa sint, quae poenam merentur.

territio.

§ 2154. A tortura differt TERRITIO, quae locum habet, si sufficientia ad torturam indicia non adsunt, aut qualitas delicti torturam non admittit, et suspicio periurii contra reum militat. Diuiditur territio in VERBALEM, *qua verbis et gestibus applicationem tormentorum minatur carnifex*, et REALEM, *qua carnifex tormenta quaedam applicare incipit, ita tamen, vt cruciatus non actu inferantur.*

LIB. XLVIII. TIT. XIX.
DE POENIS.

poenarum diuisio.

§. 2155. Poenae definitionem (§. 5.) et praecipuas diuisiones (§. 1533.) dedimus. His addimus diuisionem in poenas ORDINARIAS, *quae lege nominatim in crimen sunt statutae*, et EXTRAORDINARIAS, *quae recedunt a poena lege determinata.* Ab his differunt ARBITRARIAE, *quarum determinationem lex iudicis arbitrio relinquit.* Extraordinariae omnes certo modo sunt arbitrariae, ait non omnes arbitrariae sunt extraordinariae.

r) C. C. art. 56. HOMMEL *de ratificat. confessionis per tormenta extortae.* s) HOFFMANN *de continuatione torturae.* Continuatio a repetitione differt. GRIEBNER *de repetitione tormentorum confesso infitiante.*

finis poenarum.

§. 2156. Finis poenarum primarius est, vt deterreantur alii a delictis *t)*. Deterrentur autem, dum non solum metu poenarum abstinent a delictis, sed quoque per executionem poenarum exemplum in terrorem aliorum statuitur. Et eatenus verum est, quod poenae finis sit emendatio ciuium *u)*.

poenarum gradus.

§. 2157. Poenarum gradus iure Rom. sunt, ad furcam damnatio, viuicomburium, capitis amputatio. Deinde proxima morti poena, metalli coercitio, et in insulam deportatio. Ceterae poenae ad existimationem pertinent, veluti relegatio ad tempus, vel in perpetuum, vel datio in opus publicum, vel ictus fustium *x)*. Apud nos receptae poenae capitales sunt, corporis in quatuor partes dissectio, viuicomburium, rota, culeus, suspendium, decollatio *y)*.

poena extraordinaria quando locum habeat, et quatenus teneat haeredes.

§. 2158. Quia iudicis partes sunt, leges applicare, (§. 27.) ille ab ordinaria poena non potest recedere *z)*, nisi singulares adsint circumstantiae, quas legislatoris voluntas in ferenda lege non respexit *a)*. Huc potissimum spectat defectus doli in totum vel in tantum, incertitudo corporis delicti, bonus delicti exitus *b)*. E contrario in poenis arbitrariis liberiori iudex arbitrio vtitur, et mitigare potest poenam, non solum ex causis, quae ordinariam minuunt poenam, sed quoque propter conditionem et dignitatem perso-

z) L. 3. D. *depos.* L. 1. C. *ad L. Iul. repet.* *u)* L. 20. h. t. *x)* L. 28. pr. et §. 11. L. 8. §. 1. 4. 6. h. t. *y)* has curate describunt ESTOR Abh. der Urtel. §. 1312. sqq. DOEPLER Schauplatz der Leibs- und Lebens-Strafen. *z)* L. 41. h. t. L. 1. §. 4 *ad SCt. Turpil.* *a)* interpretatione legum poenae moliendae sunt, L. 42. h. t. L. 155. D. *de R. I.* *b)* HEISLER *de iustis poenam mitigandi causis in crimin.*

personarum, propter aetatem, sexum, dolorem, confessionem, spem emendationis. Semper vero poenae solum tenent delinquentes, minime eorum haeredes, nisi in publicis iudiciis condemnatione, in reliquis vero delictis accusatione facta, poena ex bonis defuncti praestari queat *c)*.

executio poenae quatenus differri possit.

§. 2159. Poena dictata, eius executio diu non est differenda *d)*, nisi iusta dilationis sit causa. Talis est, 1) si mulier damnata sit grauida, 2) si in socios habenda sit quaestio *e)*, si damnatus alienas res administrauerit, et rationes nondum reddiderit *f)*. si princeps iusta grauiorem poenam infligi iusserit, cuius executio 30. dies differenda est *g)*. Formalia executionis varia sunt.

praescriptio criminum.

§. 2160. In totum cessat poena, si crimini praescriptum est. Cum enim lapsu temporis media defensionis reo euadant, et memoria commissi delicti euanescat, leges ex aequitate admittunt praescriptionem criminis. Quae absoluitur, si criminosus per XX. annos a die, quo delictum commissum, computandos, in ius criminale vocatus non est *h)*. Delictis carnis *i)* et peculatus *k)* praescribitur V. annis, nisi sint duplicata, quo casu XX. anni requiruntur *l)*. Apostasiae, partus suppositioni, et parricidio nunquam praescribitur *m)*.

c) L. 20. h. t. *d)* L. 3. h. t. *e)* L. 29. h. t. *f)* L. 5. C. *de bon. proscript.* *g)* L. 20. C. h. t. *h)* L. 12. C. *ad L. Corn. de falsis.* *i)* L. 29. §. 6. *ad L. Iul. de adult.* *k)* L. 7. *ad L. Iul. pecul.* *l)* L. 39. §. 5. *ad L. Iul. de adult.* *m)* L. 13. *de SCt. Silan.* L. 19. §. 1. *ad L. Corn. de falsis.* L. 24. C. *de apostatis.* confer. ENGAV von Verjährung der Laster.

LIB. XLVIII. TIT. XX.
DE BONIS DAMNATORVM.

§. 2161. Bona eorum, qui grauiorum delictorum rei sunt, post condemnationem, non ante, fisco cedunt *n)*. Quod tamen Iustinianus *o)* mutauit, ita, vt si condemnatus liberos vel parentes habeat, illi vsque ad tertium gradum fisco praeferantur, solo maiestatis crimine excepto. Vxori quoque dos et donatio propter nuptias salua conseruetur, et si indotata sit, pars quarta ex bonis mariti condemnati illi maneat. Pannicularia vero seruantur ad ea, quae iure praesidum erogari solent *p)*. Hodie, excepto crimine perduellionis, et casu proscriptionis, generatim cessat confiscatio bonorum *q)*.

LIB. XLVIII. TIT. XXI.
DE BONIS EORVM, QVI ANTE SENTENTIAM VEL MORTEM SIBI CONSCIVERVNT VEL ACCVSATOREM CORRVPERVNT.

§. 2162. Bona quoque eorum fisco inferuntur, qui vt condemnationi euadant, ante sententiam mortem sibi conscinerunt *r)*, vel accusatorem corruperunt *s)*, modo iam rei postulati, vel in scelere deprehensi sint, et crimen sit tale, cuius condemnatio confiscationem bonorum operatur *t)*. Insuper propricidae denegatur honesta sepultura, et interdum, si de crimine confessus vel conuictus sit, executio in cadauere fieri solet.

n) L. 1. 2. D. L. 2. C. h. t. *o)* Nov. 134. c. 13. AVTH. *bona damnator.* C. h. t. *p)* L. 6 D. h. t. *q)* CONST. CAR. art. 218. *r)* L. 3. D. L. 1. C. h. t. *s)* L. 1. 2. h. t. corruptio tamen accusatoris in criminibus capitalibus facta confiscatione bonorum punitur, L. 1. h. t. *t)* L. 1. §. 1. 2. 3. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0446
DFG

LIB. XLVIII. TIT. XXII.
DE INDERDICTIS ET RELEGATIS.

§. 2163. INTERDICTI dicuntur, *quibus vsus loci, vel negotii, vel ordinis cuiusdam in poenam est prohibitus.* RELEGATI sunt, *qui inuiti poenae causa in insulam seu alium mittuntur locum, vt ibi vel ad tempus, vel in perpetuum maneant.* Interdicti aeque ac relegati, nec libertatem, nec ciuitatem amittunt, sed omnia iura retinent salua, ideoque eorum bona fisco non inferuntur.

LIB. XLVIII. TIT. XXIII.
DE SENTENTIAM PASSIS ET RESTIT.

§. 2164. RESTITVTIO, quae est *reorum damnatorum in pristinum statum a principe facta reductio u)*, vel *iustitiae*, vel *gratiae* est. Illa fit, si iusta restitutionis causa existit *x)*. Haec vero, cum ex mera clementia pendeat, a principe pro arbitrio concedi potest, et est vel *simplex*, qua tantum poena remittitur *y)*, vel *plena*, qua poena cum omnibus condemnationis factae effectibus tollitur *z)*, ita tamen, vt tertio inde praeiudicium non inferatur *a)*.

LIB. XLVIII. TIT. XXIV.
DE CADAVERIBVS PVNITORVM.

§. 2165. Cadaueribus punitorum sepultura non denegatur, modo cognati aliiue eam petant *b)*, a principe vel magistratu *c)*. Exceptio est in crimine laesae maiestatis et latrocinii *d)*.

PARS

u) L.2.4.D.L.1.C.h.t. *x)* L.1.§.vlt. *de quaestion. y)* L.2.D.L.2.4.5.7.9.C.h.t. *z)* L.1.C.h.t. *a)* L.2.§.1. *ne quid in loco publ. b)* L.1. et 3.h.t. *c)* L.1, 2.h.t. *d)* L.1.D.h.t. L.28.§.15. *de poenis.*

PARS II.
IVS ROMANVM PVBLICVM.

SECTIO I.
IVS ROMANVM PVBLICVM SACRVM.

§. 2166.

Cum de Iure Romanorum publico sacro in Pandectis nihil, sed quaedam tantum in Codice et Nouellis pertractentur, materias huc pertinentes studio omitto, et Lectorem ad speciale Ius Ecclesiasticum remitto; quae vero incidenter in Iure ciuili tractantur, ea quasi in Indice videre licet in Delineatione Corporis Iuris ciuilis Romani a me Wirceburgi 1774. edita §. XXVI.

SECTIO II.
IVS ROMANVM PVBLICVM PROFANVM.

§. 2167. Cum Ius Romanum publicum profanum in Republica nostra vsum non habeat, hinc quae hic dicenda forent, Iuri publico S. R. I. relinquo, et ad Delineationis mox citatae §. XXVII. prouoco, quosdam tantum Titulos in Digestis occurrentes propositurus.

LIB. XLIX. TIT. XIV.
DE IVRE FISCI.

§. 2168. FISCVS est *vniuersitas bonorum et redituum ad imperantem, qua talem pertinentium.* Fiscus igitur publicis vsibus inseruit. Et cum reipublicae interfit, ea, quae publicis vsibus destinata sunt, perpetuo conseruari, leges varia iura singularia, ad adquisitionem et conseruationem pertinentia, fisco concedunt. Sic ad quaestum fisci pertinet ius occupandi bona vacantia intra quadriennium nunciata (§. 810.) *a)*, vt et commissa (§. 138.) ac ereptitia (§. 713.). Ad conseruationem spectat, quod fiscus 1) in bonis debitoris gaudeat iure pignoris (§. 928.), et quidem in bonis post contractum quaesitis qualificati (§. 934.), 2) nunquam satisdet (§. 1747.), 3) compensatio non semper locum habeat contra eum (§. 1096.), 4) res vitiosas absque obligatione de vitio respondendi vendere queat (§. 1421.), 5) illi, siue actoris siue rei vices gerat, edenda sint documenta (§. 1899.), 6) quod conductores rerum fiscalium contractum continuare interdum inuiti obligentur (§. 1445.) *b)*, 7) quod ex suis contractibus ad vsuras non obligetur, ipsi autem ex omni contractu debeantur vsurae *c)*. Quia vero iura singularia strictae sunt interpretationis, facile patet, fiscum iure vti communi in casibus, vbi ius singulare sibi concessum monstrare nequit *d)*. Imo in dubio contra fiscum, qui sibi singularem quaerit vtilitatem, respondendum est *e)*. LIB.

a) L. 1. §. 2. h. t. *b)* L. 11. §. fin. D. *de publicanis.* *c)* L. 17. §. 5. 6. C. *de vsuris.* tit. C. *de fisco vsur.* *d)* L. 10. h. t. L. 25. *de pig.* L. 12. C. *de compens.* *e)* L. 10. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0449
DFG

LIB. XLIX. TIT. XVI.
DE RE MILITARI.

§. 2169. Praeter generalia de militibus eorumque qualitate, in hoc titulo quaedam iura militum singularia recensentur *f)*. De his iam singulis titulis est actum, ideoque non est, cur dicta hic repetam.

LIB. XLIX. TIT. XVII.
DE CASTRENSI PECVLIO.

§. 2170. De peculio castrensi iam supra (§. 157. 423.).

LIB. XLIX. TIT. XVIII.
DE VETERANIS.

§. 2171. VETERANI sunt, *qui exactis XX. annorum stipendiis, vel ex alia honesta causa, missionem impetrarunt.* Hi variis gaudebant iuribus singularibus, veluti 1) quod immunes essent a muneribus publicis, 2) decurionibus honore aequiparentur, 3) nec in metalla dari, nec ad opus publicum, vel bestias damnari, nec fustibus caedi possent *g)*. Hodie ab arbitrio principum pendet, quaenam priuilegia veteranis tribuere velint, quamuis in dubio iura valeant Romana.

LIB. L. TIT. I.
AD MVNICIP. ET DE INCOLIS.

municipium et municipes def.

§. 2172. MVNICIPIVM, in sensu iuris Romani est, *ciuitas, quae propria quidem*

f) DE LVDEWIG *differ. iuris Rom. et Germ. in iure militari.* *g)* L. 1. 3. h. t.

dem politia, suoque proprio iure vtebatur, cuius tamen ciues iuribus ciuium Romanorum publicis gaudebant h). Qui iuribus ciuium municipii cuiusdam fruuntur, MVNICIPES vocantur *i)*. Apud nos in alio sensu municipia opponuntur ciuitatibus imperialibus *k)*.

municipes quomodo fiant.

§. 2173. Municipes suis praerogatiuis et iuribus gaudebant, quae partim ex natura vniuersitatis ordinatae (§. 1843.), partim ex statu ciuitatis, cui adscripti erant (§. 125. 126.), enascebantur. Adquiruntur autem iura municipum vel ex natiuitate, quum quis a patre municipe naturaliter aut ciuiliter est natus *l)*, vel per receptionem in numerum municipum *m)*. Et quamuis magistratus municipales pro arbitrio in numerum municipum recipere possint, apud nos tamen ius recipiendi plerumque est restrictum, ita vt bannitis, haereticis, iudaeis, hominibus suspectis iura ciuium tribui non debeant *n)*. Caeterum pro receptione plerumque certa soluenda est summa, et iuramentum ciuium praestari debet.

differunt ab incolis, forensibus, suburbicariis.

§. 2174. Municipes iuribus fruuntur municipii (§. 2173.), differunt igitur 1) ab incolis (Schutzbürgern), qui domicilium in ciuitate quidem habent, minime vero praerogatiuis ciuium, qua talium, gaudent *o)*, 2) a forensibus (§. 44.), 3) suburbicariis, qui in suburbiis habitantes ciuium iure in plerisque vrbi

b) GELL. N. A. lib. XVI. cap. 13. DE SELCHOV *antiq. iur. Rom.* §. 819. sqq. STEGER *ad L. Munic. Roman. i)* L. 1. §. 1. h. t. L. 228. *de verb. sign. k)* WALDSCHMID *de differ. municipior. et vrbium Germ. mediatarum. l)* L. 1. § 2. D. L. 3. C. h. t. *de adoptiuis.* L. 1. pr. L. 15. §. vlt. L. 17 §. 9. h. t. *m)* L. 7. C. *de incolis.* L. 1. §. 1. h. t. *n)* AYRER *de iure recipiendi Iudaeos.* HANNESEN *de statu ciuitatis eiusque iuribus. o)* L. 29. h. t.

vrbibus haud aestumantur. Et licet in quibusdam ciuitatibus suburbicarii ciuium iure vtuntur, plerumque tamen a quibusdam iuribus ciuium manent excluſi *p)*.

LIB. L. TIT. II.
DE DECVRION. ET FILIIS EORVM.

§. 2175. Municipia sunt vniuersitates ordinatae (§. 2173.). In his membra quaedam reliquis cum iurisdictione et directione praesunt (§. 1843.). Illi, qui iure gaudent, munera, quae cum directione seu iurisdictione quadam exercentur, subeundi, Romanis dicuntur DECVRIONES *q)*. Hi in dignitate erant *r)*, quae ad exemplum senatoriae dignitatis Romanorum, in filios transibat *s)*. Ex quibus deinde eligebantur, qui honoribus ciuitatum praeessent *t)*, et ad officia publica cogi possent subeunda *u)* (§. 252.).

LIB. L. TIT. III.
DE ALBO SCRIBENDO.

ALBVM erat *liber, cui inscripta erant nomina decurionum secundum receptionis ordinem.*

LIB. L. TIT. IV.
DE MVNERIBVS ET HONORIBVS.

munus et honor, illiusque species defin.

§. 2176. MVNVS est *praestatio in vtilitatem ciuitatis suscipienda.* Haecce *praestatio, si dignitatem annexam habet,* HONOR *x)*, *quae abs-*

p) BERGER *oecon. iur.* p. 91. ZAHN *politia munic.* lib. I. cap. 7. *q)* L. 239. §. 5. de V. S. L. 33. C. h. t. *r)* L. 6. 7. §. 2. 3. L. 12. §. vlt. C. h. t. *s)* L. 2. §. 2. h. t. *t)* L. 2. 9. §. 3. de V. S. *u)* L. 39. C. h. t. *x)* L. 14. h. t.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0452
DFG

absque dignitate est, MVNVS *in specie tale* VOcatur *y)*. Munera, prout vel *corporis et animi viribus solum*, vel per *erogationem sumtuum*, *vel labore et sumtu simul*, *praestantur*, sunt vel *personalia*, vel *patrimonialia*, vel *mixta* z).

honores et munera qui imponere, et cui imponi possint.

§. 2177. Munera et honores iure Romano a ciuitate imponebantur, ita tamen, vt ad honores non admitterentur minores, nisi ceptus iam esset vltimus maiorennitatis annus *a)*, et gradatim conferri deberent *b)*. Honore fungenti munus imponi non potest. Munus sustinenti honor recte defertur *c)*. Sicuti et ad munera subeunda regulariter ciues compelli possunt inuiti *d)*. Hodie honores plerumque a ciuitate conferuntur, accedente tamen imperantis confirmatione, sicuti et munera, praesertim patrimonialia inuitis sine consensu imperantis imponi nequeunt.

LIB. L. TIT. V.

DE VACATIONE ET EXCVSATIONE MVNERVM.

§. 2178. Municipes ad munera publica subeunda compelli possunt (§. 2178.). Sunt tamen, qui excusationem habent, et quidem, vel ex causa iure adprobata communi, vel ex singulari principis priuilegio. *Qui illo modo liberantur*, VACATIONEM, *qui hoc*, IMMVNITATEM habere dicuntur. Vacationem vero habent a personalibus muneribus 1) minores *f)*, 2) LXX. annis maiores *g)*, 3) morbo

y) L. 214. *de V. S.* z) L. 1. et 18. h.t. *a)* L. 8. h.t. *b)* L. 11. pr. L. 14. §. 1. h.t. *c)* L. 10. h.t. *d)* L. 9. h.t. MVNDIVS *de muneribus, honoribus et oneribus.* *f)* L. 2. h.t. *g)* L. 3. §. 12. *de muneribus.*

bo ſontico laborantes *h)*, 4) milites *i)*, profeſſores artium liberalium *k)*. Regulariter tamen a patrimonialibus muneribus vacatio non excuſat, niſi, qui hanc habent, ſint pauperes *l)*. A Muneribus perſonalibus ſordidis nobilitas et clericatus vacationem praeſtat *m)*. Ab inhoſpitatione liberantur clerici, profeſſores *n)* et aduocatus fiſci *o)*.

LIB. L. TIT. VI.
DE IVRE IMMVNITATIS.

§. 2179. Immunitas eſt liberatio a muneribus ex ſingulari principis priuilegio competens. Haec, vel quoad omnia, vel quoad certa ſolum munera, et quidem vel perſonae, vel rei eſt conceſſa. Perſonae conceſſa, niſi expreſſe in haeredes ſit directa, cum perſona expirat, nec tributa cuilibet prodeſt poſſeſſori (§. 100.). In dubio perſonalis magis, quam realis praeſumitur conceſſa immunitas *p)*, imo quaecunque ſit, in caſu neceſſitatis non habet locum *q)*.

LIB. L. TIT. VII.
DE LEGATIONIBVS.

§. 2180. LEGATIO *eſt munus publicum, quo quis ad negotia municipii expedienda ad principem mittitur r)*. De huiusmodi legatis ea va-

h) L. 2. §. 7. h. t. *i)* L. 7. h. t. *k)* L. 8. §. 4. L. 9. pr. h. t. L. vlt. §. fin. *de muner.* L. 6. C. *de profeſſ.* *l)* L. 10. pr. L. 11. h. t. L. 6. §. pen. L. vlt. §. 24. *de muner.* L. 5. C. *de muner. patrim.* *m)* L. 12. *de vacat.* L. 2. C. *de epiſcop.* *n)* L. vlt. §. vlt. *de profeſſ.* *o)* L. 5. §. 2. C. *de aduoc. diuerſ. iudic.* *p)* L. 1. §. 1. h. t. *q)* LVDOVICI *de immunit. non excuſante.* *r)* L. 1. L. 8. §. 1. D. L. 3. et 5. C. h. t.

valent, quae de mandatariis diximus, ita tamen, vt legationes eo ordine, quo lecti sunt decuriones, obeant *s)*. Hi legati in ciuitate, quae eos ablegauit, certis gaudent priuilegiis et iuribus. Nam 1) tempore legationis, vt et biennio post, immunes sunt a muneribus personalibus *t)*, 2) tempore legationis conueniri nequeunt, et ius habent reuocandi domum *u)*, 3) sumtus et omne damnum intuitu legationis perpessum iis restitui debent *x)*. Ab hisce legatis differunt, qui iure gentium censentur legati.

LIB. L. TIT. VIII.

DE ADMINISTRAT. RERVM AD CIVITATES PERTINENTIVM.

§. 2181. Vniuersitates, et sic quoque municipia (§. 2173.), habent arcam communem, res communes, et ad eas curandas administratores communes habere possunt (§. 1846.). Horum officium idem est, ac administratoris generatim. Hinc res ad ciuitatem pertinentes debita diligentia curare, rationes reddere, dolum et culpam leuem praestare *y)*, vt et reliqua restituere cum vsuris morae tenentur *z)* minime vero alienare possunt *a)*. Plures administratores coniunctim constituti tenentur in solidum, ita tamen, vt qui gessit, prior conueniatur *b)*. Eorum quoque rationes, licet expunctae sint, ob errorem calculi semper, ob aliam causam viuente admi-

s) L. 4. §. 5. h. t. *t)* L. 7. 8. §. 1. h. t. *u)* L. 3. h. t. L. 2. §. 3. *de iudic.* *x)* Hi sumtus legatiui nomine veniunt, L. 2. §. 3. h. t. L. 18. §. 12. *de mun. et honor.* *y)* L. 2. §. 2. L. 6. h. t. *z)* L. 9. h. t. L. 21. 24. *ad municip.* L. 17. §. 7. *de vsur.* *a)* LEYSER sp. 676. *b)* L. 3. pr. L. vlt. §. 8. h. t. L. 1. 2. C. *quo quisque ord.*

nistratore, intra XX. annos, eo mortuo intra X. annos, retractari possunt *c*). Finito officio iis, quibuscum vi officii contraxerunt, non tenentur *d*).

Lib. L. Tit. IX.

DE DECRETIS AB ORDIN. FACIENDIS.

Municipia, quia vniuersitates sunt, statuta condere possunt (§. 1806.), quomodo vero rite statuta condantur, supra diximus (§. 91. sqq.).

Lib. L. Tit. X.

DE OPERIBVS PVBLICIS.

§. 2182. Municipia quoque tam ad necessitatem, quam ad vtilitatem, variis indigent operibus. Quae sunt vel exstructa, vel exstruenda. Exstructorum cura demandata erat *operum curatori*. Nouorum vero operum exstructio aut publica, aut priuata pecunia fieri debet. Si prius, principis auctoritate opus est, neque alterius, quam principis nomen, operi inscribi debet *e*). Posterius vero, etiam sine principis auctoritate facere, et nomen eius, cuius sumtu exstructio facta, inscribere licebat *f*), exceptis casibus, quibus 1) ad aemulationem alterius ciuitatis, 2) ad materiam seditionis, 3) circa theatrum vel amphitheatrum nouum fieri debet opus *g*). Legata in opus nouum pecunia, potius in tutelam eorum operum, quae sunt, conuertenda,

c) L. 8. et §. 1. h. t L. 13. §. 1. *de diuers. temp. praesc.* *d*) L. 3. §. 2. h. t. hunc titulum vberius illustrat Leyser sp. 676. sqq. Struv *de administ. rerum ad ciuitatem pertinentium.* *e*) L. 3. §. 1. 2. L. 6. D. L. 5. 10. h. t. *f*) L. 2. pr. L. 3. pr. h. t. *g*) L. 3. pr. h. t.

tenda, quam ad inchoandum opus eroganda, si satis operum ciuitas habeat, et non facile, ad reficienda ea, pecunia inueniatur *h*). Alias, legatam municipio pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit, conuertere sine principis auctoritate non licet. Si vero ob detractam Falcidiam legatum non sufficiat, vt opus fieri possit, pecunia in id, quod maxime necessarium reipublicae videtur, conuerti debet *i*).

Lib. L. Tit. XI.

DE NVNDINIS.

§. 2183. Nvndinae sunt *k*) *stati dies, quibus in certo loco quibuslibet, etiam extraneis, mercatum certis sub priuilegiis habere permissum est.* Cum igitur in nundinis mercatus certis sub priuilegiis habetur: haec vero quoad vniuersam Germaniam valitura imperator, et quoad statuum territoria, domini territoriales, concedant (§. 105.); nundinarum quoque iura et priuilegia vel ab imperatore, vel a statu imperii, concessione expressa, aut praescriptione immemoriali, adquiri debent *l*). Illa quoad vniuersam Germaniam, haec vero in territorio status concedentis solum valent. Inde oritur diuisio in nundinas *imperiales*, Messen, vel *prouinciales*, quae rursus vel *anniuersariae*, vel *hebdomadales*, Jahrmärkte und Wochenmärkte, sunt *m*). Quaenam vero priuilegia nundinis cuiusdam loci sint concessa, generatim determinari nequit, sed ex priuilegiis,

h) L. vlt. h. t. *i*) L. 4. *de administr. rerum ciuitatis.*
k) Nundinae a nono die dicuntur, quasi nouendinae, Macrob. l. sat. 16. Dion. Hal. lib. VII. c. 54.
l) L. 1. D. L. vn. C. h. t. *m*) Leyser sp. 679. m. 15. A. Fritsch *de regali nundinar. iure et priuilegiis.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0457
DFG

vsu et obseruantia locorum cognosci debet. Hoc autem commune fere ciuitatum ius est, quod negotiatores aliiue in loco nundinarum, eo tempore, quo nundinae habentur, sub praetextu priuati debiti detineri nequeant *n*). Caeterum ius nundinaarum non vtendo per decennium amittitur *o*).

LIB. L TIT. XV.
DE CENSIBVS.

§. 2184. CENSVS est *praestatio patrimonialis a ciuibus eorumque bonis secundum censuales facienda tabulas.* Hae TABVLAE sunt *publica auctoritate facta descriptio ciuium eorumque facultatum, vt secundum haec tributa exigerentur.* Erant autem census vel *personales*, vel *reales.* Illi personis secundum aetatis et conditionis cuiuslibet rationem *p*), hi vero bonis imponebantur secundum vtilitatis exinde percipiendae proportionem *q*). Census fundis impositus a quolibet praestari debet possessore, et priuatorum pactis in fisci praeiudicium, mutari nequit *r*). Apud romanos municipia iure census imponendi gaudebant, quo tamen hodie sine principis consensu vti nequeunt *s*).

LIB. XXXIX. TIT. IV.
DE PVBLICANIS ET VECTIGALIBVS ET COMMISSIS.

Publicani, qui, et quaenam ob eorum exactiones illicitas competant actiones.

§. 2185. Ad auertendum damnum, quod a publicanis imminet, hoc propositum est edictum.

n) L. vn. C. *de nundin.* *o*) L. 1. D. h. t. *p*) L. 3. pr. h. t. L. 1. C. *de colon.* *q*) L. 4. §. 1. L. 5. h. t. L. 1. C. *de muner. patrim.* L. 13. D. *de impensis in res dotal.* *r*) L. 1. 2. 3. C. *sine cens. vel. rel. fund. comp. non poss.* L. 42. D. *de pactis.* *s*) I. H. BOEHMER *de diuerso censuum iure.*

ctum. PVBLICANI sunt, *qui publica vectigalia conducta habent t)*. Hi, quamuis ex splendidissimis equitum familiis essent, ideoque praesidia et ornamenta reipublicae laudantur *u)*, vectigalia plerumque per partes sublocabant, aut ministeriis aliorum in exactione vtebantur. Subconductores et famuli publicanorum audacissimi et fraudulenti generis erant *x)*, inde ad eorum audaciam compescendam praetor proposuit actionem, qua contra eum, qui vi aliquid ademit, ad restitutionem, et si haec ante litis contestationem non fieret, ad dupli aestumationem, et si a seruo factum, ad noxae deditionem, experiri licebat *y)*. Insuper si quid damnum iniuria, vel furto factum esset, ordinariae quoque actiones competunt. Hodie contra iniustas publicanorum exactiones actio quidem, ast non in duplum, sed simplum competit, saluo iure magistratus poenam statuendi (§. 2054. *d.*).

vectigalia publica et priuata def.

§. 2186. Publicani conducta habent vectigalia (§. 2185.). Quae sunt vel *publica*, vel *priuata*. Sub priuatis intelliguntur canones, qui ex agris emphyteuticariis percipiuntur (§. 1700.). Publica vel late accipiuntur, pro omni reditu publico *z)*, vel stricte, VECTIGALIA stricte sic dicta, Zölle, sunt *tributa reipublicae soluenda de mercibus, quae commercii causa in et exportantur a)*. Sunt igitur vectigalia 1) tributa reipublicae soluenda, 2) soluuntur de mercibus, quae commercii causa in et exportantur.

t) L. 1. §. 1. L. 12. §. 3. h. t. u) CICERO *pro lege Manilia*. c. VII. x) MATH. XVIII. v. 17. LVC. I. v. 13. L. 12. pr. h. t. L. 9. *ad L. Rhod. de iactu.* TACITVS *Ann.* lib. XIII. c. 50. 51. y) L. 1. pr. L. 12. § 1. h. t. z) L. 7. h. t. L. 17. §. 1. *de V. S.* BVRMANN *de vectigal. pop. Rom.* a) L. 3. 6. C. *de vectigal.*

cuinam ius vectigalia exigendi competat.

§. 2287. Vectigalia sunt tributa reipublicae, seu, qui eam repraesentat, imperanti soluenda (§. 2186.). Sicuti vero ius, tributa indicendi publica, solius est imperantis; ita quoque vectigalia a solo imperante indicuntur et augentur *b*). In Germania ius vectigalia exigendi statuS antiquiori tempore ex imperatoris, hodie ex imperatoris et vnanimi electorum consensu adquirunt, nec concessa augere possunt vectigalia *c*). Augmentum vero dici nequit, si mutata pecuniae bonitate, quantitas vectigalis ad veterem pecuniae valorem reducitur *d*).

immunitas a vectigalibus,

§. 2188. Soluuntur vectigalia de mercibus, quae commerciorum causa vel in- vel exportantur (§. 2186.). Vbi igitur nullum commercium, ibi cessat ius vectigalia exigendi. Hinc immunes sunt 1) res, quas quis ad proprium vsum ex propriis fundis vel inuehit, vel auehit *e*), 2) res ad agriculturam pertinentes *f*), 3) legatorum *g*), 4) nauiculariorum propriae *h*), 5) supellex litteraria studiosorum. Porro cum inane sit, sibi ipsi soluere; a vectigalium praestatione immunes sunt 6) ipse princeps, et, qui eius locum tenet, prouinciae praeses, 7) exercitus, fiscus *i*), tandemque 8) omnes, quibus princeps per modum priuilegii exemtionem concessit. Interim tamen negari nequit, in germania et leges, et obseruantiam a iure Rom. interdum recedere.

defraudatio vectigalium et poena commissi,

§. 2189. Vectigalia sunt tributa reipublicae seu imperanti soluenda (§. 2186.). Inde defrau-

b) L. 10. pr. h. t. *c*) *Capit. imp. nouiss.* art. 8. §. 1. 2. 3. *d*) FABRI Staats-Canzley. P II. c. 3. n. 9. *e*) L. 5 C. *de vectigal.* LEYSER spec. 429. m. 4. sqq. *f*) L. 5. C. *de vectigal.* *g*) L. 8. C. *de vectigal.* *h*) L. 8. C. *de vectigal.* *i*) L. 4. §. 1. L. 9. §. 8. D. h. t. L. 5. C. *de vectigal.*

defraudatio vectigalium est defraudatio reipublicae seu imperantis, quae merito poena commissi coercetur *k*). Sunt autem COMMISSA *merces, quarum dominium ob vectigalium defraudationem fisco est adquisitum l*). DEFRAVDATIO VECTIGALIVM adesse censetur, *si mercium professio in telonio omissa fit dolo malo.* Vt igitur poena commissi locum habeat, requiritur, 1) *vt omissa fit professio mercium in telonio.* Sponte enim viatores merces profiteri, et vectigal soluere debent, dum sub praetextu exactionis a publicano non factae, quippe quam signa vectigalis exsoluendi publica efficiunt, viatores se excusare nequeunt *m*), 2) *professio omissa fit dolo malo n*), qui tamen, si signa publica in viis exstant, ab iis, qui doli capaces sunt, praesumitur. Hinc cessat commissi poena in pupillis et minoribus *o*), vt et, si propter necessitatem aduersae tempestatis merces expositae sint *p*). Domino quoque nocet defraudatio, quam se inuito, auriga fecit, salua aduersus hunc actione ad interesse, et euentualiter in integrum restitutione *q*).

vindicatio rerum commissarum eiusque praescriptio

§. 2190. Dominium rerum commissarum fisco est adquisitum (§. 2189.), cui proinde aduersus quemlibet possessorem rei vindicatio competit, et pro possessore adhuc habetur, qui mala, non vero, qui bona fide possidere desiit *r*) (§. 812.). Fisco tamen, si res consumtae sunt, salua manet actio personalis ad sol-

k) L. 11. §. 2. L. 16. §. 3. h. t. *l*) L. 14. h. t. *m*) L. 8. 11. 16 §. 6. 11. h. t. LEYSER sp. 428. m. 1. *n*) L. 16 §. 10. h. t. dupli tamen poena locum habet, si per errorem vectigal non solutum, l. c. *o*) L. 7. §. 1. L. 16. §. 9. h. t. L. pen. §. pen. *de minor.* *p*) L. 1. §. 8. h. t. *q*) SCHILTER *exerc.* 42. §. 63. *r*) L. 2. C. h. t.

uendum vectigal *s*). Si quoad partem mercium professio est omissa, poena commissi ad merces, quarum professio facta, non est extendenda *t*), sicut et haec poena cessat, si quis merces professus, et publicanus vectigal credidit *u*). Ipsa vero vindicatio commissi quinquennii praescriptione extinguitur *z*).

Geleite, Wege- und Brücken-Geld.

§. 2191. Vectigalia soluuntur de mercibus, quae commerciorum causa vel in- vel exportantur (§. 2188.). Differunt igitur 1) a praestatione, *quae pro securitate viarum publicarum exigitur a peregrinantibus*, seu commeatu, dem Geleite, 2) *a praestationibus, quae pro commoditate viae seu pontis soluitur*, dem Wege-Brücken-Fährde-Geld, cuius exactio etiam priuato, qui hanc commoditatem suis sumtibus praestat, non denegatur *y*). Caeterum, qui accepta pecunia commeatum promittit, obligatur ad securitatem peregrinantibus praestandam, et ad resarciendum damnum, quod non est mere casuale *z*).

s) L. 6. f. C. *de praescript.* 30. *vel* 40. *annor.* imo duplum vectigal peti potest iure Rom. L. 16. §. 10. h. t. *t*) L. 8. §. 1. h. t. LEYSER sp. 428. m. 4. *u*) L. 16 §. 12. h. t. *x*) L. 2. C. *de vectigal.* *y*) WERNHER P. VI. obs. 437. STRVBEN R. Bed. P. II. Bed. 71. A SCHELWIZ *de exactione pecuniae pro viis pontibusque soluendae.* *z*) R. I. de 1559. §. 34. HERT. *de superior. territ.* §. 22.

INDEX

INDEX PRIMVS

TITVLOS DIGESTORVM SEV PANDECTARVM ORDINE IVSTINIANAEO SISTENS.

Tit.		Pph.
	PARS I.	
	τα πρωτα continens	
	IVDICIORVM PRAEPARATORIA.	
	Proemium est Constitutio ad Antecessores de iuris docendi methodo.	
	LIBER I.	
	De Iure.	
1	De Iustitia et Iure.	1
2	De origine iuris et omnium Magistratuum, et successione prudentium.	47
3	De Legibus, Senatusque consultis, et longa consuetudine.	82
4	De Constitutionibus Principum.	94
	De Personis.	
5	De statu hominum.	112
6	De his, qui sui vel alieni iuris sunt.	150 228
7	De adoptionibus et emancipationibus, et aliis modis, quibus potestas soluitur.	236
	De Rebus.	
8	De diuisione rerum et qualitate.	402
	De actionibus, ac primum de ipsorum iudicantium officio, authoritate et imperio.	
9	De Senatoribus.	1668
10	De officio Consulis.	1670
11	De officio praefecti praetorio.	1671
12	De officio praefecti vrbi.	1672
13	De officio Quaestoris.	1673

De

Tit.		Sph.
14	De officio praetorum.	1674
15	De officio praefecti vigilum.	1678
16	De officio proconsulis et legati.	1679
17	De officio praefecti augustalis.	1680
18	De officio praesidis.	1681
19	De officio procuratoris Caesaris, vel rationalis.	1682
20	De officio iuridici.	1683
21	De officio eius, cui mandata est iurisdictio.	1683
22	De officio adsessorum.	1684
	LIBER II.	
1	De iurisdictione.	1685
2	Quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem iure vtatur.	1711
3	Si quis ius dicenti non obtemperauerit.	1718
	De in ius vocatione.	
4	De in ius vocando.	1719
5	Si quis in ius vocatus non ierit, siue quis eum vocauerit, quem ex edicto non debuerit.	1739
6	In ius vocati vt eant, aut satis vel cautum dent.	1741
7	Ne quis eum, qui in ius vocabitur. vi eximat.	1742
8	Qui satisdare cogantur, vel iurato promittant, vel suae promissioni committantur.	1743
9	Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caueatur.	1751
10	De eo, per quem factum erit, quo minus quis in iudicio sistat.	1752
11	Si quis cautionibus in iudicio sistendi causa factis non obtemperauerit.	1753
12	De feriis et dilationibus et diuersis temporibus.	1762
	De actionis editione, et quemadmodum pacto vel transactione nitatur, aut elidatur.	
13	De edendo.	1771
14	De pactis.	1051
15	De transactionibus.	1176
	LIBER III.	
	Qui pro actore aut reo agere aut excipere soleant in iudicio.	
1	De postulando.	1807
2	De his, qui notantur infamia.	1590
3	De procuratoribus et defensoribus.	1823
4	Quod cuiuscunque vniuersitatis nomine, vel contra eam agatur.	1842
5	De negotiis gestis.	1509
6	De calumniatoribus.	2054

PARS II.

LIBER IV.

Quibus ex cauſis amiſſae actiones reſtitui poſſint.

1 De in integrum reſtitutionibus. 352
2 Quod metus cauſa geſtum erit. 367
3 De dolo malo. 375
4 De minoribus viginti quinque annis. 383
5 De capite minutis. 593
6 Ex quibus cauſis maiores viginti quinque annis in integrum reſtituantur. 394
7 De alienatione iudicii mutandi cauſa facta. 400

De arbitris et foro competente.

8 De receptis qui arbitrium receperint, vt ſententiam dicant. 1797
9 Nautae, caupones, ſtabularii, vt recepta reſtituant. 1618

LIBER V. DE IVDICIIS PRIMVS.

1 De iudiciis, vbi quisque agere vel conuenire debeat. 1628

De actionibus in rem ſeu vindicationibus.

2 De inofficioſo teſtamento. 563
3 De haereditatis petitione. 810
4 Si pars haereditatis petatur. 820
5 De poſſeſſoria haereditatis petitione. 821
6 De fideicommiſſaria haereditatis petitione. 822

LIBER VI. DE IVDICIIS SECVNDVS.

1 De rei vindicatione. 458
2 De publiciana in rem actione. 468
3 Si ager vectigalis, id eſt, emphyteuticarius petatur. 475

LIBER VII. DE IVDICIIS TERTIVS.

1 De vſufructu, et quemadmodum quis vtatur et fruatur. 835
2 De vſufructu adcreſcendo. 848
3 Quando dies legati vſusfructus cedat. 742
4 Quibus modis vſusfructus vel vſus amittitur. 849
5 De vſufructu earum rerum, quae vſu conſumuntur vel minuuntur. 855
6 Si vſusfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur. 858
7 De operis ſeruorum. 859
8 De vſu et habitatione. 860
9 Vſufructuarius quemadmodum caueat. 865

Tit.		Pph.
	LIBER VIII. DE IVDICIIS QVARTVS.	
1	De seruitutibus.	871
2	De seruitutibus praediorum vrbanorum.	879
3	De seruitutibus praediorum rusticorum.	886
4	Communia praediorum tam vrbanorum quam rusticorum.	896
5	Si seruitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.	897
6	Quemadmodum seruitutes amittantur.	900
	LIBER IX. DE IVDICIIS QVINTVS.	
	De pauperie, damno, effusis et noxa.	
1	Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.	1604
2	Ad legem Aquiliam.	1541
3	De his, qui effuderint, vel deiecerint.	1549 1610
4	De noxalibus actionibus.	1616
	LIBER X. DE IVDICIIS SEXTVS.	
	De mixtis in rem et personam actionibus.	
1	Finium regundorum.	495
2	Familiae erciscundae.	824
3	Communi diuidundo.	506
	Praeparatoria actionum.	
4	Ad exhibendum.	511
	LIBER XI. DE IVDICIIS SEPTIMVS.	
1	De interrogationibus in iure faciendis, et de interrogatoriis actionibus.	1789
2	De quibus rebus ad eundem iudicem eatur.	1794
	Miscella.	
3	De seruo corrupto.	1577
4	De fugitiuis.	1579
5	De aleatoribus.	1581
6	Si mensor falsum modum dixerit.	1587
7	De religiosis et sumtibus funerum, et vt funus ducere liceat.	1521
8	De mortuo inferendo, et sepulchro inaedificando.	1050

PARS

PARS III.

LIBER XII. DE REBVS CREDITIS PRIMVS.

De condictionibus.

Tit.		§ph.
1	De rebus creditis, si certum petatur, et de condictione.	1255
2	De iureiurando, siue voluntario, siue necessario, siue iudiciali.	1918
3	De in litem iurando.	1942
4	De condictione causa data, causa non secuta.	1189
5	De condictione ob turpem et iniustam causam.	1194
6	De condictione indebiti.	1196
7	De condictione sine causa.	1205

LIBER XIII. DE REBVS CREDITIS SECVNDVS.

1	De condictione furtiua.	1206
2	De condictione ex lege.	1211
3	De condictione triticiaria.	1212
4	De eo, quod certo loco dari oportet.	1214
5	De pecunia constituta.	1136
6	Commodati vel contra.	1290
7	De pignoratitia actione vel contra.	913

LIBER XIV. DE REBVS CREDITIS TERTIVS.

1	De exercitoria actione.	1499
2	De lege Rhodia de iactu.	1465
3	De institoria actione.	1506
4	De tributoria actione.	1219
5	Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.	1218
6	De Senatusconsulto Macedoniano.	1283

LIBER XV. DE REBVS CREDITIS QVARTVS.

1	De peculio.	422
2	Quando de peculio actio annalis est.	430
3	De in rem verso.	1220
4	Quod iussu.	1225

LIBER XVI. DE REBVS CREDITIS QVINTVS.

1	Ad Senatusconsultum Velleianum.	1340
2	De compensationibus.	1227
3	Depositi vel contra.	1298

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86605720X/phys_0467
DFG

Tit.		§ph.
	LIBER XVII. DE REBVS CREDITIS SEXTVS. *Obligationes ex consensu.*	
1	Mandati vel contra.	1483
2	Pro socio.	1472
	LIBER XVIII. DE REBVS CREDITIS SEPTIMVS.	
1	De contrahenda emtione, et de pactis inter emtorem et venditorem compositis, et quae res venire non possunt.	1348
2	De in diem addictione.	1377
3	De lege commissoria.	1382
4	De haereditate vel actione vendita.	1389
5	De rescindenda venditione, et quando liceat ab emtione discedere.	1402
6	De periculo et commodo rei venditae.	1409
7	De seruis exportandis, vel si ita mancipium venerit, vt manumittatur vel contra,	1415
	LIBER XIX. DE REBVS CREDITIS OCTAVVS.	
1	De actionibus emti et venditi.	1416
2	Locati conducti.	1443
3	De aestimatoria actione.	1496
4	De rerum permutatione.	1310
5	De praescriptis verbis, et in factum actionibus.	1317
	PARS IV.	
	LIBER XX. SINGVLARIVM PRIMVS. *Pignora.*	
1	De pignoribus et hypothecis, et qualiter ea contrahantur, et de pactis eorum.	903
2	In quibus causis tacite contrahitur pignus vel hypotheca.	926
3	Quae res pignori vel hypothecae datae obligari non possunt.	930
4	Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur, et de his, qui in priorum creditorum locum succedunt.	933
5	De distractione pignorum vel hypothecarum.	938
6	Quibus modis pignus vel hypotheca soluitur, vel non.	942
	LIBER XXI. SINGVLARIVM SECVNDVS. *Emtionum consequentia.*	
1	De aedilitio edicto, et redhibitione, et quanti minoris.	1420
2	De euictionibus et duplae stipulatione.	1429
3	De exceptione rei venditae et traditae.	1442

Tit.		§ph.
	LIBER XXII. SINGVLARIVM TERTIVS.	
	Vsurae.	
1	De vsuris, et omnibus acceſſionibus, et mora.	1268
2	De nautico foenore.	1278
	Probationes.	
3	De probationibus et praeſumtionibus.	1872
4	De fide inſtrumentorum.	1885
5	De teſtibus.	1902
6	De iuris et facti ignorantia.	1868
	LIBER XXIII. SINGVLARIVM QVARTVS.	
	Nuptiae.	
1	De ſponſalibus.	162
2	De ritu nuptiarum.	177
3	De iure dotium.	1140
4	De pactis dotalibus.	1155
5	De fundo dotali.	1161
	LIBER XXIV. SINGVLARIVM QVINTVS.	
1	De donationibvs inter virum et vxorem.	1130
2	De diuortiis et repudiis.	204
3	Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.	1164
	LIBER XXV. SINGVLARIVM SEXTVS.	
1	De impenſis in res dotales factis.	1171
2	De rerum amotarum actione.	1175
3	De agnoſcendis et alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis.	218
4	De inſpiciendo ventre, cuſtodiendoque partu.	224
5	Si ventris nomine muliere in poſſeſſionem miſſa, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium translata eſſe dicatur.	226
6	Si mulier ventris nomine in poſſeſſione calumniae cauſa fuiſſe dicatur.	227
7	De concubinis.	201
	LIBER XXVI. SINGVLARIVM SEPTIMVS.	
	Tutelae.	
1	De tutelis.	251
2	De teſtamentaria tutela.	258
3	De confirmando tutore vel curatore.	263
4	De legitimis tutoribus.	266

Tit.		Pph.
5	De tutoribus et curatoribus datis ab illis, qui ius dandi habent, et qui, et in quibus causis specialiter dari possunt.	270
6	Qui petant tutores vel curatores, et vbi petantur.	276
7	De administratione et periculo tutorum et curatorum, qui gesserunt vel non: et de agentibus, vel de conueniendis vno vel pluribus.	281
8	De auctoritate et consensu tutorum.	290
9	Quando ex facto tutoris vel curatoris minorennes agere vel conueniri possunt.	297
10	De suspectis tutoribus et curatoribus.	301

LIBER XXVII. SINGVLARIVM OCTAVVS.

1	De excusationibus.	307
2	Vbi pupillus educari vel morari debet, et de alimentis praestandis.	312
3	De tutela, et rationibus distrahendis, et vtili curationis causa actione.	314
4	De contraria tutelae et vtili actione.	324
5	De eo, qui pro tutore vel pro curatore negotia gessit.	325
6	Quod falso tutore auctore gestum esse dicatur.	327
7	De fideiussoribus et nominatoribus, et haeredibus tutorum vel curatorum.	328
8	De magistratibus conueniendis, et haeredibus eorum.	331
9	De rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis vel supponendis.	334
10	De curatoribus furioso et aliis extra minores dandis.	343

PARS V.

LIBER XXVIII. SINGVLARIVM NONVS.

Testamenta.

1	Qui testamenta facere possunt, et quemadmodum testamenta fiant.	529
2	De liberis et posthumis haeredibus instituendis, vel exhaeredandis vel praeteritis.	549
3	De iniusto, rupto, irrito facto testamento.	555
4	De his, quae in testamento delentur, inducuntur, vel inscribuntur.	575
5	De haeredibus instituendis.	577
6	De vulgari et pupillari substitutione.	586
7	De conditionibus institutionum.	598
8	De iure deliberandi.	607

Tit.	ORDINE IVSTINIANAEO.	Pph.
	LIBER XXIX. SINGVLARIVM DECIMVS.	
1	De testamento militis.	614
2	De adquirenda vel amittenda haereditate.	628
3	Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, et describantur.	641
4	Si quis omissa causa testamenti, ab intestato, vel alio modo possideat haereditatem.	645
5	De Senatusconsulto Silaniano, et Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur.	646
6	Si quis aliquem testari prohibuerit, vel coegerit.	648
7	De iure codicillorum.	650
	LIBER XXX. DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS PRIMVS.	
	De legatis et fideicommissis. I.	
	LIBER XXXI. DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS SECVNDVS.	658
	De legatis et fideicommissis. II.	
	LIBER XXXII. DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS TERTIVS.	
	De legatis et fideicommissis. III.	
	LIBER XXXIII. DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS QVARTVS.	
1	De annuis et menstruis legatis.	671
2	De vsu et vsufructu, et habitatione, et operis per legatum vel fideicommissum datis.	674
3	De seruitute legata.	681
4	De dote praelegata.	682
5	De optione vel electione legata.	685
6	De tritico, vino, vel oleo legato.	689
7	De instructo vel instrumento legato.	690
8	De peculio legato.	691
9	De penu legata.	692
10	De suppellectile legata.	693
	LIBER XXXIV. DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS QVINTVS.	
1	De alimentis vel cibariis legatis.	694
2	De auro, argento, mundo, ornamentis, vnguentis, veste vel vestimentis, et statuis legatis.	696
3	De liberatione legata.	698
	Legatorum ademtio, translatio, cautio etc.	
4	De adimendis vel transferendis legatis.	702
5	De rebus dubiis.	705

Tit.		pph.
6	De his, quae poenae causa relinquuntur.	708
7	De regula catoniana.	710
8	De his, quae pro non scripto habentur.	711
9	De his, quae vt indignis auferuntur.	712

LIBER XXXV.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS SEXTVS.

1	De conditionibus et demonstrationibus et causis.	716
2	Ad legem Falcidiam.	720
3	Si cui plus, quam per legem Falcidiam liceret, legatum esse dicetur.	727

LIBER XXXVI.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS SEPTIMVS.

1	Ad Senatusconsultum Trebellianum et Pegasianum.	728
2	Quando dies legatorum vel fideicommissorum cedat.	742
3	Vt legatorum seu fideicommissorum seruandorum causa caueatur.	743
4	Vt in possessionem legatorum vel fideicommissorum causa esse liceat.	744

PARS VI.

LIBER XXXVII.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS PRIMVS.

De bonorum possessione ex testamento.

1	De bonorum possessionibus.	745
2	Si tabulae testamenti extabunt.	750
3	De bonorum possessione furioso, infanti, muto, surdo, eoeco competenti.	751
4	De bonorum possessione contra tabulas.	752
5	De legatis praestandis contra tabulas bonorum possessione petita.	753
6	De collatione bonorum.	754
7	De collatione dotis.	762
8	De coniungendis cum emancipato liberis eius.	763
9	De ventre in possessionem mittendo, et curatore eius.	764
10	De carboniano edicto.	765
11	De bonorum possessione secundum tabulas.	766
12	Si a parente quis manumissus sit.	767
13	De bonorum possessione ex testamento militis.	768
14	De iure patronatus.	141
15	De obsequiis parentibus et patronis praestandis.	142

Tit.		Pph.
	LIBER XXXVIII.	
	DE BONORVM POSSESSIONIBVS SECVNDVS.	
1	De operis libertorum.	143
2	De bonis libertorum.	144
3	De libertis municipiorum et aliarum vniuerſitatum.	145
4	De adſignandis libertis.	146
5	Si quid in fraudem patroni factum ſit.	147
	De bonorum poſſeſſione ab inteſtato.	
6	Si tabulae teſtamenti nullae extabunt, vnde liberi.	769
7	Vnde legitimi.	771
8	Vnde cognati.	772
9	De ſucceſſorio edicto.	773
10	De gradibus et adfinibus, et nominibus eorum.	774
11	Vnde vir et vxor.	775
12	De veteranorum et militum ſucceſſione.	776
13	Quibus non competit bonorum poſſeſſio.	777
14	Vt ex legibus Senatusue conſultis bonorum poſſeſſio detur.	778
15	Quis ordo in bonorum poſſeſſionibus detur.	779
16	De ſuis et legitimis haeredibus.	780
17	Ad Senatusconſultum Tertullianum et Orphitianum.	781
	LIBER XXXIX.	
	Damna.	
1	De operis noui nuntiatione.	1029
2	De damno infecto, et proiectionibus, et ſuggrundiis.	1555
3	De aqua et aquae pluuiae arcendae.	1562
4	De publicanis et vectigalibus et commiſſis.	2185
	Donationes.	
5	De donationibus.	1111
6	De mortis cauſa donationibus.	1124
	LIBER XL.	
	Praeiudiciales cauſae.	
1	De manumiſſionibus.	128
2	De manumiſſis vindicta.	129
3	De manumiſſionibus, quae ſeruis ad vniuerſitatem pertinentibus imponuntur.	130
4	De manumiſſis teſtamento.	131
5	De fideicommiſſariis libertatibus.	131
6	De ademtione libertatis.	131
7	De ſtatu liberis.	132
8	Qui ſine manumiſſione, ad libertatem perueniunt.	133
9	Qui et a quibus manumiſſi liberi non fiunt. Ad legem Aeliam Sentiam.	134

Tit.		Pph.
10	De iure aureorum annulorum.	135
11	De natalbus reſtituendis.	135
12	De liberali cauſa.	136
13	Quibus ad libertatem proclamare non liceat.	137
14	Si ingenuus eſſe dicatur.	138
15	Ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quaeratur.	139
16	De colluſione detegenda.	140

LIBER XLI.
Dominium, Poſſeſſio.

1	De adquirendo rerum dominio.	431
2	De adquirenda vel amittenda poſſeſſione.	946
3	De vſurpationibus ſeu vſucapionibus.	954
4	Pro emtore.	976
5	Pro haerede et pro poſſeſſore.	977
6	Pro donato.	978
7	Pro derelicto.	979
8	Pro legato.	980
9	Pro dote.	981
10	Pro ſuo.	982

LIBER XLII.
Sententia.

1	De re iudicata, et de effectu ſemtentiarum, et de interlocutionibus.	1949
2	De confeſſis.	1914

Executio.

3	De ceſſione bonorum.	1994
4	Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.	2002
5	De rebus auctoritate iudicis poſſidendis vel vendendis.	2004
6	De ſeparationibus.	2015
7	De curatore bonis dando.	2020
8	Quae in fraudem creditorum facta ſunt, vt reſtituantur.	2022

LIBER XLIII.
Interdicta.

1	De interdictis.	987
2	Quorum bonorum.	995
3	Quod legatorum.	999
4	Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus erit.	1000
5	De tabulis exhibendis.	1001
6	Ne quid in loco ſacro vel itinere fiat.	1002
7	De locis et itineribus publicis.	1003
8	Ne quid in loco publico vel itinere fiat.	1005
9	De loco publico fruendo.	1007
10	De via publica, et ſi quid in ea factum eſſe dicatur.	1008

De

Tit.		Sph.
11	De via publica, et itinere publico reficiendo.	1009
12	De fluminibus, ne quid in flumine publico ripaue eius fiat, quo peius nauigetur.	1010
13	Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque vt priore aestate fluxit.	1011 1012
14	Vt in flumine publico nauigare liceat.	1013
15	De ripa munienda.	1014
16	De vi et vi armata.	1020
17	Vti possidetis.	1021
18	De superficiebus.	1024
19	De itinere actuque priuato.	1025
20	De aqua quotidiana et aestiua.	1026
21	De riuis.	1027
22	De fonte.	1028
23	De cloacis.	1035
24	Quod vi aut clam.	1038
25	De remissionibus.	1039
26	De precario.	1042
27	De arboribus caedendis.	1045
28	De glande legenda.	1046
29	De homine libero exhibendo.	1047
30	De liberis exhibendis, item ducendis.	1020
31	Vtrubi.	1048
32	De migrando.	1049
33	De Salviano interdicto.	

LIBER XLIV.

Exceptiones.

1	De exceptionibus, praescriptionibus et praeiudiciis.	1851 1861
2	De exceptione rei iudicatae.	
3	De diuersis temporibus, praescriptionibus, et de accessionibus possessionum.	983 375
4	De dolo malo, et metus exceptione.	1865
